Prologus

Discipulus: Salomonis utcumque sequendo vestigia, "proposui in animo meo querere et investigare sapienter de omnibus que fiunt sub sole", in ecclesia scilicet militante, de qua non omnes Christiani hiis diebus consimiliter opinantur. Quia enim quidam circa fidem catholicam altercantur, se hereticos mutuo appellantes, quidam eorum apud quosdam et alii apud alios veram existimant ecclesiam consistere militantem. Proinde ad terciam partem nostri dialogi, quam ab inicio "De gestis circa fidem altercancium orthodoxam" volui appellari, nostram intencionem vertamus, quantum nostre occupaciones et studia presentis congruant temporis qualitati (quia, ut beatus asserit Augustinus ad Bonifacium comitem, et habetur 23[a], q. 4[a], c. *Si ecclesia*, omnia debent suis temporibus convenire), quam in novem tractatus volo secari, quorum unumquemque in diversos libros censeo dividendum. Primi autem duo erunt preparatorii et preambuli ad sequentes, in quibus de gestis diversorum Christianorum scrutabimur: primus quidem disputando de potestate pape et cleri; secundus de potestate et iuribus Romani imperii, in quo quamplurima de iuribus regum ac principum ac eciam laicorum aliorum tractabimus; tercius de gestis Iohannis 22[i], quem nonnulli putant propter hereticam pravitatem diu antequam de hoc mundo migraret omni dignitate ecclesiastica fuisse privatum, alii ipsum fuisse catholicum et in vero papatu finisse dies suos existimant; quartus de gestis domini Ludowici de Bavaria, quem aliqui verum imperatorem non reputant, alii contrarium arbitrantur; quintus de gestis domini Benedicti, quem multi, sed non omnes, tamquam verum summum pontificem venerantur; sextus de gestis fratris Michaelis de Cesena, septimus de gestis et doctrina fratris Giraldi Othonis, quorum unum quidam, alii alium, verum generalem ordinis fratrum minorum affirmant; octavus de gestis et doctrina fratris Willelmi de Ockham; nonus de gestis aliorum Christianorum — regum, principum et prelatorum ac subditorum, laicorum ac clericorum, secularium et regularium, fratrum minorum et aliorum — qui alicui (vel aliquibus) de prenominatis personis adherent, obediunt, consenciunt, communicant, favent vel quomodolibet prebere consilium aut auxilium dinoscuntur, vel ipsos (aut eorum aliquem) persequuntur, impugnant, molestant vel reprehensibilem aut reprehensibiles arbitrantur.

Prologus.11 comitem] militem Ed **13** autem] namque Ed **15** quidem] itaque MF **16** quamplurima] quamplura Bm **17** aliorum] Bm: aliquorum W **22** domini Benedicti] Bm: Benedicti XII[i] W **23** verum] *omitted* Ly **26** et doctrina] Bm: *omitted* W | de[2]] *omitted* Bm **28** regularium] Bm: religiosorum W **29** vel] Fr: et W **31** persequuntur] *omitted* Ed

---

Prologus.2 proposui…3 sole] Cf. Ecclesiastes 1:13 **11** Si ecclesia] C.23 q.4 c.42, col. 922

Magister: Tam tua instancia quam desiderium proficiendi predicta aggredi michi suadet, sed timor calumpniam incurrendi illorum qui forsitan dicent me audere illicite disputare de potestate summi pontificis dissuadet, presertim cum leges eciam canonice et civiles videantur asserere quod sacrilegium incurrit qui presumit de auctoritate principis disputare. Ideo, si tibi videtur, de prefatis me nullatenus intromittam, maxime cum ad libros necessarios non valeam, ut estimo, pervenire.

Discipulus: Timor non te retrahat memoratus, quia sicut videmus catholicos de fide absque periculo iuste calumpnie ad exercicium disputare (doctores enim sacre theologie de fide in scolis publice disputant et, contra veritatem fidei quo sciunt acucius arguentes, nullum crimen incurrunt, licet nec tunc nec umquam postea veritatem questionis disputate determinent; baccalarii eciam et prudentes quantum possunt forcius irreprehensibiliter, immo sepe laudabiliter, contra veritatem arguunt et allegant), sic de potestate summi pontificis ad exercicium contingit laudabiliter disputare. Cum igitur contra potestatem pape neque asserendo neque dubitando aliquid sis dicturus, sed solummodo recitando, sicut pro toto isto dialogo peractum est inter nos a principio, de potestate pape et omnibus aliis que commemoravi tractanda nullatenus metuas indagare, presertim cum sciam te paratum omnem veritatem de potestate pape, et aliam quam teneris explicite credere, opportunis loco et tempore, quando erit expediens, occulte et publice confiteri. Nec librorum carencia te retardet, quia, licet non possis facere opus perfectum, aliquid tamen facere non erit inutile, quia occasionem faciendi opera perfecta copiam librorum habentibus ministrabis.

Magister: Quod absque assercione et dubitacione falsa liceat recitare et in persona dicere aliorum, quodque non sit necesse omni tempore ore veritatem eciam catholicam confiteri (cum cadat sub precepto affirmativo, quod semper obligat sed non pro semper), multis modis posset ostendi. Ideoque, malignorum parvipendens calumpnias, tue instancie acquiescam, et ad exercitandum studiosorum ingenia, tam circa potestatem pape quam circa alia que duxeris inquirenda, eciam sentencias et opiniones quas reputo erroneas, immo hereticas, recitabo. Pro quibus, quo valuero, forcius allegabo, quod eciam tu poteris interdum facere, si tibi videbitur. Incipe igitur sine mora primum tractatum.

---

33 proficiendi] Fr: perficiendi W **42** quo] quos Ly **49** peractum] pactum Fr **59** posset] possit MF **60** exercitandum] exercitanda Ly **63** valuero] voluero Ed

---

36 leges…civiles] Codex 9.29.2, p. 385; C.17 q.4 d.a.30 and c.30, cols. 822, 823; cf. Brev. 1.1.8-10, p. 99 **58** affirmativo] Cf. 1 Dial. 4.26 (Ly 31v a1), 6.39 (Ly 66r a3-4); 3.2 Dial. 1.8 (Ly 234r a53-4); Brev. 3.8.9-10, p. 181.

LIBER 1

Capitulum 1

Discipulus: Claves regni celorum esse datas a Christo Romano pontifici, id est beato Petro, Christianorum non ambigit, ut estimo, multitudo; quare non dubitat quin sit a Christo aliqua concessa potestas. Plures eciam auctoritates sanctorum patrum videntur asserere quod aliquam ex humana ordinacione acceperit potestatem. De quarum utraque, si utramque habeat, interrogabo quamplura: quam videlicet et quo iure, divino scilicet an humano, habeat potestatem super spiritualia et ecclesiasticas personas? quam et quo iure super laicos in spiritualibus? quam et quo iure super res et iura temporalia que ad solam Romanam spectant ecclesiam? quam et quo iure super res et temporalia iura que ad alios clericos pertinere noscuntur? quam et quo iure super personas, res et iura temporalia fidelium laicorum? quam et quo iure super res infidelium et eciam personas ipsorum? Postea autem nonnulla similia de potestate cleri perscrutare propono.

Ante omnia autem interrogare decrevi an potestas pape ad omnia que non sunt contra legem divinam neque contra ius nature se extendat. Hec enim interrogacio videtur comprehendere omnia predicta de potestate pape, et forte ex sentenciis et opinionibus circa ipsam quas recitare studebis dabitur michi occasio de singulis in speciali querendi.

Magister: Circa hanc interrogacionem diverse et adverse inveniuntur sentencie. Una est quod papa, tam in spiritualibus quam in temporalibus, talem ex ordinacione Christi habet plenitudinem potestatis ut, regulariter et in omni casu, omnia possit que non sunt expresse contra legem dei neque contra ius nature. Alia est quod talem plenitudinem potestatis habet ex iure divino in spiritualibus, non in temporalibus. Tercia opinio est quod talem plenitudinem potestatis habet partim ex ordinacione Christi, partim ex ordinacione humana. Quarta est quod talem plenitudinem potestatis non habet, nec a iure divino nec a iure humano, neque regulariter neque casualiter sive in casu; et circa hanc sunt diversi modi ponendi. Quinta est quod talem plenitudinem potestatis simpliciter et regulariter neque a iure divino neque a iure humano habet, sed casualiter sive in casu habet talem plenitudinem potestatis a iure divino sive ex speciali ordinacione Christi.

Capitulum 1.3 dubitat] dubito Ed **6** De] Mz: ad W | utraque] utramque Ly | utramque] utraque Pz **13** perscrutare] perscrutari Ly **17** sentenciis] sentencia Ly | studebis] debebis Fr **28** et] Knysh: non W **30** potestatis] *gap* quod *added* Mz, quod *added* Fr [perhaps: secundum quid; cf. 16.9]

Capitulum 1.14 an…15 extendat] This doctrine of fullness of power is also discussed in 1 Dial. 7.67; CB 4.12, p. 262; CB 6.2 ff, p. 273; Brev. 2, AP 1.18 ff; OQ 1.2.6 ff; and IPP 1.15 ff.

Capitulum 2

Discipulus: Istas discuciamus sentencias ut acucius et profundius valeamus intelligere veritatem. Pro prima igitur aliquas allegaciones adducas.

Magister: Prima sentencia in verbis evangelii, immo ipsius Christi, fundari videtur, qui, ut legitur Matthei 16º, dixit Petro: "Tibi dabo claves regni celorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in celis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in celis". Ex quibus verbis colligitur quod Christus dedit beato Petro, et per consequens successoribus eius, absque omni excepcione plenitudinem potestatis ut omnia possit, quia verbo generali omnia debent comprehendi (dist. 19ª, *Si Romanorum*, et 1ª, q. 1ª, *Sunt nonnulli*, et 14ª, q. 3ª, *Putant*).

Discipulus: Ista allegacio impugnari potest, ut videtur. Nam sepe verbum generale non est generaliter intelligendum (Extra, *De iureiurando*, *Ad nostram*, et 1ª, q. 1ª, *Duces*). Unde et "verbum generale sepe restringitur", ut notat glossa, Extra, *De appellacionibus*, *Sua nobis*. Cuius exempla quamplurima in scripturis divinis habentur. Matthei enim 3º dicitur quod "exibat ad eum omnis regio trans Iordanem et baptizabantur ab eo in Iordane", et tamen multi non exibant nec baptizabantur a Iohanne. Et Luce 3º dicitur, "Cogitantibus omnibus de Iohanne, ne forte ipse esset Christus", et tamen multi hoc minime cogitaverunt, quia nec illi qui non credebant in Christum nec illi qui Iohannem non putaverunt prophetam.

Alia exempla innumera possunt adduci in quibus verbum generale non debet generaliter intelligi sed restringi. Dimittentur tamen ad presens omnia preter quedam pauca que de potestate et subieccione loquuntur, sed et verba Christi

---

2.8 omni] *omitted* Ed **10** debent] deberent MF **14** Duces] iudices W (see Friedberg's note) **16** trans] Mzb Ed: circa Fr S; *omitted* Mz **24** sed] sicut Ed

---

2.5 Matthei] 16:19 **9** verbo…10 comprehendi] Cf. Brev. 2.2.6-7, p. 112; AP 1.38-40, pp. 229-30. **10** Si Romanorum] D.19 c.1, col. 58; cf. gloss, s.v. dicendo, col. 81 | Sunt nonnulli] C.1 q.1 c.114, col. 402; cf. gloss, s.v. ab omni, col. 556 **11** Putant] C.14 q.3 c.2, col. 735. Cf. glosses to C.1 q. 3 c. 8, s.v. indefinite, col. 575; C.28 q.1 c.5, s.v. universalem, col. 1536; and *Digest*, 11.5.1.3, s.v. simpliciter (vol. 1, col. 1176). **12** verbum…40 subiecti] Cf. Brev. 2.14.31-48, p. 138; AP 5.28-44, p. 243; OQ 3.12.224-9, p. 119; Consult 246-53, p. 285; IPP 5.3-7, p. 289. **13** Ad nostram] X 2.24.21, col. 367; cf. gloss, s.v. in illis videlicet, col. 814 **14** Duces] C.1 q.1 c.23, col. 367; cf. gloss, s.v. bona, col. 507 **15** Sua nobis] X 2.28.65, col. 440; cf. gloss s.v. tercio appellare, col. 972. Cf. D. 75 c.5, s.v. ut quidquid, col. 363; C.16 q.1 c.67, s.v. divinis, col. 1128; D.95 c.6, s.v. omnia, col. 458; C.12 q.2 c.52, v. sine exceptione, col. 1002; X 1.3.15, col. 22. For attempts to reconcile the maxim "verbo generali omnia debent comprehendi" with the maxim "verbum generale sepe restringitur" see gloss to *Digest*, 6.2.8, s.v. pretium, vol. 1, col. 834; gloss to X 1.7.2, s.v. non invenitur, col. 215. **16** Matthei] 3:5-6 **18** Luce] 3:15

premissa. Ait itaque Apostolus ad Ephesios 5º: "Ut ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus", ubi verbum "in omnibus" non debet generaliter absque omni excepcione eciam quoad licita intelligi, quia uxores non sunt in omnibus licitis subiecte viris, cum quoad multa licita vir et uxor ad paria iudicentur (Extra, *De divorciis*, c. *Gaudemus*). Apostolus eciam ad Colossenses 3º ait: "Filii, obedite parentibus per omnia", et post: "Servi, obedite per omnia dominis carnalibus"; et ad Ephesios 6º ait: "Servi, obedite dominis carnalibus cum omni timore et tremore"; et 1ª ad Timotheum 6º: "Quicumque sunt sub iugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur"; et ad Titum 2º: "Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes". Et 1ª Petri 2º sic legitur: "Subiecti estote omni humane creature propter deum", et post: "Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis sed eciam discolis". Et 1ª ad Timotheum 2º ait Apostolus: "Mulier in silencio discat cum omni subieccione". In quibus omnibus verba generalia non debent generaliter absque omni excepcione intelligi, quia in multis nec mulieres viris nec filii parentibus nec servi dominis nec fideles omnibus hominibus sunt subiecti; ergo consimiliter per hoc, quod Christus dixit Petro: "Quodcumque ligaveris", et cetera, non potest inferri quod omnes mortales in omnibus absque omni excepcione successoribus beati Petri sunt subiecti, ut in omnes homines, quoad omnia de se licita, plenitudinem tam in temporalibus quam in spiritualibus habeant potestatis.

Magister: Ista obieccio duobus modis repellitur. Primo quia si, secundum canones sacros, ubi canon non excipit aut diffinit aut determinat nec nos excipere nec diffinire nec determinare debemus (31ª, q. 1ª, *Quod si dormierit*; 2ª, q. 5ª, *Consuluisti*; dist. 55ª, *Si evangelica*), multo forcius ubi Dominus non excipit, diffinit vel determinat nec nos excipere, diffinire nec determinare debemus. Sed Christus, concedendo Petro potestatem super omnes, nichil excepit nec diffinivit nec determinavit, sed indistincte et generaliter dixit, "Quodcumque ligaveris", et cetera; igitur nec nos aliquid debemus ab eius potestate excipere aut eam aliquo modo diffinire vel determinare. Petrus igitur in omnibus temporalibus et spiritualibus accepit a Christo plenitudinem potestatis.

---

25 Ut] sicut S **32** omni] *omitted* S **34** omnibus] esse *added* Ed **36** timore] tempore Ly **42** inferri] intelligi Ed **43** sunt] sint Ed **44** habeant] habeat Fr Pz **47** nos] Fr: *omitted* W **51** excepit] excipit MF | diffinivit] diffinit MF

---

25 ad Ephesios] 5:24 **29** Gaudemus] X 4.19.8, col. 723 **30** ad Colossenses] 3:20, 22 **31** ad Ephesios] 6:5 **32** 1 ad Timotheum] 6:1 **33** ad Titum] 2:9 **34** 1 Petri] 2:13, 18 **37** 1 ad Timotheum] 2:11 **48** Quod si domierit] C.31 q.1 c.13, col. 1112; cf. gloss, s.v. nec nos definiedum est, col. 1586. Cf. AP, 6.142-8, p. 246. **49** Consuluisti] C.2 q.5 c.20, col. 462; cf. gloss, s.v. supersticiosa, col. 649 | Si evangelica] D.55 c.13, col. 218; cf. gloss, s.v. excepisse, col. 290

Amplius, beneficium principis largissime interpretandum est (Extra, *De simonia*, c. ultimo; Extra, *De decimis*, *Ex parte*). Igitur et potestas collata Petro a principe principum Christo largissime interpretanda est, ut ab eius potestate nec in spiritualibus nec in temporalibus aliquid penitus subtrahatur.

Secundo repellitur obieccio suprascripta auctoritate Innocencii 3ii, qui, ut legitur Extra, *De maioritate et obediencia*, c. *Solite*, ait: "Dominus dixit ad Petrum, et eciam Petrus dixit ad successores: 'Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in celis', et cetera, nichil excipiens qui dixit: 'Quodcumque'". Ex quibus verbis colligitur quod a potestate data a Christo beato Petro et successoribus eius neque in temporalibus neque in spiritualibus aliquid est excipiendum. Habet igitur papa talem plenitudinem potestatis a Christo.

Capitulum 3

Discipulus: Super premissam auctoritatem Salvatoris postea revertemur. Ideo alias allegaciones adducas.

Magister: Quod papa habet in temporalibus et spiritualibus talem plenitudinem potestatis probatur. Ille cui ex precepto divino est in omnibus obediendum et in nullo penitus resistendum habet immediate a deo huiusmodi plenitudinem potestatis. Pape autem ex precepto divino obediendum est in omnibus et in nullo resistendum penitus, teste Gregorio qui, ut habetur dist. 12a, c. *Preceptis*, ait: "Preceptis apostolicis non dura superbia resistatur, et per obedienciam que a sancta Romana ecclesia et apostolica auctoritate iussa sunt salutifere impleantur"; et infra: "Cuius auctoritatis sanccionem omnes teneant sacerdotes qui nolunt ab apostolice petre, super quam Christus universalem ecclesiam fundavit, soliditate divelli". Ex quibus verbis colligitur quod propter auctoritatem concessam a Christo Romane ecclesie est ei in omnibus obediendum et in nullo penitus resistendum.

Hoc eciam Stephanus papa, ut habetur dist. 19a, c. *Enimvero*, videtur assere-re cum ait: "Enimvero in speculum et exemplum sancta Romana ecclesia, cui nos Christus preesse voluit, [posita est]; <ab> omnibus quicquid statuit et quicquid ordinavit perpetuo et irrefragabiliter observandum est", et cetera. Ex

---

57 decimis] dictis W **60** suprascripta] supradicta Ed **61** Solite] sane W (Solite 4.82) **62** eciam Petrus] in petro S | successores] ipsius *added* S **3.9** et] sed S **10** ecclesia] omitted S **11** auctoritatis] auctori Pz, auctoritate Ly **12** ab] *omitted* Ed **14** ei] *omitted* Ly **17** Enimvero] quia *added* S **18** posita est] S: ab W | ab] W: *omitted* S

---

57 ultimo] X 5.3.46, col. 767; cf. gloss, s.v. abbates, col. 1646 | Ex parte] X 3.30.27, col. 565; cf. gloss, s.v. conceditur, col. 1229. **61** Solite] X 1.33.6, col. 198 **3.8** Preceptis] D.12 c. 2, col. 27 **16** Enimvero] D.19 c.4, col. 61

quibus verbis colligitur quod propter ordinacionem Christi Romane ecclesie obediendum est in omnibus.

Hinc Leo papa, ut habetur eadem distinccione, c. *Ita dominus*, ait: "Huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi a quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet"; et infra: "Hanc petre istius sacratissimam firmitatem, Deo, ut diximus, edificante constructam, nimis impia vult presumpcione violare, quisquis eius potestatem temptat [infringere]". Ex quibus verbis datur intelligi quod qui potestati Petri et successorum eius aliquo modo inobediens invenitur dei ordinacionem infringit; quare ex ordinacione Christi est quod pape obediendum est in omnibus.

Quod eciam racione probatur, quia illi ex ordinacione Christi obediendum est in omnibus cuius omnia precepta accipienda sunt tamquam divina voce prolata; sed omnia precepta pape, sicut et sancciones eius, accipienda sunt tamquam divina voce prolata (dist. 19ª, *Sic omnes*). Ergo ex ordinacione dei est ei obediendum in omnibus.

Amplius, illi ex precepto dei est in omnibus obediendum qui absque heresi non potest esse scismaticus, et omnes alii possunt esse scismatici tamquam ab illo divisi; sed papa non potest esse scismaticus nisi fiat hereticus; omnes autem alii possunt esse scismatici, licet non statim sint heretici. Ergo pape ex precepto dei est in omnibus obediendum.

Maior probatur per hoc, quod ille cui non est obediendum ex precepto dei in omnibus potest multa precipere in quibus alii sibi obedire non tenentur. Quare propter precepta huiusmodi, in quibus sibi non tenentur obedire, potest inter precipientem et illos quibus fiunt precepta huiusmodi oriri discordia, divisio, dissensio et scissura et, per consequens, scisma, quia scisma, quod Grecum nomen est, scissuram notat (24ª, q. 1ª, c. *Scisma*). In illo igitur casu vel precipiens, vel illi quibus fiunt huiusmodi precepta, est scismaticus vel scismatici. Sed illi quibus fiunt precepta huiusmodi non sunt scismatici, cum non sint, non obediendo, aliquo crimine irretiti, ex quo nullatenus obedire tenentur. Quare

26 firmitatem] fraternitatem MF | Deo] domino S | diximus] duximus Pz **27** quisquis] quisque Ed **28** infringere] S: *gap* Mz, contraire Ly, *omitted* Fr Pz **32** Christi] *omitted* Ly **34** omnia] *omitted* MF **49** huiusmodi] *omitted* Ed

22 Ita dominus] D.19 c. 7, col. 62 **35** Sic omnes] D. 19 c. 2, col. 60 **47** Scisma] C.24 q.1 c. 34, col. 979

precipiens est scismaticus reputandus propter iniusta precepta, licet non fiat hereticus.

Minor quoad primam partem, scilicet quod papa absque heresi non possit esse scismaticus, probatur per hoc, quod scismaticus dicitur ille qui ab ecclesie universalis unitate recedit (24ª, q. 1ª, *Scisma*, et c. *Loquitur dominus*, et c. *Alienus*, et c. *Quia ex sola*). Sed papa, nisi fiat hereticus, ab universalis ecclesie unitate non recedit, cum ab ipso, quamdiu manet in fide Petri, unitas universalis ecclesie incipiat (24ª, q. 1ª, *Loquitur dominus*). Ergo papa, nisi fiat hereticus, scismaticus esse non potest.

Secunda pars minoris patet, quia omnis alius a papa absque heresi, saltem in principio, non obediendo universali ecclesie in hiis in quibus tenetur potest fieri scismaticus.

Ex hiis colligitur quod, ex precepto dei seu ex ordinacione Christi, Petro et successoribus eius est in omnibus obediendum et in nullo penitus resistendum. Igitur ex ordinacione Christi papa habet tam in temporalibus quam in spiritualibus plenitudinem potestatis, ut omnia possit que non sunt de se illicita, ita ut per solam humanam ordinacionem vel voluntatem non possunt fieri illicita.

Discipulus: Priusquam ad alias allegaciones procedas, refer quare dicitur quod papa ex ordinacione Christi omnia potest "que non sunt de se illicita", et cetera.

Magister: Hoc dicitur propter vota, iuramenta, promissiones, pacta et alia quecumque per que homines se obligant ad illa ad que alias minime obligantur, quia per talia in nullo penitus derogatur potestati pape quin, talibus quibuscumque non obstantibus, omnia possit et in omnibus sit obediendum ei, eo quod in omnibus talibus potestas et auctoritas pape intelligitur semper excepta (Extra, *De iureiurando*, *Veniens*; Extra, *De eleccione*, *Significasti*).

Capitulum 4

Discipulus: De ista materia in speciali tangemus in diversis locis. Ideo alias allegaciones adducas.

---

60 minoris] Fr: manifeste W | alius] *omitted* Ed **68** Priusquam] Frb Ly: super quam W

---

55 Scisma] C.24 q.1 c. 34, col. 979 | Loquitur dominus] C.24 q.1 c.18, col. 971 **56** Alienus] C.24 q.1 c.19, col. 972 | Quia ex sola] C.24 q.1 c.22, col. 974 **58** Loquitur dominus] C.24 q.1 c.18, col. 971 **75** Veniens] X 2.24.16, col. 364 | Significasti] X 1.6.4, col. 49; cf. gloss, s.v. excipiatur auctoritas, col. 112

Magister: Quod papa habeat ex ordinacione dei talem plenitudinem potestatis probatur. Quia ille qui omnibus legibus positivis est solutus habet talem plenitudinem potestatis, quia qui non habet talem plenitudinem potestatis aliqua lege humana potest constringi, eo quod non habet potestatem supra omnes leges humanas. Papa autem legibus est solutus ita quod est supra omnes leges humanas, cum eciam leges imperiales possit dissolvere, sicut plures canones videntur asserere (dist. 19ª, *Quicumque*). Ergo papa habet ex ordinacione dei talem plenitudinem potestatis.

Amplius, vicarius Christi habet plenitudinem potestatis ex ordinacione eiusdem Christi, cum Christus habuerit huiusmodi plenitudinem potestatis et, in committendo Petro vices suas, nichil in talibus sibi interdixit. Ergo papa habet talem plenitudinem potestatis ex ordinacione Christi, cum sit Christi vicarius.

Rursus, papa habet plenitudinem potestatis, et non habet aliquam potestatem ab homine; ergo ex sola ordinacione dei habet plenitudinem potestatis. Maior colligitur et habetur ex diversis canonibus sacris (2ª, q. 6ª, c. *Decreto*, et c. *Qui se scit*). Eciam diversi canones sacri videntur asserere [minorem]. Unde Innocencius 3ᵘˢ, ut habetur Extra, *De iudiciis*, *Novit*, ait: “Cum enim non humane constitucioni sed divine pocius innitamur, quia potestas nostra non est ex homine sed ex deo, nullus qui sit sane mentis ignorat quin ad officium nostrum spectet de quocumque peccato mortali corripere quemlibet Christianum”. Et beatus Anacletus, ut habetur dist. 22ª, c. *Sacrosancta*, ait: “Hec vero apostolica sedes caput et cardo, ut prefatum est, a Domino et non ab alio constituta”, et cetera. Ex quibus verbis colligitur quod papa nullam potestatem habet ab homine. Quod eciam racione videtur posse probari. Nam nullus est dicendus hereticus propter hoc, quod negat a quocumque potestatem quam a solo homine habere dinoscitur, quia talis, licet erret, non tamen errat contra scripturam sacram, que non est ab homine sed a deo. Sed qui negat a papa potestatem suam est hereticus reputandus, ut testatur Nicolaus papa secundum quod habetur dist. 22ª, c. 1º. Ergo papa a solo deo recipit potestatem.

Item, quod papa a deo habeat plenitudinem potestatis ostenditur. Nam ab eodem habet Romanus pontifex plenitudinem potestatis et potestatem concedendi indulgencias, ut innuitur Extra, *De penitenciis et remissionibus*, *Cum ex eo*, in

---

4.5 ille] *omitted* Ly **15** plenitudinem] ordinacionem Ed **16** et] sed Ly **17** Maior] minor Ly **19** scit] in iure MF | asserere minorem] Kilcullen: asserere W **33** a deo] *omitted* Pz

---

4.10 Quicumque] D.9 c.1 § 1 Quicumque, col. 16 **18** Decreto] C.2 q.6 c.11, col. 469 | Qui se scit] C.2 q.6 c.12, col. 469 **20** Novit] X 2.1.13, col. 243 **24** Sacrosancta] D.22 c. 2, col. 74 **35** Cum ex eo] X 5.38.14, col. 888

fine. Sed Romanus pontifex habet a solo deo, et non ab homine, potestatem concedendi indulgencias. Ergo a solo deo habet plenitudinem potestatis.

Item, ille habet a deo plenitudinem potestatis de cuius iudicio et potestate non est licitum iudicare nec eciam disputare, in dubium revocando potestatem eiusdem. Quia de potestate eius qui non habet a deo plenitudinem potestatis licet hominibus disputare et inquirere, dubitando quam potestatem habet et quam non habet; de cuius eciam iudicio licet iudicare, si non secundum potestatem sibi concessam sed usurpatam presumpserit iudicare. Sed nemini licet iudicare vel eciam dubitando de iudicio et potestate summi pontificis disputare. Ergo a deo habet plenitudinem potestatis.

Maior videtur evidens, minor per auctoritates diversas ostenditur. Ait enim Nicolaus papa, ut habetur 9ª, q. 3ª, *Patet*: "Patet profecto sedis apostolice, cuius auctoritate maius non est, iudicium a nemine fore retractandum; nec cuiquam de eius liceat iudicare iudicio". Et Gelasius papa, ut habetur eadem causa et quescione, c. *Ipsi*, ait: "Nec de eius umquam preceperunt iudicari iudicio, sentenciamque eius constituerunt non oportere dissolvi, cuius pocius sequenda decreta mandaverunt". Et 17ª, q. 4ª, *Qui autem*, sic scribitur: "De iudicio summi pontificis alicui disputare non licet"; et ibidem sic legitur: "Committunt eciam sacrilegium qui contra divine legis sanctitatem aut nesciendo committunt aut negligendo violant et offendunt, aut qui de principali iudicio <certant et> disputant". Et eadem causa et questione, c. *Nemini*, <ubi> dicit Nicolaus papa: "Nemini de sedis apostolice iudicio iudicare aut illius sentenciam retractare permissum est, videlicet propter ecclesie Romane primatum Christi munere in beato Petro apostolo divinitus collocatum". Ex hiis atque aliis multis colligitur quod propter potestatem concessam a Christo Romane ecclesie nemini licet iudicare aut disputare de eius iudicio aut potestate. Ergo habet a Christo plenitudinem potestatis.

Quod adhuc tali racione probatur. Ab eodem habet papa plenitudinem potestatis a quo habet claves regni celorum; sed claves regni celorum habet a Christo; ergo et plenitudinem potestatis habet a Christo. Minor ex verbis Christi, cum dixit Petro, Matthei 16º, "Tibi dabo claves regni celorum", habetur aperte.

---

40 potestatis…42 habet] *omitted* Ed **44** disputare] *omitted* MF **46** evidens] Scott: eiusdem MF, esse eiusdem Ed **47** Patet[2]] *omitted* Ed | profecto] perfeccio MF **55** certant et] *omitted* S **56** Nemini[1]] Kilcullen: nemini ubi W **58** in] eciam MF **59** collocatum] collatum Ly | propter] papa Ed **63** probatur] probetur Ed **65** Minor] patet *added* Ed **66** cum] que Ed | habetur aperte] *omitted* Ly

---

47 Patet[1]] C.9 q.3 c.10, col. 609 **50** Ipsi] C.9 q.3 c.16, col. 611 **52** Qui autem] C.17 q. 4 d.p.c.29 § 2, col. 823 **53** ibidem] § 1, col. 822 **56** Nemini[1]] C.17 q.4 c.30, col. 823 **66** Matthei] 16:19

Maior probatur, quia omnis potestas quam habet papa spectat ad claves, eo quod omnis potestas pape aut est ordinis aut iurisdiccionis. Potestas autem quam habet racione ordinis spectat ad claves secundum omnes. Potestas eciam quam habet racione iurisdiccionis spectat ad claves, teste Augustino, qui scribens ad Bonifacium, ut habetur dist. 50ª, c. *Ut constitueretur*, ait: "Ut constitueretur in ecclesia ne quisquam post alicuius criminis penitenciam clericatum accipiat vel ad clericatum redeat vel in clericatu maneat, non desperacione indulgencie sed rigore factum est discipline. Alioquin contra claves datas ecclesie agitur, de quibus dictum est: 'Quodcumque solveris super terram erit solutum et in celis'". Ex quibus verbis colligitur quod potestas puniendi criminosos, que competit ecclesie racione iurisdiccionis, non ordinis, spectat ad claves ecclesie. Ergo racione consimili omnis alia potestas que competit ecclesie racione iurisdiccionis spectat ad easdem claves.

Adhuc, quod papa habeat a Christo immediate plenitudinem potestatis probatur. Quia cui ab aliquo concessum est maius, ab eodem et minus concessum esse videtur (Extra, *De decimis*, *Ex parte*; 27ª, q. 2ª, *Sunt qui dicunt*). Sed maius est dispensare contra Dominum et contra Apostolum quam posse ea que nec sunt contra legem divinam nec contra ius nature. Papa autem habet a Christo potestatem dispensandi contra Dominum et contra Apostolum, teste glossa, que 25ª, q. 1ª, super capitulum *Sunt quidam*, ait: "Satis potest sustineri quod papa contra Apostolum dispensat, non tamen in hiis que pertinent ad articulos fidei; et eodem modo dispensat in evangelio interpretando ipsum, ut Extra, *De testibus*, *Licet*, in fine". Hoc eciam probat[ur] exemplis. Nam papa dispensat contra Dominum in iuramento et in voto. Nam dicit Dominus per prophetam, "Vovete et reddite", et Matthei 5º, "Redde autem Domino iuramenta tua"; et tamen in hiis dispensat papa (15ª, q. 6ª, *Iuratos*; Extra, *De voto*, in multis capitulis). Ergo multo forcius papa potest omnia que non sunt contra legem dei nec contra ius nature.

Preterea, ille habet plenitudinem potestatis ut omnia possit cuius sentencia sive iusta sive iniusta est timenda. Quia cuius sentencia sive iniusta sive iusta est

74 agitur] disputabitur S **75** Quodcumque…celis] Quecumque solveritis in terra soluta erunt et in celo S **77** racione] romane Ed **80** Adhuc] *omitted* Ly **82** esse] *omitted* Ed **83** Dominum] deum Ed **85** Dominum] deum Ed **88** ut] et Ed | testibus] foro competenti W **89** probatur] Gs: probat W **90** Dominum] deum Ed | dicit] Fr: *omitted* W **91** Redde] reddes S, redeant Ly | autem] *omitted* S Ly **92** in multis capitulis] c. in multis Ly **96** Quia…97 timenda] et Ed

71 Ut constitueretur[1]] D. 50 c.25, col. 187 **82** Ex parte] X 3.30.27, col. 565 | Sunt qui dicunt] C.27 q.2 c.19, col. 1067. The canon does not support the point. It says: "Qui minora concessit, maiora non prohibuit". **85** glossa] C.25 q.1 c.6, gloss s.v. apostoli, col. 1439 **90** prophetam] Ps. 75(76):12 **91** Matthei] 5:33 **92** Iuratos] C.15 q.6 c.5, col. 756 | De voto] X 3.34, col. 589

timenda, eiusdem preceptum sive iustum sive iniustum est timendum et servandum; sed sentencia pape sive iusta sive iniusta est timenda (11ª, q. 3ª, *Sentencia*); ergo papa omnia potest.

Adhuc, ille qui a nemine debet reprehendi pro quocumque facto habet plenitudinem potestatis a Christo ut omnia possit. Quia si non haberet talem plenitudinem potestatis posset excedere potestatem suam et per consequens in talibus peccare. Quilibet autem peccator, eciam prelatus, potest et debet corripi et reprehendi de omni peccato, maxime si non timetur probabiliter quod ex correccione fiet deterior, iuxta illud evangelii: "Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et illum solum", et cetera, quod ad omnes extenditur, ut ex sacris canonibus colligitur. Papa autem a nemine debet reprehendi seu corripi (dist. 40ª, *Si papa*). Ergo papa habet plenitudinem potestatis ut omnia possit; sed non habet talem plenitudinem potestatis ab homine; ergo habet eam a Christo.

Amplius, qui non potest contra fidem errare habet plenitudinem potestatis a deo ut omnia possit. Quia qui non potest contra fidem errare non potest errare contra bonos mores et, per consequens, quicquid fecerit irreprehensibile est et licite factum; et ita omnia potest que vult. Papa autem non potest errare contra fidem, ad quod probandum adducte sunt allegaciones plures in prima parte huius dialogi, libro 5º, c. 4º. Ergo papa habet a Christo plenitudinem potestatis.

Preterea, qui habet a Christo plenitudinem potestatis super concilium generale habet eciam multo forcius a Christo plenitudinem potestatis super omnes alios. Papa autem habet a Christo plenitudinem potestatis super concilium generale. Talem autem potestatem non habet a concilio generali, cum unum concilium non possit alii legem vel subieccionem imponere, quia non habet imperium par in parem. Ergo si habet eam, habet ipsam ab aliquo superiori concilio generali; superior autem non est nisi Christus. Ergo si papa habet talem plenitudinem potestatis super generale concilium habet ipsam a Christo.

Restat ergo probare quod papa habeat talem potestatem super concilium generale, quod per auctoritates manifestas videtur ostendi. Ait enim Pascasius papa, ut habetur Extra, *De eleccione*, *Significasti*: "Cum omnia concilia per ecclesie Romane auctoritatem et facta sint et robur acceperint, et in eorum statutis Romani pontificis patenter excipiatur auctoritas". Et Gracianus, 25ª, q. 1ª, *Si ergo*, ait: "Sacri canones ita aliquid constituunt, ut sue interpretacionis

103 peccare] peccaret Ed **116** Preterea…potestatis] *omitted* Mz Pz **118** omnes] *omitted* Ed **124** talem] plenitudinem potestatis id est talem *added* Ed **128** statutis] status Ly

98 Sentencia] C.11 q.3 c.1, col. 642 **105** illud evangelii] Mat. 18:15 **108** Si papa] D.40 c.6, col. 146 **126** Significasti] X 1.6.4, col. 50 **129** Si ergo] C.25 q.1 d.p.c.16 § 2, col. 1011

auctoritatem sancte Romane ecclesie conservent. Ipsi namque soli canones valent interpretari qui ius habent condendi eos. Unde in nonnullis capitulis conciliorum, cum aliquid observandum determinetur, statim subinfertur 'Nisi auctoritas Romane ecclesie [aliter imperaverit]', vel 'salva tamen in omnibus apostolica auctoritate'". Ex quibus aliisque quam multis colligitur quod papa habet super generale concilium plenitudinem potestatis. Ergo multo forcius habet plenitudinem potestatis super omnes alios.

Preterea, qui habet potestatem a Christo super ista que sunt contra naturalem equitatem multo magis habet potestatem a Christo super omnia licita que naturali non obviant equitati, quia, sicut prius tactum est, cui concessum est maius eciam minus concessum esse videtur. Sed papa habet potestatem super illa que naturali obviant equitati; ergo habet a Christo plenitudinem potestatis ut omnia possit que sunt licita et naturali equitati non obviant.

Maior videtur probacione minime indigere. Minor probatur, nam pueros qui seipsos nesciunt regere habere curam et regimen animarum naturali obviat equitati. Quia racio naturalis dictat quod qui nescit se regere non debet alios gubernare – immo et veritas evangelica hoc insinuat, cum Christus dicat Matthei 15°: "Cecus autem si ceco ducatum prestet, ambo in foveam cadunt". Hoc eciam Alexander 3us, sequens dictamen racionis recte, ut habetur Extra, *De etate et qualitate preficiendorum*, c. *Indecorum*, videtur innuere, dicens: "Indecorum est ut hii debeant ecclesias regere qui non noverunt gubernare se ipsos, cum ad ecclesiarum regimen tales persone sint admittende que discrecione preemineant et morum fulgeant honestate". Cui Gregorius 9us, ut habetur Extra, *De eleccione*, *Cum in magistrum*, concordare videtur dicens: "Cum in magistrum assumi non debeat qui formam discipuli non assumpsit, nec sit preficiendus qui subesse non novit", et cetera. Ex quibus aliisque quampluribus patet quod equitas naturalis exigit quod pueri, qui nec se nec alios regere sciunt, ad regimen et curam animarum assumi non debeant. Et tamen contra hanc naturalem equitatem potest papa precipere, teste glossa, que, ut habetur Extra, *De etate et qualitate preficiendorum*, super capitulum *Eam te*, ait: "Si ex certa sciencia scriberet papa pro minori, eius mandato esset obediendum, quia sacrilegii instar obtinet dubitare an

---

130 conservent] reservent S **132** determinetur] decernitur S **133** aliter imperaverit] S: obviet Ly, *omitted* W **134** multis] plurimis Ed **137** contra] super Ed **139** prius] Kilcullen: primo MF sicut…est[1]] *omitted* Ed **140** eciam] et Ed **145** nescit] *omitted* Mz **149** Indecorum[2]] indecoris Ly **154** debeat] debet Ed | sit] *omitted* Ly **156** quod] ut MF **157** debeant] Mz: debent W **160** quia] Fr S: qui Mz Ed

---

139 prius] above, this chaper, line 81 **146** Matthei] 15:14 **149** Indecorum[1]] X 1.14.3, col. 126 **153** Cum in magistrum[1]] X 1.6.49, col. 91 **158** glossa] X 1.14.4, s.v. litterarum, col. 266

is sit dignus quem princeps elegerit, 17ª, q. 4ª, § *Qui autem* et C., *De crimine sacrilegii*, l. 2ª". Hoc eciam Alexander 3us mandasse videtur, ut habetur Extra, *De etate et qualitate preficiendorum*, *Ex racione*, qui pueros infra decennium constitutos non removet ab ecclesiis que erant eis concesse per episcopum Conventrensem sed scienter tollerat eos et mandat ut tollerentur.

Capitulum 5

Discipulus: Pro predicta opinione allegaciones tetigisti, ut estimo, forciores; ideo pro ea ad presens alias non adducas, quia iste solventur patenter et ad alias posset forsitan leviter responderi. [Itaque explica quomodo ad istam opinionem potest responderi.]
Magister: Sunt nonnulli qui opinionem prescriptam falsam, periculosam, perniciosam ac hereticalem estimant, quod multipliciter probare conantur. Lex enim Christiana ex institucione Christi est lex libertatis respectu veteris legis, que respectu nove legis fuit lex servitutis. Sed si papa haberet a Christo talem plenitudinem potestatis ut omnia possit que non sunt contra legem divinam nec contra legem nature, lex Christiana ex institucione Christi esset lex intollerabilis servitutis, et multo maioris servitutis quam fuerit lex vetus. Ergo papa non habet a Christo talem plenitudinem potestatis tam in spiritualibus quam in temporalibus.

Maior auctoritatibus apertissimis scripture divine videtur posse probari. Beatus enim Iacobus in canonica sua, c. 1º , eam vocat legem perfecte libertatis dicens: "Quicumque perspexerit in lege perfecte libertatis et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus sed factor operis, hic beatus erit in facto suo". Et Apostolus ad Galatas ait: "Neque Titus, qui mecum erat, cum esset gentilis, compulsus est circumcidi; sed propter introductos falsos fratres, qui introierunt exploraturi libertatem nostram quam habemus in Christo Iesu, ut nos in servitutem redigerent, quibus nec ad horam cessimus subieccioni ut veritas evangelica permaneat apud vos". Ex quibus verbis datur intelligi quod lex evangelica est lex libertatis per quam Christiani a servitute sunt erepti, ultra in servitutem minime reducendi. Quod eciam Apostolus c. 5º videtur asserere dicens: "Utinam et abscindantur qui vos conturbant. Vos enim in libertatem

161 is] hiis Pz **5.2** ut] et Ed **3** et] Kilcullen: sed W | alias[2]] in contrarium *added* Ly
4 responderi…5 responderi] Scott: responderi W **17** Quicumque] qui autem S | perspexerit] Fr S: prospexerit Mz Ed | lege perfecte] legem perfectem Vulg Ma **20** introductos] subintroductos S | introierunt] MF: introierant Ed, subintroierunt S **21** exploraturi] explorare S **22** redigerent] redigent Mz | nec] neque S | subieccioni] subieccione S **23** evangelica[1]] evangelii S

163 Ex racione] X 1.14.2, col. 126 **5.16** Iacobus] 1:25 **19** ad Galatas] 2:3-5 **25** c. 5] 5:12-13

vocati estis, fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem succurrite invicem".

Item, beatus Petrus, ut habetur Actuum 15°, ait: "Quid temptatis deum imponere iugum super cervices discipulorum quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?" Ex quibus verbis colligitur quod Christianis non est tam grave iugum servitutis impositum sicut positum fuit super Iudeos. Unde et beatus Iacobus, ibidem post verba Petri, dixit, "Ego iudico non inquietari eos qui ex gentibus convertuntur ad deum, sed scribere ad eos ut abstineant se a contaminacionibus simulacrorum et fornicacione et suffocato et sanguine"; et hec sentencia Iacobi ab apostolis et senioribus, immo a Spiritu sancto, extitit approbata. Unde et ibidem subiungitur: "Tunc placuit apostolis et senioribus cum omni ecclesia eligere viros ex eis et mittere Antiochiam cum Paulo et Barnaba, Iudam qui cognominabatur Barsabas, et [Silam], viros primos in fratribus, scribentes per manus eorum" epistolam continentem hec: "Apostoli et seniores fratres"; et post, "Visum est Spiritui sancto et nobis nichil ultra imponere vobis oneris quam hec necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato et fornicacione, a quibus custodientes vos bene agetis". Ex quibus verbis colligitur quod Christiani per legem evangelicam sunt a servitute multiplici liberati, et quod lex evangelica est lex minoris servitutis quam fuerit lex vetus. Quod Augustinus ad inquisiciones Ianuarii, ut habetur dist. 12ª, c. *Omnia*, videtur innuere manifeste, dicens de quibusdam qui Christianam religionem servitute nimia oppresserunt: "Quamvis enim neque hoc inveniri possit quomodo contra fidem sint, ipsam tamen religionem, quam paucissimis et manifestissimis celebracionum sacramentis misericordia dei voluit esse liberam, servilibus oneribus premunt, adeo ut tollerabilior sit condicio Iudeorum, qui, eciam si tempus liberacionis non agnoverint, legalibus tamen sacramentis, non humanis presumpcionibus, subiciuntur".

Item, Apostolus ad Galatas 4°: "Non sumus ancille filii sed libere, qua libertate Christus nos liberavit. State et nolite iterum iugo servitutis contineri". Et Apostolus 2ª ad Corinthios 3°: "Ubi autem spiritus Domini, ibi libertas". Ex quibus omnibus colligitur quod maioris libertatis est lex nova quam vetus.

---

28 succurrite] spiritus servite S **32** sicut] sed MF | et] *omitted* Ed **33** ibidem] idem Fr Pz **35** suffocato] suffocatis S | et[3]] *omitted* Ed **39** Silam] S: *gap* Mz; *omitted* Fr Ed **42** oneris] onerum Ed | vos] *omitted* Ed **44** verbis] *omitted* Ed **51** servilibus] quemlibet MF **52** eciam si] S: etsi ad MF, etsi iam Ed | liberacionis] libertatis S | agnoverint] Mz: agnoverunt Fr Ed, cognoverint S **56** autem] Ed S: est MF

---

29 Actuum] 15:10 **33** ibidem] 15:19-20 **37** ibidem] 15:22-23, 28-29 **47** Omnia] D.12 c.12, col. 30 **54** ad Galatas] 4:31–5:1 **56** 2 ad Corinthios] 3:17

Minor autem predicte allegacionis — quod scilicet lex nova sive evangelica esset intollerabilis servitutis, et maioris quam fuerit lex vetus, si papa haberet ex institucione Christi talem plenitudinem potestatis tam in spiritualibus quam in temporalibus — videtur probacione nullatenus indigere. Si enim hoc esset, omnes Christiani essent servi, et nullus esset libere condicionis. Omnes enim essent servi summi pontificis, ut summus pontifex tantam potestatem in temporalibus haberet super imperatorem et reges et principes et laicos universos ac omnes omnino Christianos, et quantum ad personas et quantum ad res ipsorum, quantam umquam aliquis dominus temporalis habuit, vel habere potuit, super quemcumque servum, ita quod papa libere posset privare reges et principes ac omnes alios Christianos regnis et omnibus rebus suis et retinere sibi vel alteri ferre, possetque reges et principes quibuscumque aliis subdere et constituere eos servos ipsorum. Hec enim et similia non sunt contra legem divinam nec contra legem nature, quia si essent contra legem divinam vel contra legem nature ipsismet regibus et aliis Christianis essent illicita; et per consequens nulli liceret res suas alteri dare vel se alterius subicere potestati. Et ita constat quod lex Christiana esset maioris servitutis, quoad temporalia, quam lex vetus, si papa in temporalibus haberet huiusmodi plenitudinem potestatis, quia illi qui erant sub lege Mosaica nulli mortali erant in temporalibus tali modo subiecti, quia tale dominium nec rex nec summus pontifex habebat; unde et Naboth Iezrahelite laudabiliter denegavit dare et vendere vineam suam regi cupienti emere ipsam.

Esset eciam lex evangelica maioris servitutis, quoad spiritualia sive quoad illa que pertinent vel pertinere possunt ad exteriorem cultum divinum, quam fuerit lex Mosaica. Quia papa haberet talem plenitudinem potestatis in spiritualibus; ergo posset papa de plenitudine potestatis plures et graviores huiusmodi observancias corporales imponere regibus et principibus ac omnibus Christianis quam fuerint in lege veteri ordinate, nec cuicumque Christiano liceret in huiusmodi non obedire, si papa haberet talem plenitudinem potestatis.

Ex istis concluditur quod predicta opinio de plenitudine potestatis summi pontificis non solum falsa sed eciam hereticalis est habenda, cum sit manifeste contra scripturam sacram asserentem quod lex Christiana est lex libertatis, et per consequens Christiani non fiunt servi cuiuscumque mortalis per legem Christia-

---

63 ut] et Ly **65** personas] personam Ly **66** aliquis] *omitted* Ed **68** suis…69 possetque] *omitted* Ed | alteri] Scott: alcius MF **72** nulli] nullis Ed **73** alteri] aliter Pz **77** habebat] habebant Ed Iezrahelite] israelites W **79** evangelica] Frm: mosaica Mz, moysaica *deleted* Fr, moderna Ed **80** pertinent vel] *omitted* Mz **81** Quia] si *added* Ed | in…82 potestatis] *omitted* Ed **82** ergo] Scott: sed MF **83** imponere] imponeret Ed

---

58 predicte] 5.9 **77** Naboth] Cf. 3 Kgs. 21

nam sed liberi sunt quantum est de racione evangelice legis. Est eciam, ut dicunt, perniciosa et periculosa, quia, si papa uteretur tali potestate privando reges et alios Christianos regnis et rebus suis pro sue voluntatis arbitrio et eos subiciendo servituti vel operibus servilibus, orirentur scismata et dissensiones, bella ac guerre inter Christianos, eciam periculum et dispendium tocius Christianitatis.

Capitulum 6

Discipulus: Quia, ut puto, istud est principalius vel de principalioribus fundamentis et motivis quare quidam dicunt quod papa non habet talem plenitudinem potestatis, ideo contra ipsum volo obicere, ut responsionibus quas recitabis ad obiecciones contra ipsum quale sit magis appareat.

Videtur itaque quod lex Christiana non dicatur in scripturis sacris lex libertatis quia per eam Christiani fiant liberi ne sint subiecti in omnibus summo pontifici, quod innuit precedens motivum, sed dicitur lex libertatis quia per eam Christiani efficiuntur liberi a servitute peccati vel legis Mosaice. Unde et plures auctoritates adducte expresse loquuntur de libertate a servitute legis Mosaice, sicut illa ad Galatas 2º et 5º et illa Actuum 15º et illa ad Galatas 4º. Alie autem auctoritates intelligi possunt de libertate a servitute peccati. Igitur per ipsas probari non potest quod Christiani per legem Christianam efficiuntur liberi a servitute qua tenentur summo pontifici, ne scilicet in omnibus temporalibus et spiritualibus sint sibi subiecti que non sunt contra legem dei nec contra legem nature.

Unde et quod auctoritates scripture divine non debeant intelligi de libertate et subieccione qua subduntur Christiani summo pontifici racione probatur. Nam, si lex Christiana esset taliter lex libertatis, nulli liceret se subdere summo pontifici vel alii cuicumque mortali [in hiis] que non sunt contra legem dei nec contra legem nature, quia nulli licet agere contra legem Christianam; et ita, si, ut quidam dicunt, fratres minores per regulam suam tenentur in omnibus obedire summo pontifici, eorum regula esset hereticalis, quia esset contra legem Christianam, que est lex libertatis liberans Christianos ne homini sint subiecti.

Amplius, secundum beatum Iacobum, ut allegatum est, lex Christiana est lex perfecte libertatis; perfecta autem libertas omni servituti repugnat; ergo, si lex Christiana est lex libertatis liberans Christianos ne homini sint subiecti, sequitur

6.2 principalioribus] principalibus Ed **7** summo pontifici] summi pontificis MF **20** mortali…hiis] Kilcullen: mortali W | que…21 Christianam] *omitted* Ed

6.25 allegatum] 5.17–18

quod nullus debet esse servus hominis cuiuscumque, et ita reges et principes et alii laici et eciam ecclesia nullos servos haberent, quod legibus civilibus et sacris canonibus obviat manifeste.

Propter ista videtur quod motivum prescriptum non probat quod papa non habeat plenitudinem potestatis tam in spiritualibus quam in temporalibus. Tu autem narra quomodo respondetur ad ista.

Capitulum 7

Magister: Ad primum istorum dicitur, quod quamvis alique auctoritates specialem faciant mencionem de libertate a servitute Mosaice legis, tamen omnes intelligi debent de libertate ab omni servitute tanta quanta fuit servitus Mosaice legis, et hoc, saltem quoad aliqua, negative, ut scilicet nullus per evangelicam legem obligetur ad tantam servitutem quanta fuit servitus veteris legis, licet aliqui Christiani, racione delicti vel ex voluntate seu alia quacumque occasione (non per legem Christianam), tanta servitute vel maiori teneantur astricti.

Si enim Christiani quacumque servitute, quoad opera exteriora, tanta vel maiori quanta fuit servitus veteris legis per legem evangelicam tenerentur, non posset lex evangelica magis dici lex libertatis quam lex Mosaica, quantumcumque liberati essent a servitute Mosaice legis. Qui enim liberatur ab una servitute et premitur alia equali vel maiori non est magis liber quam prius extiterat, sicut qui liberatur ab uno vinculo corporali et alio equali vel forciori constringitur non est solutus, sed magis ligatus. Cum vero lex evangelica, secundum veritatem scripture divine, sit magis lex libertatis quam vetus lex, per legem evangelicam Christiani neque servituti legis Mosaice neque cuicumque alii servituti exteriori maiori vel tante quanta fuit servitus veteris legis subduntur. Quare eciam auctoritates ille que occasione servitutis veteris legis de libertate Christianorum loquuntur, de libertate ab omni servitute tanta quanta fuit servitus veteris legis debent intelligi. Quare, cum servitus qua aliquis alteri obligatur in omnibus obedire que non sunt contra legem divinam nec contra legem nature sit maior quam fuerit servitus veteris legis, eciam de libertate ab illa servitute auctoritates prescripte debent intelligi. Et ita, ut dicunt isti, per ipsas probatur aperte quod memorata opinio de plenitudine potestatis summi pontificis est hereticalis, tamquam contraria scripture divine.

7.2 alique] *omitted* Ed **4** de libertate] *omitted* Ly **5** aliqua] Ly: aliquos W **8** non] tamen *added* Ly | astricti] afflicti MF

7.2 primum] 6.6

Discipulus: Antequam procedas, contra ista obicio, quia non videtur quod, quamvis papa haberet huiusmodi plenitudinem potestatis, Christiani essent pressi maiori servitute vel tanta quanta fuit servitus veteris legis. Nam talem potestatem habent aliqui prelati religiosi super fratres suos, vel possunt habere, quia possunt aliqui religiosi promittere in omnibus obedienciam prelatis suis; et tamen illi religiosi non premerentur tanta servitute quanta fuit servitus veteris legis, quia nec tales religiosi essent servi: non enim religiosi sunt servi prelatorum suorum, nec prelati sunt domini fratrum suorum.

Magister: Huic respondetur quod, quamvis papa possit habere talem potestatem supra illum qui voluerit fieri servus pape et se in omnibus subdere potestati ipsius, tamen nec papa nec aliquis prelatus religiosus habet talem potestatem super quoscumque religiosos, qui scilicet vovent vel voverunt obedienciam, paupertatem et castitatem, quia religiosi tales quicumque regulam quam vovent servare tenentur. Propter quod nec papa nec alius habet talem plenitudinem potestatis super ipsos, nec ipsi sunt servi pape vel prelati alterius secundum quod nomen servorum in scienciis legalibus frequenter accipitur, quia nec papa nec alius potest eos occupare in operibus servilibus, dimissis illis que spectant ad substanciam regule sue, nec potest eis precipere ut habeant proprium vel contrahant matrimonium, que tamen sunt de se licita, licet facta sint illicita religiosis per votum sponte ab eis emissum.

Discipulus: De potestate pape super religiosos postea disseremus; ideo de hac materia amplius ad presens non loquaris. Sed narra an secundum istos non solum per hoc, quod auctoritates introducte affirmant legem Christianam esse legem libertatis, sed eciam per alia verba in auctoritatibus eisdem accepta possit probari quod Christiani per legem evangelicam tanta servitute minime constringuntur quanta fuit servitus veteris legis.

Magister: Dicunt quod per omnes auctoritates predictas posset hoc probari, non tamen eque patenter per omnes.

Discipulus: Dic per quas dicunt isti hoc patencius posse probari.

Magister: Dicunt quod per auctoritatem acceptam de Actuum 15º c. patenter hoc probatur. Nam apostoli inspiracione Spiritus sancti nunciaverunt gentibus libertatem a iugo servitutis ad consolacionem ipsarum et ne dolerent se per servitutem onerosam inquietari. Unde Iacobus, ut allegatum est, dixit: “Ego

---

27 procedas] Scott: procedam W **30** possunt] possent Ed **32** fuit] fuerit Mz Pz **41** nec] ut Fr sunt] sint Fr **52** servitus] *omitted* Ed **53** omnes] *omitted* Ed **56** auctoritatem] *omitted* Ed

---

47 postea] 7.136–142 **59** Iacobus] Acts 15:19

iudico non inquietari eos qui ex gentibus convertuntur ad deum"; et de ipsis gentibus conversis ad deum, recepta epistola apostolorum [et] seniorum super predicta libertate, sic scribitur eodem capitulo: "Quam cum legissent, gavisi sunt super consolacione". Sed si conversi ex gentibus liberati fuissent a servitute legis dei et maiori servituti Petri et successorum eius fuissent subiecti, et de inquietacione maiori non immerito doluissent et materiam consolacionis minime habuissent. Ab omni igitur servitute maiori et tanta quanta fuit servitus legis Mosaice liberati fuerunt. Quod in verbis apostolorum insinuatur, cum dicitur: "Visum est Spiritui sancto et nobis nichil ultra imponere vobis oneris quam hec necessaria, ut abstineatis", et cetera. Si enim nichil ultra oneris voluerunt eis imponere, noluerunt eis imponere servitutem neque maiorem neque tantam quanta fuit servitus veteris legis.

Discipulus: Videtur quod ista verba "nichil ultra imponere vobis oneris" non debeant tam generaliter intelligi. Nam licet apostoli non imposuerint Christianis onera veteris legis, imposuerunt eis tamen multa preter illa que nominantur in verbis premissis. Multos enim canones condiderunt in quibus preceperunt multa preter illa que enumerantur in verbis predictis, sicut patet in decretis, dist. 16ª, c. *Propter*, et 12ª, q. 1ª, c. *Dilectissimis* et c. *Sint manifeste* et c. *Ex hiis*. Verba igitur premissa Actuum 15º solummodo debent intelligi de onere legis Mosaice.

Magister: Ad hoc respondetur quod, licet apostoli plures canones condiderint et preceperint multa preter illa que enumerantur Actuum 15º, nichil tamen preceperunt subditis minime requisitis et non consencientibus, nisi que erant de lege divina et iure naturali et que necessitas vel utilitas publica postulabat et quorum precepcio absque dispendio non poterat pretermitti, in quibus et qualibus nunc summus pontifex obtinet potestatem.

Discipulus: Istud ultimum dictum, ut puto, non potest ad intencionem dicencium verbis brevibus explicari. Ideo, ipso dimisso ad presens, quia de ipso post tractabimus, dic an per aliquam aliam auctoritatem prius adductam dicant isti patenter posse probari quod scriptura loquens de libertate legis evangelice debeat intelligi eciam de libertate ab alia servitute quam a servitute legis Mosaice.

---

61 apostolorum et] Scott: apostolorum W **64** servituti] servitute Ed **65** inquietacione] inquietacioni Pz **73** imposuerint] imposuerunt MF **74** onera] *omitted* MF | nominantur] nominant Ed **78** solummodo] solum Ed **79** condiderint] condiderunt MF **80** preceperint] preceperunt MF **81** que] qui MF **82** que] *omitted* Ed

---

62 eodem capitulo] Acts 15:31 **67** dicitur] Acts 15:28-29 **77** Propter] D.16 c. 4, § 1, col. 42 Dilectissimis] C.12 q.1 c.2, col. 676 | Sint manifeste] C.12 q.1 c.21, col. 684 | Ex hiis] C.12 q.1 c.22, col. 684 **86** post] 16.29–41 and 17.41–54

Magister: Hoc dicunt posse ostendi auctoritate Apostoli, cum dicit 2ª ad Corinthios 3º: "Ubi spiritus Domini, ibi libertas". Ibi enim Apostolus non loquitur specialiter de libertate a servitute veteris legis, sed magis generaliter. Igitur intelligit Apostolus quod ubi spiritus Domini, ibi non solum est libertas a servitute veteris legis, sed eciam ibi libertas est ab omni servitute, quoad opera exteriora, que est tanta quanta fuit servitus veteris legis.

Quod auctoritatibus sanctorum patrum ostenditur. Nam per illam auctoritatem Apostoli sancti patres probant quod licet clericis, invitis episcopis, monasteria monachorum intrare. Ait enim Urbanus papa, ut legitur 19ª, q. 2ª, c. *Due*: "Qui spiritu dei aguntur lege dei ducuntur; et quis est qui possit Spiritui sancto digne resistere? Quisquis igitur hoc spiritu ducitur, eciam episcopo suo contradicente, eat liber nostra auctoritate. Iusto enim lex non est posita, sed 'ubi spiritus dei est, ibi libertas', et si spiritu dei ducimini, non estis sub lege". Et Innocencius 3ᵘˢ, Extra, *De regularibus*, c. *Licet*, ait: "Licet quibusdam monachis;" et infra: "Quia tamen 'ubi spiritus dei est, ibi libertas', et que spiritu dei aguntur non sunt sub lege, quia lex non est posita iusto, ea racione hoc videtur illis fuisse concessum, ne quis ex temeritate vel levitate in iacturam vel iniuriam sui ordinis sub pretextu maioris religionis ad alium ordinem transvolaret". Ex quibus colligitur quod per libertatem concessam Christianis probatur quod licet clericis ad religionem, et religiosis ad arciorem, transire, quod tamen probari non posset si per libertatem Christianorum Apostolus intelligeret tantummodo libertatem a servitute Mosaice legis. Hoc eciam per auctoritatem Augustini superius allegatam videtur expresse posse probari. Nam Augustinus in verbis illis per libertatem quam Christiana religio ex misericordia dei consecuta est illos iudicat arguendos qui eandem religionem diversis oneribus opprimebant adeo ut tollerabilior sit condicio Iudeorum quam Christianorum, qui tamen oneribus legis Mosaice Christianos minime deprimebant. Igitur intendit Augustinus ut Christiana religio non solum sit liberata ab oneribus veteris legis, sed eciam ab aliis oneribus que equaliter vel magis premant quam onera Mosaice legis.

Discipulus: Dic quomodo respondetur ad raciones quibus supra c. 6º visus fui probare quod auctoritates adducte c. 5º non debent intelligi de libertate a subieccione qua Christiani, secundum primam sentenciam, summo pontifici sunt subiecti.

---

94 ubi] est *added* Ed **105** que] qui S **115** arguendos] arguendo Ed

---

91 2 ad Corinthios] 3:17 **99** Due] C.19 q.2 c.2, col. 840 **104** Licetⁱ] X 3.31.18, col. 575
112 superius] 5.48–53

Magister: Ad primam ipsarum respondetur, secundum quosdam, quod auctoritates de libertate evangelice legis non debent, quoad omnes, intelligi affirmative sed, quoad multos, negative, sicut tactum est prius, quemadmodum illa verba Apostoli, spiritus sit unus uxoris et viri, et illa Salvatoris, "In ore duorum vel trium stabit omne verbum", et multe alie, debent intelligi negative. Non enim illi qui erant servi ante conversionem ad fidem per conversionem fiebant liberi, sed per legem evangelicam nullus ducebatur ad maiorem servitutem quam erat servitus veteris legis, et ideo per evangelicam legem nullus fiat servus pape. Absque tamen transgressione eiusdem legis potest quis, si sponte voluerit, se facere servum pape, vel, si ex alia iusta et licita causa fiat servus pape, in nullo derogatur evangelice legi; quia lex evangelica, licet non inducat huiusmodi servitutem, non tamen prohibet.

Quod autem ibidem accipitur quod fratres minores tenentur in omnibus obedire pape, dicunt isti falsum esse, licet quidam fratres minores, ut fertur, hoc non teneant, dicentes quod liceret eis, et tenerentur, eciam accipere uxores si sola voluntate hoc papa preciperet, de quibus postea in hoc tractatu et eciam in nono tractatu huius tercie partis nostri dialogi tractabimus. Fratres enim minores non tenentur obedire pape precipienti aliquid contra substanciam regule sue, et ideo regula eorum non hereticalis sed catholica est censenda.

Ad quartam racionem quam fecisti respondetur quod lex Christiana non dicitur lex libertatis quia liberat Christianos ab omni servitute, sed quia non premit Christianos tanta servitute quanta pressi fuere Iudei; et ideo licet regibus et aliis Christianis servos habere, licet per legem Christianam nullus Christianus fiat servus cuiuscumque. Ad beatum Iacobum dicitur quod non intendit legem Christianam esse legem perfecte libertatis ut nullus Christianus cuicumque homini sit subiectus. Christiani enim pape sunt subiecti, et multi principibus et aliis Christianis subduntur. Sed ideo eam dicit esse legem perfecte libertatis quia per eam religio Christiana paucis sacramentis et sacramentalibus seu ceremonialibus ex institucione divina subicitur, et per ipsam nullus Christianus servus cuiuscumque mortalis efficitur nec eciam, nisi in hiis que spectant ad necessitatem vel utilitatem ipsius aut reipublice, alicuius hominis subditur potestati.

---

126 prius] Kilcullen: primo W **128** trium] testium *added* | stabit] stat Ed, stet S
129 conversionem[2]] conversacionem Ly **131** ideo] licet *added* Ed | legem nullus] Kilcullen: legem non Ed, legem MF **138** tenerentur] tenentur Ed **139** papa] pape Ly | preciperet] preciperetur Ly
143 quartam] secundam Ly **147** cuiuscumque] et *added* Ed **149** multi] multis Ed

---

124 primam] 6.17, i.e. the first of the three arguments "from reason" **126** prius] 7.5 **127** viri] Cf. 1 Cor. 6:16-17 (Knysh) | Salvatoris] Mat. 18:16 **136** ibidem] 6.22 **139** in hoc tractatu] not found **140** in nono tractatu] not extant **143** quartam racionem] 6.25–30 **147** Iacobum] above, 5.16–18

Quare pro se et omnibus apostolis et universis prelatis ecclesie dicit Apostolus, 2ª ad Corinthios, ultimo: “Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate”; et post: “Hec absens scribo ut non presens durius agam secundum potestatem quam Dominus dedit michi, in edificacionem et non in destruccionem” vestram. Ex quibus verbis colligitur quod apostoli nullam potestatem habuerunt a deo super fidelibus nisi ad utilitatem eorundem fidelium; quare lex Christiana, que nullam subieccionem nisi ad utilitatem subiecti vel communitatis cuiuscumque inducit, eciam paucis divinis est supposita sacramentis. Merito debet dici lex perfecte libertatis, presertim respectu legis Mosaice, que quampluribus sacramentis et ceremoniis vix portabilibus subiectos involvit. Non tamen dicitur lex perfectissime libertatis. In perfeccione enim sunt gradus, quia non omne perfectum est perfectissimum reputandum. Perfectissima autem libertas in hac vita mortali nequaquam habebitur.

Capitulum 8

Discipulus: Adhuc ut intelligatur profundius quale sit motivum precedens, cupio audire aliquas allegaciones preter prescriptas ad probandum quod non omnes homines sunt servi summi pontificis, ex quo isti opinantes inferre nituntur quod papa non habet ex institucione Christi talem plenitudinem potestatis.

Magister: Quod non omnes Christiani sunt servi summi pontificis secundum strictissimam significacionem huius nominis servus, quod tamen secundum istos sequeretur si papa haberet tam in temporalibus quam in spiritualibus huiusmodi plenitudinem potestatis, multis modis ostenditur. Servus enim nullam proprietatem seu dominium cuiuscumque rei temporalis, dum manet servus, potest habere, quia quicquid servus acquirit domino acquirit et ipsius domini est. Reges autem et principes ac alii quamplurimi Christiani habent dominium et proprietatem quamplurium rerum temporalium. Ergo non omnes homines sunt servi pape, secundum illam significacionem nominis servi secundum quam dominus potest vendere, dare et alienare servum suum et ab eo omnem rem temporalem propria voluntate auferre, quod tamen sequeretur, si papa haberet in temporalibus talem plenitudinem potestatis.

---

155 Quare] quia MF | apostolis] populis Ed | et universis] Kilcullen (cf. Brev. 2.5.2-3): universis et W **157** Hec] Mz S: hoc Fr Ed | ut non] S: non ut W **159** verbis] *omitted* Ed **160** nisi] que *added* Ed | eorundem…161 utilitatem] *omitted* Ed **162** eciam] quia *added* Ed **165** quia] quare Ed **8.3** prescriptas] scriptas Ed **6** sunt] sint Ed **12** proprietatem] potestatem Ed
15 temporalem] in *added* MF

---

156 2 ad Corinthios] 13:8–10

Discipulus: Quomodo probatur quod reges et principes ac plures alii Christiani habent dominium et proprietatem rerum temporalium?

Magister: Hoc multis modis ostenditur. Nam illi habent dominium et proprietatem rerum temporalium per quorum iura temporalia possidentur. [Per iura autem imperatorum et regum temporalia possidentur] (dist. 8ª, *Quo iure*). Ergo imperatores et reges habent dominium et proprietatem rerum temporalium.

Amplius, illi habent proprietatem et dominium temporalium rerum quorum legibus eciam summi pontifices pro cursu temporalium rerum <legibus imperatorum et regum> utuntur. Sed summi pontifices pro cursu temporalium rerum legibus imperatorum et regum utuntur (dist. 10ª, *Quoniam idem*, et dist. 96ª, *Cum ad verum*). Ergo imperatores et reges habent proprietatem et dominium rerum temporalium.

Rursus, episcopi interdum preter res ecclesie habent res proprias (12ª, q. 1ª, c. *Episcopi* et c. *Manifesta* et c. *Certe* et c. *Sint manifeste*). Ergo alii quam papa possunt proprietatem et dominium rerum temporalium possidere.

Adhuc, reges et principes ac alii fideles laici donant res temporales ecclesiis; ergo habent proprietatem et dominium temporalium rerum.

Item, Iudei et infideles habent proprietatem temporalium rerum; ergo multo forcius reges et principes Christiani habent huiusmodi rerum proprietatem.

Discipulus: Istud est ita divulgatum, tam in legibus civilibus et canonicis quam in communi opinione hominum, quod non curo pro ipso plures allegaciones adduci. De quo tamen possem querere an sit hereticum dicere nullum Christianum habere proprietatem temporalium rerum, quod vero ad tractatum de iuribus Romani imperii reservare propono. Ideo revertere ad probandum quod non omnes Christiani sunt servi pape.

Magister: Hoc aliter sic probatur. Servus non potest habere alium servum, sed plures laici habent servos (dist. 54ª, c. 1º et 2º et c. *Quicumque*, et in multis aliis capitulis). Ergo non omnes homines sunt servi pape.

---

21 possidentur…22 possidentur] Kilcullen: possidentur W **25** rerum] Scott: rerum legibus imperatorum et regum W **36** rerum] temporalium *added* Ed **39** adduci] adducere Ed **43** sic] *omitted* Ed

---

8.22 Quo iure] D.8 c.1, col. 12 **27** Quoniam idem] D.10 c.8, col. 21 **28** Cum ad verum] D.96 c.6, col. 339 **31** Episcopi] C.12 q.1 c.19, col. 684 | Manifesta] C.12 q.1 c.20, col. 684 | Certe] C.12 q.1 c.18, col. 683 | Sint manifeste] C.12 q.1 c.21, col. 684 **41** reservare] Not found in 3.2 Dial. as we have it. **44** Quicumque] D.54 c.5, col. 207

Amplius, multi ab ecclesia consequuntur libertatem (12ª, q. 2ª, *Si quos de servis ecclesie* et c. *Episcopus* et c. *Liberti* et in multis aliis capitulis); ergo non omnes homines sunt servi summi pontificis. Multi ergo homines sunt liberi. Quod Salvator testari videtur, dicens Matthei 17º: "Filii sunt liberi"; et Apostolus ad Galatas 4º ait: "Quanto tempore heres parvulus est, nichil differt a servo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus et actoribus est unusquisque, usque ad prefinitum tempus a patre". Ex quibus verbis colligitur quod cum venerit tempus prefinitum a patre differt a servo, et per consequens tunc nec pape nec alterius est servus.

Capitulum 9

Discipulus: Puto me advertere quomodo isti per libertatem Christianorum probare nituntur quod papa non habet talem plenitudinem potestatis, presertim in temporalibus. Ideo pro eadem opinione adhuc aliter allegare conare.

Magister: Hoc aliis modis videtur posse probari. Nam vicarius non habet maiorem potestatem, in quantum vicarius, quam ille cuius est vicarius. Ergo papa, in quantum vicarius Christi, non habet maiorem potestatem in temporalibus quam habuerit Christus in quantum homo passibilis et mortalis. Sed Christus inquantum homo passibilis et mortalis non habuit huiusmodi potestatem in temporalibus, cum non habuerit dominium omnium temporalium, nec alii fuerint servi eius, secundum strictam significacionem nominis servorum, ipso testante qui, ut habetur Iohannis 15º, dixit apostolis: "Iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus eius". Ergo papa non habet huiusmodi plenitudinem potestatis.

Discipulus: De fundamento istius allegacionis satis poterimus invenire in tractatu quarto secunde partis istius dialogi, ad quem pertinet exquisite disserere de paupertate Christi. Ideo, hac dimissa, adduc alias.

Magister: Aliter probatur idem sic. Qui non debet se secularibus negociis implicare non debet habere in secularibus talem plenitudinem potestatis. Papa autem non debet se secularibus negociis implicare; ergo non habet nec habere debet talem plenitudinem potestatis in secularibus.

---

47 Liberti] libertati Ed | ergo] quod Pz, habetur quod Ly **51** unusquisque] *omitted* S **9.4** conare] coneris Ed **10** habuerit] habuit Pz **15** poterimus invenire] poterit inveniri Ed **16** secunde] tercie Ed | quem] quam Ed **18** Aliter] *omitted* Ed | se] in MF **20** negociis] *omitted* Ly

---

46 Si quos de servis ecclesie] C.12 q.2 c.57, col. 705 **47** Episcopus] C.12 q.2 c. 58, col. 705 Liberti] C.12 q.2 c.61, col. 706 **49** Matthei] 17:25 **50** ad Galatas] 4:1–2 **9.12** Iohannis] 15:15 **15** invenire] Not found in 2 Dial. as we have it.

Maior probatur, quia frustra datur alicui potestas quam exercere non debet. Unde et reges accipientes a deo potestatem iudicandi ac iusticiam et iudicium faciendi, et non facientes, sepe in sacris litteris arguuntur. Sapiencie 6º sic dicitur regibus perverse vel negligenter exercentibus officium regni: "Data est a Domino potestas vobis et virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra et cogitaciones scrutabitur, quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis", et cetera, ubi dicit glossa: "Nota quod quilibet debet facere ea que sue condicioni conveniunt". Et per consequens illa potissime debet quis facere ad que facienda ex speciali ordinacione dei accepit potestatem. Qui igitur specialiter ex institucione et ordinacione Christi accepit in secularibus plenitudinem potestatis potissime eciam ultra omnes alios debet se secularibus implicare negociis, ne in commissa sibi potestate negligentem et desidem se ostendat.

Minor, quod papa scilicet non debet se negociis secularibus implicare, patenter videtur ostendi per Apostolum, 2ª ad Timotheum 2º c. dicentem: "Nemo militans deo implicat se negociis secularibus, ut ei placeat cui se probavit". Cum igitur papa precipue inter omnes deo debeat militare ut ei placeat, ipse minus quam alii debet se negociis secularibus implicare. Hinc ex canone apostolorum, ut legitur dist. 88ª, c. *Episcopus*, sic habetur: "Episcopus aut sacerdos aut diaconus nequaquam seculares curas assumant; sin aliter, deiciantur"; et c. *Episcopus nullam* sic scribitur: "Episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed leccioni et oracioni et verbo predicacionis tantummodo vacet"; et 21ª, q. 3ª, c. 2º, sic legitur: "Apostolorum statuta sunt que dicunt: 'Nemo militans deo implicat se negociis secularibus'; proinde aut clerici sint sine accionibus domorum aut actores sine officio clericorum". Ex quibus aliisque quampluribus canonibus sacris (qui habentur 16ª, q. 1ª, *Sunt nonnulli*, et dist. 88ª per totum, et 21ª, q. 3ª, c. *Placuit* et c. *Ciprianus* et c. *Molliciis* et c. *Hii qui* et c. *Sacerdotum*, et Extra, *Ne clerici vel monachi secularibus negociis se immisceant* per totum, et aliis locis quam multis) colligitur quod clerici [et] episcopi non debent se secularibus negociis implicare, et, per consequens, papa precipue debet a talibus abstinere, tum quia inter episcopos et clericos est precipuus atque

---

25 regni] regis MF **32** omnes] *omitted* Ed **46** domorum] dominorum Ed | actores] Ly S: actorum MF Pz **47** qui] Ly: que W **50** clerici et] Scott: clerici W

---

24 Sapiencie] 6:4-5 **28** ubi] Rather, gloss on C.23 q. 5 c.24, s.v. condicioni, col. 1345. **36** 2 ad Timotheum] 2:4 **40** Episcopus[1]] D.88 c.3, col. 307 **42** Episcopus nullam[1]] D.88 c.6, col. 307 **44** legitur] C 21 q.3 c.2, col. 856 **47** Sunt nonnulli] C 16 q.1 c.25, col. 767 | dist 88] col. 306-310 **48** Placuit] C.21 q.3 c.3, col. 856 | Ciprianus] C.21 q.3 c.4, col. 856 | Molliciis] C.21 q.3 c.5, col. 857 | Hii qui] C.21 q.3 c.6, col. 857 **49** Sacerdotum] C.21 q.3 c.7, col. 857 | Ne clerici] X 3.50, col. 657ff

primus et maxime debet in spiritualibus occupari, tum quia precipue tenet locum apostolorum et specialiter principis apostolorum, qui hoc docuerunt et fecerunt et quos debet potissime imitari.

Discipulus: Non oportet summum pontificem se in omnibus vite apostolice conformare, quia apostoli abdicaverunt proprietatem temporalium rerum (Extra, *De verborum significacione*, li. 6º, c. *Exiit*), et tamen papa potest habere proprium. Ergo similiter papa potest se implicare multis secularibus negociis quibus se minime implicaverunt apostoli.

Magister: Ad hoc respondent isti quod, licet papa non teneatur se in omnibus vite apostolorum conformare, tamen nichil est sibi specialiter iniunctum a Christo quod apostolice vite repugnet; et ideo, cum implicari secularibus negociis repugnet vite apostolice, inferunt isti quod hoc non est specialiter iniunctum pape a Christo. Quare nec sibi data specialiter est a Christo plenitudo potestatis in secularibus, cum teneatur exequi potestatem quam specialiter habet ex ordinacione et institucione Christi.

Discipulus: Aliter nitere allegare pro opinione prescripta.

Magister: Quod papa non habeat talem in spiritualibus et temporalibus plenitudinem potestatis ostenditur. Nam qui est minor et minister et servus aliorum, in quos non debet exercere potestatem, non habet super eos tam in spiritualibus quam in temporalibus plenitudinem potestatis. Nam qui habet super alios talem plenitudinem potestatis est dominus eorundem; nullus enim dominus maiorem potestatem quam plenitudinem potestatis potest habere super quoscumque. Nullus autem respectu eiusdem est servus et dominus. Qui eciam habet plenitudinem potestatis super alios precipue potest et debet exercere potestatem in eos. Papa autem est minor et minister et servus Christianorum, in quos non debet exercere potestatem, teste Christo qui, ut legitur Matthei 20º, dixit apostolis: “Scitis quia principes gencium dominantur eorum, et qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos; sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister; et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus”. Et Matthei 23º dixit Christus: “Qui maior est vestrum erit vester minister”. Et Marci 9º dixit: “Si quis voluerit primus esse, erit omnium novissimus et omnium minister”, et 10º c.: “Scitis quia hii qui videntur principari gentibus dominantur eis, et principes eorum potestatem habent ipsorum. Non ita est

61 hoc] hec Ed **67** institucione] constitucione Ly **68** nitere] nitaris Ed **83** voluerit] vult S | erit] quasi *added* Ed

58 Exiit] Sext. 5.12.3, col. 1109 **78** Matthei] 20:25-7 **82** Matthei] 23:11 **83** Marci] 9:34 **84** 10 c.] Mk. 10:42-4

autem in vobis; sed quicumque voluerit fieri maior, erit vester minister; et quicumque voluerit primus esse, erit omnium servus". Et, ut habetur Luce 22º, Christus dixit apostolis: "Reges gencium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos benefici vocantur. Vos autem non sic; sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, et qui precessor est, sicut ministrator". Ex quibus patet quod primus spiritualiter inter Christianos, scilicet papa, est minor et minister et servus aliorum, in quos potestatem exercere non debet. Igitur non habet talem plenitudinem potestatis.

Discipulus: Ista allegacio in simili tractata est aliquantulum diffuse libro 6º prime partis istius dialogi, c. 3º. Ideo, ipsa omissa, alias cures adducere.

Magister: Quod papa non habet talem plenitudinem potestatis sic probatur. Nam qui non est constitutus a Christo iudex secularium non habet in secularibus talem plenitudinem potestatis a Christo. Papa non est constitutus a Christo iudex secularium, teste beato Petro, qui, sicut legitur in epistola Clementis, ut habetur 11ª, q. 1ª, c. *Te quidem*, ait: "Te quidem oportet irreprehensibiliter vivere et summo studio niti ut omnes vite huius occupaciones abicias, ne fideiussor existas, ne advocatus licium fias, neve in aliqua occupacione prorsus inveniaris mundialis negocii occasione perplexus. Neque enim iudicem neque cognitorem secularium negociorum te hodie ordinare vult Christus". Igitur papa non habet talem, presertim in secularibus, plenitudinem potestatis.

Item, qui non est dominus clericorum non habet super ipsos plenitudinem potestatis. Papa autem non est dominus clericorum, teste beato Petro, qui in canonica sua prima c. 5º ait: "Neque ut dominantes in clero". Ergo papa non habet eciam super clerum talem plenitudinem potestatis.

Amplius, papa maiorem potestatem habet in terris sue temporali iurisdiccioni subiectis quam in aliis terris que non sunt sue temporali iurisdiccioni subiecte. Ergo non habet in omnibus talem plenitudinem potestatis.

Discipulus: Dicerent primi opinantes quod omnes terre temporali iurisdiccioni pape subiecte sunt.

Magister: Huic Innocencius 3us obviare videtur qui, ut habetur Extra, *De hereticis*, *Vergentis*, terras sue temporali iurisdiccioni subiectas distinguit ab aliis,

---

97 secularium] secularis Ed **99** sicut] sic Ly **102** in] ulla *added* S | aliqua] alia MF | prorsus inveniaris] *omitted* MF **103** mundialis] mundani MF **107** in] *omitted* MF **108** clero] cleris S **110** Amplius] non *added* Ly **114** sunt] *omitted* MF

---

87 Luce] 22:25-6 **100** Te quidem[1]] C.11 q.1 c.29, col. 634 **108** ait] 1 Pet. 5:3 **116** Vergentis] X 5.7.10, col. 783

dicens: “In terris vero temporali nostre iurisdiccioni subiectis bona hereticorum statuimus publicari, et in aliis idem precipimus fieri per potentes et principes seculares”.

Discipulus: Adhuc aliam allegacionem adducas.

Magister: Aliter probatur quod papa specialiter in temporalibus non habet talem plenitudinem potestatis. Nam omnis potestas in temporalibus est ab illo qui habet in temporalibus plenitudinem potestatis ut omnia possit in temporalibus que nec iuri divino nec iuri nature repugnant. Sed potestas imperialis et regalis potestasque aliorum principum laicorum non est a papa. Unde et rex Francie superiorem in temporalibus non recognoscit (Extra, *Qui filii sint legitimi*, *Per venerabilem*). Ergo papa non habet in temporalibus talem plenitudinem potestatis.

Discipulus: De distinccione potestatum spiritualis et secularis, et an potestas secularis sit a papa, diffuse tractabimus in secundo tractatu istius tercie partis nostri dialogi. Ideo aliam allegacionem adducas.

Magister: Quod papa non habeat in temporalibus talem plenitudinem potestatis ostenditur. Nam contra illum qui habet in temporalibus talem plenitudinem potestatis nulla currit prescripcio. Contra papam autem currit prescripcio, saltem centenaria (Extra, *De prescripcionibus*, *Si diligenti*). Ergo papa non habet in temporalibus huiusmodi plenitudinem potestatis.

Capitulum 10

Discipulus: Hec ad presens de prima sentencia quam supra c. 1º recitasti sufficiant. Ideo ad secundam sentenciam eodem capitulo recitatam te converte.

Magister: Sentencia illa duas partes includit, unam scilicet affirmativam et aliam negativam. Prima est quod papa habet ex ordinacione Christi talem plenitudinem potestatis in spiritualibus. Secunda est quod non habet ex ordinacione Christi talem plenitudinem potestatis in temporalibus.

Discipulus: Allega primo pro prima parte.

---

118 potentes] potestates S **123** in[2]] *omitted* Pz **124** nec[2]] et Pz **125** potestasque] *omitted* Ed aliorum] aliorumque Ed **130** secularis] *omitted* Ly **132** non] *omitted* Pz | talem] *omitted* Ed plenitudinem potestatis] plenitudinis potestatem MF **136** huiusmodi] talem Ed

---

126 Per venerabilem] X 4.17.13, col. 714 **131** dialogi] See 3.2 Dial. 1.18 and 2.4 **135** Si diligenti] X 2.26.17, col. 388 **10.3** secundam] 1.22. This is the opinion maintained in the *Allegaciones de potestate imperiali*; see Ockham, OP, vol. 4., p. 357ff, especially p. 368. (Ockham himself did not hold this opinion. See Offler's introduction to *Allegaciones*, pp. 360-1.)

Magister: Quod papa in spiritualibus talem habeat plenitudinem potestatis ex ordinacione Christi probatur. Quia, sicut ea que secularia sunt debent disponi per principem secularem, ita que spiritualia sunt sunt per summum pontificem ordinanda et disponenda. Sed princeps supremus secularis habet in secularibus plenitudinem potestatis. [Ergo papa habet in spiritualibus plenitudinem potestatis.]

Amplius, Christus dedit Petro plenitudinem potestatis cum dixit, "Quodcumque ligaveris super terram", et cetera; sed non dedit sibi plenitudinem potestatis in temporalibus; ergo dedit sibi plenitudinem potestatis in spiritualibus.

Rursus, qui potest omnem hominem de quocumque peccato corripere et pena debita coercere, habet in spiritualibus plenitudinem potestatis. Papa autem potest omnem hominem de peccato corripere (Extra, *De iudiciis*, *Novit*). Ergo papa habet in spiritualibus plenitudinem potestatis.

Iterum, omnia spiritualia possunt ad causas dei reduci. Sed omnes cause dei spectant ad summum pontificem, quia spectant ad episcopos et clericos (dist. 96[a], *Si imperator*); inter episcopos autem papa est primus; ergo omnes cause dei spectant ad ipsum. Quare in spiritualibus habet plenitudinem potestatis. Hoc Iulius papa sentire videtur, qui, ut habetur dist. 11[a], c. *Nolite*, ait: "Satis enim indignum est quemquam vel pontificum vel ordinum subsequencium hanc regulam refutare quam beati Petri sedem et sequi viderit et docere. Multum convenit ut totum corpus ecclesie in hac sibi observacione concordet, que inde auctoritatem habet ubi dominus tocius ecclesie posuit principatum". Et Nicolaus papa, eadem dist., c. *Consequens*, ait: "Consequens est ut quod ab huius sedis rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis prepediente occasione proprias tantum sequendo voluntates removeatur", ubi glossa super hoc verbo "plena" dicit: "Pape auctoritas dicitur plena, aliorum episcoporum est semiplena". Ex quibus verbis colligitur quod papa habet a Christo, saltem in spiritualibus, plenitudinem potestatis.

10.13 potestatis[1]…potestatis[2]] Scott: potestatis W **16** sibi] *omitted* Ed **22** dei[2]] *omitted* Mz **26** enim] *omitted* MF **27** subsequencium] consequencium Ed **28** Multum] enim *added* Ly **30** dominus] Ly S: deus W **31** papa] ut habetur *added* Pz | Consequens est] Ly S: *omitted* W **32** nullius] ullius MF | occasione] diccione Pz **33** tantum] tamen MF | removeatur] Ly S: removeat Mz, removerat Fr; *omitted* Pz **34** dicitur] *omitted* Ed

---

20 Novit] X 2.1.13, col. 242; quoted above, 4.20 **24** Si imperator] D.96 c.11, col. 341 **26** Nolite] D.11 c.3, col. 23 **31** Consequens[1]] D.11 c.2, col. 23 **33** glossa] D.11 c.2, s.v. plena, col. 36

Capitulum 11

Discipulus: Si papa habet talem plenitudinem potestatis a Christo tam in temporalibus quam in spiritualibus, non est dubium quin a Christo habeat in spiritualibus plenitudinem potestatis. Quare allegaciones que supra c. [2º,] 3º et 4º pro prima sentencia sunt adducte pro ista prima parte secunde sentencie eciam possunt adduci, et ideo pro ipsa nolo ad presens plures allegaciones audire. Similiter pro secunda parte eiusdem secunde sentencie possunt allegari plura que tacta sunt supra c. 5º, 7º, 8º et 9º. Quare, sentencia ista dimissa, terciam que tacta est supra c. 1º nitamur discutere. Circa quam primo modum ponendi audire desidero.

Magister: Illa sentencia ponit quod papa habet tam in temporalibus quam in spiritualibus talem plenitudinem potestatis, partim ex ordinacione Christi, partim ex ordinacione humana, dicens quod papa habet immediate a Christo plenam potestatem in foro penitenciali, iuxta illud Matthei 16º: "Quodcumque ligaveris super terram", et cetera. Habet eciam a Christo potestatem docendi totum populum Christianum, secundum illud Iohannis ultimo, "Pasce oves meas". Habet eciam a Christo potestatem distribuendi et conferendi ecclesiaticas dignitates, iuxta illud verbum Christi ad Petrum, Iohannis 1º, "Tu vocaberis Cephas", id est caput: ex hoc enim quod caput est, habet in membra influere, eis diversa officia conferendo. Habet eciam a Christo quod maiora negocia ecclesie sunt ad ipsum referenda, ex hoc ipso quod constituit ipsum caput aliorum. A conciliis autem generalibus habet potestatem quantum ad omnia que spectant ad regimen tocius populi Christiani quorum potestas non est sibi specialiter a Christo concessa.

Discipulus: Circa istam sentenciam essent multa tractanda, que, vel plura eorum, tacta sunt in hiis que dicta sunt circa primam sentenciam, vel tangentur cum discucietur ultima sentencia que supra c. 1º extitit recitata. Unde unum tantummodo quod ista sentencia ponit volo ut aliquibus allegacionibus fulcire coneris, quod videlicet papa aliquam acceperit a conciliis generalibus potestatem. Hoc enim illis auctoritatibus obviare videtur que dicunt quod concilia generalia robur habent et auctoritatem a Romana ecclesia.

11.2 talem] *omitted* MF **3** quam] quod Ly **4** c. 2] Kilcullen: c. W | 3 et 4] primo Ed **5** prima[2]] secunda Ed **9** nitamur] nitantur Ly **19** eis] *omitted* Ed **28** ponit] potest MF **29** acceperit] receperit Ly

---

11.8 terciam] 1.24 **14** Matthei] 16:19 **16** Iohannis ultimo] 21:17 **18** Iohannis] 1:42 **27** unum tantummodo] However, a second, more general, point arises below, at 11.73.

Magister: Quod papa aliquam potestatem acceperit a generalibus conciliis videtur posse tali modo probari. Papa habet potestatem aliquam a canonibus, et non nisi a canonibus generalium conciliorum; ergo a conciliis generalibus habet aliquam potestatem.

Prima diversis auctoritatibus sanctorum videtur posse probari. Ait enim Iulius papa, scribens orientalibus episcopis, ut habetur dist. 17ª, c. *Regula*: "Regula vestra nullas habet vires, nec habere poterit, quoniam nec ab orthodoxis episcopis hoc concilium actum est, nec Romane ecclesie legacio interfuit, canonibus precipientibus sine eius auctoritate concilia fieri non debere". Ex quibus verbis colligitur quod a canonibus est preceptum quod solus papa habeat auctoritatem congregandi concilia.

Item, Gelasius papa, ut habetur 9ª, q. 3ª, c. *Ipsi*, ait: "Ipsi sunt canones, qui appellaciones tocius ecclesie ad huius sancte sedis examen voluerunt deferre. Ab ipsa vero numquam appellare debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de eius umquam preceperunt iudicio iudicari sentenciamque eius constituerunt non oportere dissolvi, cuius pocius sequenda decreta mandaverunt". Ex quibus verbis colligitur quod a canonibus, non a Christo immediate, habet papa ut omnibus liceat appellare ad ipsum, et quod ab ipso appellare non licet, et quod ipse potest de tota ecclesia iudicare, et quod ipse nullius subest iudicio, et quod eius sentencia in omnibus est tenenda et, per consequens, quod eius preceptis est in omnibus et ab omnibus obediendum. Ex quo infertur quod papa a conciliis generalibus habet plenitudinem potestatis quantum ad omnia que non sunt sibi immediate concessa a Christo.

Item, Gregorius, ut habetur 2ª, q. 6ª, c. *Decreto*, ait: "Liceat post audicionem primatum dioceseos, si necesse fuerit, nos appellare et nostra auctoritate, aut ante nos aut ante legatos de nostro latere missos, iuxta decreta patrum suas exercere atque diffinire acciones". Ex quibus verbis datur intelligi quod a decretis patrum habet papa ut liceat aliis appellare ad ipsum.

Item, Pelagius papa, ut habetur dist. 17ª, c. *Multis*, ait: "Maiores vero ac difficiliores questiones, ut sancta synodus statuit et beata consuetudo exigit, ad

---

36 Prima] pars assumpti *added* Fr **37** scribens] scribendo Ed **43** sunt] *omitted* MF
44 ecclesie…examen] *omitted* Ed **46** commeare] remeare MF **47** iudicari] S: iudicare W
49 immediate] Ly: sic mediate W **51** iudicare] militare MF **58** nos] S: ius W | de nostro] nostros e S | patrum] S: patris MF **60** aliis] *omitted* Ed

---

37 Regula] D.17 c.2, col. 51 **43** Ipsi[1]] C.9 q.3 c.16, col. 611 **56** Decreto] C.2 q.6 c.11, col. 469
61 Multis] D.17 c.5, col. 52

sedem apostolicam semper deferantur". Ex quibus verbis colligitur quod a synodo et consuetudine, et non immediate a Christo, habet papa ut maiores cause deferantur ad ipsum.

Item, Nicolaus papa, ut habetur 2ª, q. 6ª, c. *Arguta*, ait: "Privilegia tamen apostolice sedis vos oblivioni tradere nullatenus debuistis, quibus venerandi canones iudicia tocius ecclesie ad hanc deferri iubent". Ex quibus verbis videtur haberi quod papa a canonibus acceperit potestatem.

Item, beatus Petrus potestatem accepit a collegio apostolorum (dist. 21ª, *In novo*; dist. 17ª, *Hinc eciam* ; 3ª, q. 6ª, *Dudum*). Ergo et papa potestatem potest accipere a concilio generali.

Discipulus: Probare nunc niteris quod papa habet plenitudinem potestatis sive a Christo sive ab humana ordinacione.

Magister: Hoc videtur posse ostendi pluribus auctoritatibus sanctorum patrum. Hoc enim Gregorius testari videtur, 2ª, q. 6ª, c. *Decreto*, et Iulius papa eadem causa et questione, c. *Qui se*. Hoc eciam Innocencius 3us in concilio generali, ut habetur Extra, *De penitencia et remissione*, c. *Cum ex eo*, videtur asserere manifeste.

Quod eciam racione probatur. Quia ille cui est obediendum in omnibus habet vel a Christi ordinacione vel ab ordinacione humana, aut partim ab una et partim ab alia, plenitudinem potestatis. Sed pape obediendum est in omnibus, teste Gregorio qui, ut habetur dist. 19ª, c. *Nulli*, ait: "Nulli fas est vel velle vel posse transgredi apostolice sedis precepta nec nostre dispensacionis ministerium", et infra: "Sitque alienus a divinis et a pontificalibus officiis qui noluerit preceptis obtemperare apostolicis". Hoc eciam Stephanus papa, ut habetur eadem dist., *Enimvero*, ut allegatum est prius, affirmare videtur. Et Iulius papa, ut habetur 25ª, q. 2ª, c. *Amputato*, ait: "Ea vero que sunt ab apostolis eorumque successoribus instituta nulla desidia negligantur, nulla dissensione violentur,

---

63 semper] *omitted* MF **67** vos] *omitted* MF | debuistis] de *added* MF **83** Nulli[2]] *omitted* Pz velle] S: nolle W **85** alienus] alius Ed | noluerit] noluit S **86** habetur] legitur Mz **88** vero] *omitted* S **89** successoribus] ad huiusmodi sancte sedis examen cessoribus *added* Pz, ad huiusmodi sancte sedis examen ab antecessoribus *added* Ly (see http://www.britac.ac.uk/pubs/dialogus/31d1msr.html#PzLyLm) | violentur] violantur Pz

---

66 Arguta] C.2 q.6 c.13, col. 470 **70** In novo] D.21 c.2, col. 69 **71** Hinc eciam] D.17 d.p.c.6, col. 52; cf. gloss, s.v. iussione domini, col. 71. | Dudum] C.3 q.6 c.9, col 521; cf. gloss, s.v. voluerunt, col. 739. **76** Decreto] C.2 q.6 c.11, col. 469 **77** Qui se] C.2 q.6 c.12, col. 469 **78** Cum ex eo] X 5.38.14, col. 888 **83** Nulli[1]] D.19 c.5, col. 61 **87** Enimvero] D.19 c.4, col. 61 | prius] 3.17 **88** Amputato] C.25 q.2 c.11, col. 1014

nulla concertacione turbentur". Ex quibus colligitur quod pape est obediendum in omnibus. Ergo habet plenitudinem potestatis vel immediate ex institucione Christi vel ab ordinacione humana, aut partim ab una et partim ab alia.

Capitulum 12

Discipulus: Contra istam sentenciam nitere allegare.

Magister: Sunt quidam qui istam sentenciam non reputant hereticalem sicut primam, tamen ipsam falsam et irracionabilem ac perioculosam existimant. Falsam quidem existimant quia ex ipsa, sicut ex prima, sequitur quod omnes Christiani sunt servi summi pontificis, accipiendo nomen servi secundum strictissimam significacionem eius secundum quam in scienciis legalibus accipitur et vocatur. Qui enim habet — sive ex ordinacione divina sive ex ordinacione humana, sive partim ab una et partim ab alia — plenitudinem potestatis tam in spiritualibus quam in temporalibus super omnes Christianos ut omnia possit que non sunt contra legem dei nec contra legem nature, ita ut ab eius potestate per nullum actum humanum se posset quicumque, in quocumque quod non est illicitum de se quantum ad genus operis, subtrahere, habet super omnes Christianos tantum dominium temporale quantum habuit, vel habere potuit, quicumque dominus super servum suum. Si igitur papa haberet super omnes Christianos talem plenitudinem potestatis, papa haberet plenissimum dominium in temporalibus super omnes reges et principes ac alios universos, et omnes essent servi eius, et posset de plenitudine potestatis, sine omni culpa et absque omni causa, privare quemcumque regem regno et dare illud cuicumque pagano; posset regem subicere cuicumque rustico ad sue arbitrium voluntatis, et, si faceret, de facto teneret, nec posset rex quicumque in talibus vel consimilibus sibi licite resistere — quod isti falsum reputant et absurdum.

Discipulus: Dic quare isti non reputant istam opinionem hereticalem, cum ponat omnes Christianos esse servos, et scriptura divina asserat legem evangelicam esse legem libertatis, et per consequens illa opinio scripture divine repugnat; quare videtur quod illa opinio, sicut prima, secundum istos hereticalis debeat estimari.

---

90 concertacione] S: contractacione W | quibus] verbis *added* Ly **12.2** nitere] niteris Pz, nitaris Ly **7** scienciis] sentenciis Ed **9** ab[1]] ex Ed **11** ut] et MF **12** nullum] illum MF **13** illicitum] licitum MF **17** et[2]] *omitted* Ed | omnes[2]] eciam *added* Ly **19** illud] *omitted* Ed **21** teneret] teneretur obedire Ly

Magister: Dicunt ad istam instanciam tuam esse respondendum per aliqua que dicta sunt prius. Nam auctoritates scripture divine approbantes legem Christianam esse legem libertatis negative debent intelligi, et ideo prima opinio secundum eos est hereticalis quia ex ipsa sequitur quod omnes Christiani per legem evangelicam facti sunt servi summi pontificis, et, per consequens, lex evangelica nec negative nec affirmative posset dici lex libertatis, sed esset lex horrendissime servitutis. Ista autem opinio tercia non ponit quod omnes Christiani sint effecti servi summi pontificis per legem evangelicam, sed ex ipsa solummodo sequitur quod omnes Christiani per voluntariam submissionem facti sunt servi summi pontificis. Tenet enim quod sponte et voluntarie omnes Christiani submiserunt se in omnibus potestati pape que non erant sibi concessa a Christo immediate. Et hoc quidem, saltem in aliquo casu, possent facere Christiani. Unde et rex aliquis posset se facere, saltem in casu, servum summi pontificis, cedendo regnum et subdendo se in omnibus potestati pape. Si essent eciam solummodo decem vel duodecim Christiani vel paulo plures, possent omnes se facere servos pape. Hoc tamen secundum istos numquam fuit factum, et ideo ista opinio non est hereticalis sed falsa. Quod enim hoc numquam fuerit factum et quod hec opinio sit falsa, probatur per leges innumeras, civiles et canonicas, asserentes quod quidam sunt servi et quidam liberi.

Discipulus: Quare dicunt isti prescriptam opinionem esse periculosam?

Magister: Hoc dicunt quia, si papa haberet huiusmodi potestatem, posset imminere periculum faciliter toti communitati Christianorum. Posset enim papa, si fieret occultus hereticus aut occulte zelaret pro secta Sarracenorum vel aliqua alia infidelium, leviter exponere totam Christianitatem periculo. Posset enim spoliare solo precepto suo omnes Christianos rebus suis, scilicet armis, municionibus et aliis quibus deberent contra inimicos defendi. Quo facto, infideles vocati per papam, occulte primo zelantem pro eis et postea publice assencientem eis, possent leviter omnem terram fidelium occupare.

Capitulum 13

Discipulus: Nunc videamus de quarta sentencia que tacta est supra, c. 1°.

Magister: Illa opinio tenet quod papa talem plenitudinem potestatis non habet, neque ab institucione Christi neque ex ordinacione humana, neque regulariter

---

33 esset] eciam Ed **38** erant] erat Ed **39** hoc] hec Ed **41** regnum] Scott: regno W **43** et] *omitted* Ed **50** Sarracenorum] Knysh: paganorum Ly, christianorum W **51** leviter] leniter Pz

---

12.29 prius] 7.5, 7.126 **13.2** quarta] 1.25

neque casualiter. Sed diversimode ponitur a diversis. Quidam enim dicunt quod papa nullam potestatem habet a Christo ultra alios sacerdotes; habet tamen aliquam potestatem, sicut et alii sacerdotes, super alios, nullam tamen potestatem coactivam extra forum penitencie, sed habet potestatem docendi et informandi laicos, sicut alii sacerdotes. Potestatem autem coactivam aliqualem, non plenam, habet a communitate fidelium, qui sponte et non coacte Romano pontifici et nulli alii sacerdoti aliqualem tribuebant super totam communitatem fidelium potestatem.

Aliqui vero dicunt quod papa a Christo immediate habet aliqualem potestatem super omnes Christianos, non tamen plenam in omnibus, neque in spiritualibus neque in temporalibus. Ab hominibus vero fidelibus nullam recepit potestatem, neque plenam neque non plenam.

Nonnulli vero dicunt quod papa in spiritualibus habet potestatem, non tamen plenam, a solo Christo; in temporalibus vero nullam habet potestatem specialem a Christo, sed a solis fidelibus, non tamen plenam sed limitatam prout fideles limitare voluerunt.

Discipulus: Isti modi ponendi multa continent que, si discuteremus prolixe, oporteret nos forsitan tedium legentibus generare. Ideo breviter transeamus, presertim cum occasione danda omnia tangemus inferius in diversis locis. Dic igitur primo unde moventur primi dicentes quod papa nullam potestatem habet a Christo ultra alios sacerdotes.

Magister: Istud dicunt propter auctoritates [Ieronimi] que ponuntur, dist. 93ª, c. *Legimus* et dist. 95ª, c. *Olim*, quas recitavi supra, prima parte istius dialogi, libro 5º, c. 17º, in quibus Ieronimus asserere videtur expresse quod nullus sacerdos ex ordinacione seu institucione Christi est maior alio, neque in ordine neque in administracione. Hoc eciam videtur posse probari per hoc, quod apostoli fuerunt pares in potestate beato Petro quantum fuit ex ordinacione Christi (dist. 21ª, c. *In novo*; 24ª, q. 1ª, c. *Loquitur*; 2ª, q. 7ª, *Paulus*), et apostoli a Christo super alios sacerdotes non habuerunt aliquam potestatem. Ergo omnes sacerdotes, quantum est ex speciali ordinacione Christi, sunt pares successoribus beati Petri.

13.5 casualiter] causaliter Mz **8** coactivam] habet *added* Ed **11** alii] *omitted* Ed **13** habet] *omitted* MF **18** specialem] spiritualem Ed **26** auctoritates Ieronimi] Kilcullen: auctoritates W; *gap added* Mz **28** 17] Kilcullen: 18 W **33** habuerunt] haberent MF

---

5 diversimode…diversis] The first opinion resembles that of Marsilius of Padua, but we do not recognise the authors of the other opinions. | Quidam] Cf. Marsilius of Padua, *Defensor*, II.xxiii.3-4, II.iv.3, II.x.2, II.xv.4-7, II.xxii.6-9. **27** Legimus] D.93 c.24, col. 327 | Olim] D.95 c.5, col. 332 **32** In novo] D.21 c.2, col. 69 | Loquitur] C.24 q.1 c.18, col. 971 | Paulus] C.2 q.7 c.33, col. 493

Capitulum 14

Discipulus: Dic breviter an aliqui nitantur istam assercionem repellere.

Magister: Hoc quidam erroneum reputant et sacris canonibus apertissime obviare qui ponuntur dist. 21ª, c. *Quamvis*, et [dist. 22ª,] c. *Sacrosancta*, et 9ª, q. 3ª, c. *Cuncta*, et 24ª, q. 1ª, c. *Cum beatissimus*, quos eciam allegavi prima parte huius dialogi, libro 5º, c. 20º. Hec eciam assercio [opinioni] Innocencii 3ii refragari videtur, qui, ut habetur Extra, *De maioritate et obediencia*, c. *Novit*, sicut allegatum est prius, dicit se non constitucioni humane sed potestati divine inniti. Ergo papa ex deo immediate habet aliquam potestatem super omnes Christianos.

Quod et racione probatur, quia nulla communitas, precipue magna, est bene et convenienter ordinata que nullum caput habet, quia, teste Salomone, Proverbiorum 11º, "Ubi non est gubernator, populus corruet". Sed communitas fidelium fuit optime et congruentissime ordinata a Christo; ergo Christus dedit caput communitati fidelium; sed non nisi beatum Petrum. Ergo Petrus fuit constitutus a Christo caput universorum fidelium.

Amplius, non minus congrue et utiliter est ordinatus a Christo populus Christianus quam fuerit populus Hebreorum. Sed ille populus ex ordinacione divina habuit caput, saltem in spiritualibus, scilicet summum sacerdotem, qui omnibus aliis sacerdotibus fuit superior. Ergo et populus Christianus ex ordinacione Christi habet unum caput, quod est superius omnibus aliis sacerdotibus Christianis. Quod eciam Marcellus papa, ut habetur 24ª, q. 1ª, c. *Rogamus*, et Innocencius 3us, Extra, *De translacione* [c. 1º], et omnes sancti patres tenere videntur.

Capitulum 15

Discipulus: Dic nunc quare prefati opinantes dicunt papam nullam potestatem coactivam accepisse a Christo.

Magister: Hoc dicunt propter hoc quod, secundum eos, tota communitas fidelium debet uni soli iudici supremo qui potestatem habeat coactivam subesse,

---

14.4 et[1]…22a] Kilcullen: et W **6** 20] 10 W | assercio opinioni] Scott: assercio W | Innocencii] Innocentio Ly **7** Novit] Kilcullen (cf. 4.20): solite W **8** sicut] et *added* Ed **14** congruentissime] congruissime Ed **23** translacione…1o] Kilcullen: translacione W

14.4 Quamvis] D.21 c.3, col. 70 | Sacrosancta] D.22 c.2, col. 73 **5** Cuncta] C.9 q.3 c.17, col. 611 Cum beatissimus] C.24 q.1 c.16, col. 971 **7** Novit] X 2.1.13, col. 242. **8** prius] 4.20 **12** Proverbiorum] 11:14 **22** Rogamus] C.24 q.1 c.15, col. 970 **23** De translacione] X 1.7.1, col. 96
15.2 prefati opinantes] 13.5 ff

a quo omnes alii iudices potestatem coactivam accipiant. Ille autem non debet esse papa, quia tunc periret tota iurisdiccio laicorum. Ergo papa a Christo nullam recepit potestatem coactivam.

Discipulus: Istam materiam conabor tecum discutere in tractatu de iuribus Romani imperii. Et ideo, isto et eciam quibusdam aliis pretermissis, nitere breviter allegare pro ultimo dicto, quod scilicet papa in temporalibus nullam potestatem specialem habet immediate a Christo sed a suis fidelibus, non tamen plenam sed limitatam prout fideles limitare volebant.

Magister: Quod papa in temporalibus nullam potestatem habet immediate a Christo videtur diversimode posse probari. Nam sicut imperator se habet ad temporalia, ita papa se habet ad spiritualia inquantum recepit immediate potestatem a Christo; sed imperator nullam potestatem habet in spiritualibus; ergo papa in temporalibus nullam potestatem habet immediate a Christo.

Amplius, sicut allegatum est prius, 9º c., secundum scripturas sacras et canones papa non debet se secularibus negociis implicare, et per consequens non est sibi specialiter commissum a Christo ut se implicet secularibus negociis. Quare, ut videtur, a Christo immediate nullam recepit in temporalibus potestatem.

Discipulus: Quomodo probatur quod papa habet a fidelibus aliquam potestatem in temporalibus?

Magister: Hoc ponitur propter canones sacros, per quos habetur quod papa in multis casibus se de temporalibus intromittit: Extra, *De foro competenti*, c. *Licet*, et Extra, *De iudiciis*, c. *Novit*, et Extra, *Qui filii sint legitimi*, *Per venerabilem*, et in aliis locis innumeris, habetur quod papa iurisdiccionem temporalem exercet, quam tamen non habet a Christo, sicut dicitur prius esse probatum; ergo habet eam a fidelibus.

Quod tali racione probatur. Nam papa non habet immediate a Christo maiorem iurisdiccionem in una regione quam in alia; sed de facto et de iure maiorem iurisdiccionem exercet in temporalibus in una regione quam in alia; ergo illam potestatem non habet immediate a Christo; habet ergo eam ab aliquo alio, et non nisi a fidelibus. Ergo ab ipsis fidelibus aliquam habet in temporalibus potestatem — non tamen plenam, sed limitatam, quia fideles tribuendo in temporalibus

15.10 et] *omitted* Mz | nitere] niteris Pz, nitaris Ly **11** breviter] *omitted* Ed **14** habet] Fr: habuerit Mz, habuit Ed **24** aliquam] *omitted* Ed **26** Hoc] hec Pz **29** in] multis *added* Ed

9 tractatu] 3.2 Dial. **19** prius] 9.35–55 **28** Licet] X 2.2.10, col. 250 | Novit] X 2.1.13, col. 242 Per venerabilem] X 4.17.13, col. 714

potestatem nullatenus se constituerunt servos eius; ergo sibi plenitudinem potestatis minime conferebant.

Capitulum 16

Discipulus: Ad sentenciam quintam tactam supra, c. 1º, transeamus. Quam primo satagas explicare, et inde qualiter intelligi debeat explanare.

Magister: Illa sentencia, sicut dixi, tenet quod papa talem plenitudinem potestatis habet in temporalibus et spiritualibus ut omnia, per potenciam ordinatam vel potenciam absolutam, possit que non sunt contra ius divinum nec contra ius naturale. Non habet regulariter et simpliciter, neque a iure divino neque humano, sed ex ordinacione Christi sive iure divino habet casualiter, sive in casu et secundum quid, huiusmodi plenitudinem potestatis, que sic secundum quosdam debet intelligi: papa a iure divino sive ex ordinacione Christi de temporalibus disponendis se intromittere minime debet quamdiu temporalia prout decet et expedit per laicos disponuntur, nisi accipiendo temporalia a laicis pro sua sustentacione et sui officii execucione, et ideo non habet potestatem a Christo regulariter disponendi et ordinandi de temporalibus, que ad reges et principes et alios laicos spectare noscuntur. Casualiter tamen, sive in casu, quando scilicet temporalia per alios in periculum communitatis Christianorum vel ad subversionem fidei Christiane tractarentur, vel in casu consimili, converterentur ad malum, et non esset aliquis laicus qui vellet et posset huiusmodi periculis viam precludere, papa a iure divino haberet potestatem faciendi de temporalibus quicquid pro bono communi et salvacione fidei et ad occurrendum huiusmodi periculis necessario faciendum sibi racio recta dictaret; et ita in tali casu haberet super temporalia, quodammodo et secundum quid, plenitudinem potestatis: non quia tunc temporalia efficerentur sua quoad dominium et proprietatem, nec quod posset ad libitum suum de eis disponere, sed quia nichil potest rex vel alius laicus facere de quacumque re temporali quin tunc idem posset facere papa, si hoc fieri expediret et non esset alius per quem convenienter fieri posset; et ita adhuc in tali casu non haberet plenitudinem potestatis in temporalibus simpliciter, sed tantummodo secundum quid.

---

38 sibi] *omitted* Ed **16.4** potestatis] *omitted* MF **5** habet] *omitted* Ly **6** potenciam] *omitted* Ed **11** decet] debet Ed **17** Christiane] *omitted* MF **18** posset] potest Ly **21** racio] *omitted* Pz **24** posset] Ly: possit W | suum] super Ly | de] *omitted* Ed **26** posset] Pz: possit MF, potest Ly

---

16.2 quintam] 1.28. For this opinion compare Brev. 2.1–18, 20.20–28, p. 142ff. **8** casualiter] Cf. Brev. 4.4; CB p. 315.33-6; OQ 2.8.48-58; 3.3.34-9; 4.9.120-4, 145-8; 8.6.21-32, 50-7, 63-71.

Similiter in spiritualibus non habet a iure divino regulariter et simpliciter huiusmodi plenitudinem potestatis, quia sine culpa et absque causa non potest precipere fidelibus illa que supererogacionis sunt, immo eciam multa alia. Non enim absque causa et sine culpa potest cogere laicum neque quod contrahat matrimonium neque quod voveat virginitatem neque castitatem, et tamen neutrum est contra ius divinum neque contra ius naturale, sed utrumque licite fieri potest. Et sic est de multis aliis licitis que ad spiritualia spectant, super que papa a iure divino regulariter et simpliciter non obtinet plenitudinem potestatis, super que tamen casualiter obtinet plenitudinem potestatis secundum quid, quia in casu vel racione delicti aut propter aliquam notabilem necessitatem vel utilitatem, quando ex precepto eius nullum immineret periculum, potest precipere cuicumque quicquid in spiritualibus non est contra legem dei nec contra legem nature.

Et ita secundum istos papa casualiter a iure divino tam in temporalibus quam in spiritualibus habet plenitudinem potestatis, non simpliciter sed secundum quid, que, quamvis non sit plenissima potestas, est tamen grandis, singularis et quam magna. Per ipsam enim potest in casu imperia et regna transferre, reges et principes aliumque laicum quemcumque temporalibus, iuribus et rebus privare aliisque conferre. In spiritualibus eciam omnia potest in casu. Exprimere autem omnes casus [explicite] et in particulari in quibus predicta potest, vel aliquid predictorum, non est facile; nec forte de ipsis potest dari doctrina universalis per quam certitudinaliter et absque errore sciatur, maxime a simplicibus, quando potest talia papa et quando non, et qualia potest in uno casu et qualia in alio; plura enim talia potest in uno casu que in alio casu minime potest.

Capitulum 17

Discipulus: Quamvis inter predicta aliqua sint michi obscura, que forsitan postea occasione habita lucidabis, tamen pro nunc prescriptam opinionem quoad illa obscura non cures amplius explanare. Sed cum dixeris breviter secundum illam sentenciam quam potestatem Christus non dederit beato Petro regulariter et successoribus eius et quam dederit ei casualiter sive in casu, nunc breviter

---

30 quia] quare Ed **33** quod] *omitted* Ed | neque[2]] et Ed **35** est] *omitted* Ly **39** immineret] imminet Ed **40** nec] aut Pz, vel Ly | contra legem[2]] *omitted* Ly **42** papa] potest *added* Ed **43** habet] habere Ed **48** casus explicite] Kilcullen (cf. Brev. 1.3.4-5): casus W; *gap added* Mz **49** est] *omitted* MF **50** certitudinaliter et] *omitted* Ly **51** potest[1]] possit Ed **17.6** dederit] dederat Pz | sive] *omitted* Ed

---

30 quia…causa] Cf. OQ 1.7.56 and Offler's note; Bartholomeus Brixiensis, "Privari an quis possit iure suo sine causa," *De brocardis*, in *Tractatus universi iuris* (Lyons, 1549), vol. 17, 25r.

narra secundum eandem opinionem quam potestatem aut iurisdiccionem Christus regulariter dederit beato Petro et in ipso successoribus eius.

Magister: Dicitur quod Christus constituit beatum Petrum caput, principem et prelatum aliorum apostolorum et universorum fidelium, dans ei regulariter in spiritualibus, quoad omnia que regimini communitatis fidelium quantum ad bonos mores et quascumque necessitates spirituales fidelium sunt de necessitate facienda vel de necessitate omittenda, omnem potestatem in talibus que non periculose sed provide et ad utilitatem communem committerentur uni homini, ac libertatem et iurisdiccionem eciam coactivam absque omni detrimento ac dispendio notabili et enormi iurium temporalium imperatorum, regum, principum et aliorum quorumcumque laicorum vel clericorum que eis iure naturali, gencium aut civili, ante vel post institucionem legis evangelice, competebant. In temporalibus autem dedit ei regulariter solummodo ius petendi temporalia pro sua sustentacione et sui officii execucione. Et hanc potestatem, sive in temporalibus sive in spiritualibus, habent nunc regulariter ex iure divino successores beati Petri, scilicet Romani pontifices. Omnem autem potestatem quam regulariter ultra istam habuerunt vel habent summi pontifices ex humana ordinacione, concessione, spontanea submissione, vel ex consensu expresso vel tacito, aut propter impotenciam, negligenciam aut maliciam hominum aliorum, vel ex consuetudine vel quomodocumque ex iure humano obtinuerunt et obtinent.

Discipulus: Ista narracio continet multa michi obscura, que, ut melius intelligam an sint vera vel falsa, michi studeas explicare et qualiter distinguitur ab aliis opinionibus declarare.

Magister: In hoc quod dicit Christum constituisse beatum Petrum "caput, principem et prelatum aliorum apostolorum ac universorum fidelium", intendit elidere opinionem tenentem quod beatus Petrus non fuit caput ecclesie ex institucione Christi sed solummodo ex eleccione seu institucione apostolorum seu aliorum fidelium.

Per spiritualia autem, de quibus facit mencionem, intelligit illa que ex institucione evangelice legis sunt propria evangelice legi, in nulla alia lege, saltem humana, vel secta reperta, sicut sunt dispensacio sacramentorum nove legis, ordinacio sacerdotum et clericorum, institucio vel promocio illorum qui

11 que] propter *added* Ly | regimini] Scott (cf. IPP 10.17): regimen Mz Ed, regimine Fr **13** in…que] omitted MF | talibus] Scott (cf. 17.55): hiis Ed **16** enormi] enormium MF temporalium imperatorum] imperialium Ed **19** ei] Kilcullen (cf. Petro, 17.118): eis W **35** facit] fecit Ed

17.35 spiritualia] Cf. 3.2 Dial. 2.4

debent regere et instruere populum Christianum, eciam in hiis que spectant ad fidem et cultum divinum, et consimilia.

Per hoc autem quod dicit Christum dedisse beato Petro potestatem quoad spiritualia que "sunt de necessitate facienda vel de necessitate omittenda", intendit excludere a regulari potestate Petri illa spiritualia que supererogacionis sunt, que scilicet sunt consilii et non precepti, et universaliter omnia sine quibus convenienter regi potest populus Christianus et absque quibus, quamvis fiant vel omittantur, nec fides nec boni mores periclitantur. Et ideo non potest papa regulariter precipere Christiano quod servet virginitatem vel contrahat matrimonium aut paupertatem assumat vel divicias retineat et possideat vel, quando non tenetur ex precepto dei, eleemosynam faciat vel non faciat, licet in casu plura talia precipere posset; et si extra casum utilitatis vel multa talia preceperit, preceptum suum non tenet sed est nullum, nec ille cui fit tenetur ei obedire eciam si propter hoc eum excommunicaverit — talis sentencia tamquam continens intollerabilem errorem esset nulla et minime formidanda nec de necessitate servanda.

Per hoc autem, quod dicit "dans ei omnem potestatem in talibus que non periculose sed provide et ad utilitatem communem committerentur uni homini", intendit excludere a regulari potestate pape omnem potestatem que, si uni homini committeretur regulariter, posset faciliter periculum notabile toti communitati fidelium imminere, cui non posset absque miraculo vel cum maxima difficultate via precludi. Propter quod, quamvis de necessitate sit aliquis successurus summo pontifici, tamen papa non habet potestatem ordinandi quis debeat sibi succedere. Propter hoc eciam est quedam sentencia tenens quod, quamvis eleccio summi pontificis sit de necessitate facienda, tamen papa non habet a Christo potestatem regulariter ordinandi quomodo et a quibus debeat eligi summus pontifex. Quia si talem potestatem haberet regulariter papa immediate a Christo — cum papa, tamquam homo peccabilis, sicut ceteri, erroribus, pravis affeccionibus, negligenciis ac maliciis et nequiciis valeat irretiri — posset faciliter ex negligencia vel malicia relinquere totam Christianitatem absque potestate eligendi summum pontificem, per quod periclitaretur bonum commune: posset enim, ex causa vel propter culpam, privare cardinales potestate et iure eligendi summum pontificem; quo facto, vel negligendo vel ex malicia differendo, vel tempus sufficiens ordinandi non habendo, posset mori antequam de electoribus summi pontificis ordinaretur, et ita, in periculum et detrimentum boni communis, tota Christianitas sine potestate et iure eligendi summum pontificem remaneret. Et ideo, secundum istam sentenciam, talis potestas non

39 in] *omitted* MF **48** et] *omitted* Ed **73** in] *omitted* Ed

est regulariter concessa a Christo summo pontifici, nec eciam aliqua alia potestas que periculose concederetur uni persone. Propter quod, secundum eos, nullo modo est dominus omnium temporalium, quia tale dominium esset nimis periculosum fidelibus.

Per hoc autem, quod tenet Christum dedisse pape "libertatem absque omni notabili et enormi detrimento et dispendio iurium temporalium imperatorum", et cetera, intendit asserere quod papa quicumque, quoad personam suam, est liber et nequaquam regulariter subiectus homini cuicumque, eciam si ante eleccionem suam fuisset servilis condicionis vel alio modo imperatori aut regi vel alii Christiano vel non Christiano subiectus, quia libertas unius hominis quoad personam suam non est notabiliter dampnosa imperatori vel alii. Et ideo papa, quantumcumque fuisset servus, eo ipso quod est papa, vel electus in papam, in libertatem eripitur. Casualiter tamen papa, puta si efficiatur hereticus vel in quocumque crimine appareat incorrigibilis et de eo scandalizatur ecclesia, humano iudicio est subiectus et debet per hominem iudicari et penam debitam sustinere de iure.

Per hoc autem, quod dicit Christum dedisse regulariter beato Petro quoad huiusmodi aliqualem "iurisdiccionem eciam coactivam absque detrimento et dispendio notabili et enormi iurium temporalium imperatorum", et cetera, intendit dicere quod papa habet a Christo regulariter potestatem puniendi crimina mere ecclesiastica, que scilicet directe committuntur in legem Christianam quoad illa que sunt propria legi Christiane et ab aliis sectis crimina minime reputantur, ita tamen quod talis punicio non sit in notabile dampnum et preiudicium aliorum qui minime peccaverunt. Et si servus alicuius committat crimen ecclesiasticum, papa potest ipsum punire, ita tamen quod dominus servi absque culpa sua notabile dampnum non incurrat.

Per hoc autem, quod dicit Christum dedisse beato Petro et successoribus eius libertatem et iurisdiccionem et potestatem huiusmodi "absque detrimento et dispendio notabili et enormi iurium temporalium imperatorum, regum et aliorum que eis iure naturali, gencium et civili, ante vel post institucionem legis evangelice, competebant", intendit astruere quod, per hoc quod beatus Petrus et successores eius erant vel erunt ad summum sacerdocium sublimati, imperatores et reges et alii, sive fideles sive infideles, qui fuerunt ante vel post institucionem legis evangelice, suis iuribus temporalibus minime privabantur, sed ipsa retinebant, nec regulariter pape in temporalibus subiciebantur, sed veri imperatores et

85 subiectus] *omitted* Ed **94** imperatorum] *omitted* Ed **97** et] que non *added* Ed **98** minime] Frm: immediate W **99** alicuius] alienus Ed **101** incurrat] currat Mz **105** gencium] *omitted* Ed **108** sive infideles] *omitted* Ly

reges et domini suarum rerum temporalium ac servorum et subditorum sibi sicut antea remanebant, nec efficiebantur servi cuiuscumque, nec regulariter preceptis pape tenebantur quoad temporalia obedire. Nec sentencia pape excommunicacionis vel alia, si fuerit lata contra imperatorem vel alium quia preceptis huiusmodi non obedit aut iura sua defendit, regulariter tenet, sed tamquam continens intollerabilem errorem est nulla penitus reputanda et minime formidanda, quantumcumque non servetur.

Per hoc autem, quod dicit Christum dedisse beato Petro in temporalibus "solummodo ius petendi temporalia pro sua sustentacione et officii sui execucione", vult excludere omnem opinionem tenentem quod papa in temporalibus habet regulariter plenitudinem potestatis vel eciam potestatem de temporalibus disponendi vel quamcumque iurisdiccionem temporalem super imperium vel quamcumque aliam regionem, et eciam opinionem tenentem quod papa non habet aliquod ius exigendi quecumque temporalia.

Per hoc autem quod dicit ultimo quod "omnem potestatem quam regulariter ultra istam <quam> habuerunt vel habent summi pontifices ex humana ordinacione", et cetera, intendit quod successores beati Petri, licet non excesserint beatum Petrum in potestate aliqua quam haberent ex sola ordinacione Christi et ex iure divino, tamen magnam potestatem tam in temporalibus quam in spiritualibus obtinuerunt ex iure humano quam non habuit beatus Petrus; et quod potestas pape ex iure humano potest augeri; et quod unus summus pontifex habet, vel habere potest, maiorem potestatem vel meliorem quam alius.

111 rerum] *omitted* Ed **116** formidanda] *gap* Mz; *omitted* Fr **122** vel[1]] in *added* MF **125** autem] enim Ed | ultimo] capitulo *added* Ed **126** istam] Scott: istam quam W **129** magnam] magna Pz potestatem] *omitted* Ed **130** quam] Scott: quod MF, que Ed

LIBER 2

Capitulum 1

Discipulus: Quoniam ista quinta assercio, via media inter alias quatuor incedendo, cum qualibet illarum in quibusdam concordat et in aliquibus discrepare dinoscitur, ipsam quoad singulas partes eius exquisite discutere est, eciam alias quodammodo pertractare. Ideo de ipsa diffuse aliquantulum inquiramus, incipientes a prima eius particula: an scilicet Christus constituerit beatum Petrum caput, principem et prelatum aliorum apostolorum et universorum fidelium. Ad cuius intelligenciam pleniorem ante omnia conferendo scrutemur an expediat toti communitati fidelium uni capiti, principi et prelato fideli sub Christo subici et subesse. Primo autem pro parte affirmativa nitere allegare.

Magister: Quod toti congregacioni fidelium expediat uni capiti fideli sub Christo subesse videtur multis modis posse probari. Nam uni corpori expedit unum caput habere. Corpus enim sine capite imperfectum esse dinoscitur, cum principaliori membro sit orbatum; corpus vero habens capita duo vel plura monstruosum esse videtur. Omnes autem fideles sunt unum corpus, teste Apostolo ad Romanos 12º: “Multi inquam unum corpus sumus in Christo”. Ergo cunctis fidelibus expedit uni capiti subesse. Illud autem caput non debet esse infidele, quia omnia alia membra, precipue in hiis que spectant ad salutem anime, conaretur inficere. Ergo debet esse fidele.

Discipulus: Ista allegacio videtur deficere, eo quod non probat quod illud caput debeat esse sub Christo. Immo per ipsam ostendi videtur quod universi fideles non debent uni capiti sub Christo subesse, cum Christus sit caput tocius ecclesie, ut Apostolus ait ad Ephesios 1º et in pluribus aliis locis asserit manifeste; ex quo sequitur, cum corpus habens duo vel plura capita monstruosum debeat reputari (ut innuit allegacio supradicta), quod tota congregacio fidelium non debet uni capiti sub Christo subesse, sed oportet ipsam solum Christum pro capite venerari.

Magister: Nonnullis apparet quod ista obieccio faciliter potest excludi. Quia, quamvis Christus sit caput ecclesie, tamen sub Christo oportet quod sit aliud caput eiusdem ecclesie quod sub Christo curam eius gerat, eo quod ecclesie esse debet vicarius rector qui corporaliter sit presens eidem, qui eam visibiliter regat,

---

1.4 ipsam] ipsamque Mz | quoad] ad MF | singulas] alias Ed | est] *omitted* Ed **5** diffuse] *omitted* Ed **10** nitere] nitaris Ed **16** inquam] *omitted* S **17** capiti] in prelato *added* MF **25** debet] debeat Ed **30** esse debet] est MF

1.2 quinta assercio] 3.1 Dial., 1.16 **16** ad Romanos] 12:5 **23** ad Ephesios] 1:22

ad quem fideles, cum necesse fuerit, pro variis necessitatibus corporaliter possint accedere. Per quem modum Christus ecclesiam minime regit, quia solummodo invisibiliter regit, nisi aliquando in casu. Licet ergo Christus sit caput, tamen homo mortalis fidelis debet esse caput, quamvis sub capite. Nec tamen propter hoc monstruosum est putandum corpus. Constat enim quod episcopus est caput respectu sibi subiectorum et rex est caput sibi subditorum, et tamen omnes habent unum caput, deum. Quamvis ergo corpus naturale esset monstruosum si haberet duo capita corporalia vel plura, quia unum non est caput alterius, tamen unum corpus misticum potest habere plura capita spiritualia quorum unum sit sub alio, nec hoc est monstruosum sed naturale, eciam multis expediens et decorum.

Discipulus: Alias allegaciones ad eandem conclusionem adducas.

Magister: Idem sic probatur. Expedit uni ovili ut ab uno pastore regatur et pascatur; quod salvator ipse insinuare videtur cum dicit, ut habetur Iohannis 10º, "Fiet unum ovile et unus pastor". Tota autem congregacio fidelium est unum ovile, ipso pastore supremo testante, qui (ubi prius) dicit, "Alias oves habeo que non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile", et cetera. Ergo expedit quod tota congregacio fidelium uni subsit pastori: non solummodo Christo, qui invisibiliter pascit ecclesiam, sed eciam fideli — et non infideli, quia ille foret lupus et fur in dispergendo, mactando et perdendo oves Christi — qui sensibiliter pascat et gubernet universitatem fidelium.

Amplius, omni populo expedit uni rectori subesse, teste Salomone, qui Proverbiorum 11º ait, "Ubi non est gubernator populus corruet". Dicens "ubi non est gubernator", non "ubi non sunt gubernatores", videtur eciam innuere manifeste quod ubi non est unus gubernator populus corruet. Tota autem congregacio fidelium est unus populus, licet plures populos parciales includat, teste beato Iohanne, qui Apocalypsis 21º c. ait, "Ecce tabernaculum dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi populus eius erunt". Ergo expedit toti universitati fidelium uni capiti et gubernatori subesse.

---

39 corporalia] naturalia Ed | quia] quorum Ed **41** nec hoc] non MF | eciam] et Ed
43 conclusionem] Kilcullen: questionem W **48** et[2]] ut Fr Pz | audient] Ly S: audiant W **51** eciam] visibili qui sensibiliter pascat immo eciam *added* Ly **52** qui…53 fidelium] *omitted* Ly
53 fidelium] infidelium Pz

---

45 Iohannis] 10:16 **55** Proverbiorum] 11:14 **59** Apocalypsis] 21:3

Rursus, communitati illi que optime regi non potest absque multitudine iudicum, qui possunt inter se circa causas et negocia variari et eciam in tocius communitatis periculum discordare, expedit ut uno supremo rectori et capiti subsit, qui possit omnibus indicare veritatem iudicii. Quod deus ipse in populo suo ordinasse videtur, qui precepit, ut legitur Deuteronomii 17º, dicens: "Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et non lepram, et iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge et ascende ad locum quem elegerit Dominus deus tuus. Veniesque ad sacerdotes Levitici generis et ad iudicem qui fuerit illo tempore, queresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem". Sed communitas fidelium eciam, ad ea que sunt propria religioni Christiane et que ad infideles iudices et rectores minime spectant, absque multitudine iudicum, qui possunt circa causas et negocia huiusmodi in communitatis periculum discrepare, convenienter regi non potest, cum in diversis provinciis, diocesibus et civitatibus necesse sit distinctos constituere iudices et doctores. Ergo expedit toti communitati fidelium ut pro huiusmodi casibus subsit uni capiti et rectori fideli — et non infideli, qui in talibus iudicium omnino subverteret et nequaquam veritatem iudicii indicaret.

Discipulus: Videtur quod auctoritas in hac allegacione adducta contra opinionem militet ostendendam, quia ex ipsa colligitur quod in tali casu non est recurrendum ad unum caput vel iudicem sed ad plures, cum dicat expresse, "Veniesque ad sacerdotes levitici generis et ad iudicem"; ergo in veteri lege fuit recurrendum ad plures in huiusmodi casu. Quod ex verbis que sequuntur probari videtur, cum dicitur, "Facies quodcumque dixerint qui presunt loco quem elegerit Dominus", et post, "Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat Domino tuo et decreto iudicis, morte morietur homo ille". Ex quibus verbis, ut videtur, datur intelligi quod in huiusmodi casu ultima decisio cause pertinebat ad plures.

Magister: Respondetur tibi quod de precepto dei unus debuit esse in populo Iudaico iudex supremus, caput omnium atque rector, sive sacerdos sive alius,

---

62 communitati illi] Kilcullen: communitas illa W | absque] *omitted* Ly **63** variari] contrariari Ed | in] *omitted* MF **66** ordinasse] ordinare Ed | qui…legitur] *omitted* Ed **67** perspexeris] S: prospexeris W **68** non] *omitted* S | iudicum] S: iudicem MF, iudicium Ed **69** verba] *omitted* Ed **70** Veniesque] venies Ed **71** qui] quod Mz **72** infideles] Kilcullen: fideles W **73** absque] *omitted* Ly **76** distinctos] districtos M **78** qui] quoniam infidelis Ly **80** auctoritas] Ly: auctoritates W **81** ostendendam] Kilcullen: ostendenda MF, *omitted* Ed **87** eo] eodem Pz | morte] *omitted* S **90** debuit] Kilcullen: debet W

---

66 Deuteronomii] 17:8–12

qui tamen de consilio sacerdotum decidere debuit maiores causas; et ita recurrendum fuit tunc ad unum tamquam ad caput et iudicem supremum et ad plures tamquam ad consiliarios capitis et iudicis.

Discipulus: Adhuc alias allegaciones ad idem adducas.

Magister: Alia allegacio potest esse talis. Illis qui in una fide et quibusdam eisdem ritibus et observanciis concordare tenentur expedit unum habere caput quod, salvo aliorum iure, ad huiusmodi veritatem transgressores cogat, vel saltem inducat; quia absque tali capite faciliter dividerentur in diversas sectas et hereses atque in observancias et ritus illicitos. Sed tota communitas Christianorum in una fide ac quibusdam eisdem ritibus et observanciis concordare tenetur, quia, ut testatur Apostolus ad Ephesios 4º, "Una fides, unum baptisma". Ergo toti communitati fidelium expedit unum caput habere fidele — non infidele, quod ad fidem contrariam ac observancias et ritus illicitos fideles induceret universos.

Adhuc, illis qui subsunt diversis iudicibus potentibus errare circa maiora negocia expedit unum caput habere, ad quod eadem maiora negocia referantur, per quod iudicentur iuste et rite. Quod Moyses de consilio Ietro cognati sui ex recta racione moti sapienter fecisse in populo sibi commisso videtur, de quo Exodi 18º sic legitur: "Quibus auditis, Moyses fecit omnia que ille", scilicet Ietro, "suggesserat, et electis viris strenuis de cuncto Israelitico, constituit eos principes populi, tribunos et centuriones et quadragenarios et decanos, qui iudicabant populum omni tempore; quicquid autem gravius erat referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes". Qui eciam, ut habetur Deuteronomii 1º, dixit inferioribus iudicibus, "Si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me et ego audiam". Fideles autem per latitudinem orbis dispersi subsunt in hiis que ad religionem pertinent Christianam diversis iudicibus et prelatis, quorum multi sepe sufficientem non habent maiorum negociorum periciam. Ergo expedit toti communitati fidelium unum caput habere ad quod huiusmodi maiora negocia referantur.

Discipulus: Ad istas duas raciones simul potest dupliciter responderi: uno modo quod, tam pro transgressoribus seu nolentibus compellendis ad unitatem fidei et observanciarum ac rituum ecclesiasticorum quam pro maioribus negociis, recurrendum est ad concilium generale, non ad aliquam unam personam; aliter

98 aliorum] alio Ly **101** tenetur] videtur Ed **104** quod] quoniam infideles Ly | induceret] inducerent Ly **105** universos] *omitted* Ed **111** Israelitico] israel S **112** quadragenarios] quinquagenarios S **113** populum] plebem S

102 ad Ephesios] 4:5 **110** Exodi] 18:24-6 **114** Deuteronomii] 1:17

quod recurrendum est ad iudicem supremum secularem, qui habet tam de spiritualibus quam de temporalibus iudicare.

Magister: Primam istarum responsionum quidam impugnant per hoc, quod, cum fideles per provinciarum quamplurium latitudinem sint divisi, difficiliter et in longo tempore generale concilium congregatur, et non absque gravissimis laboribus et expensis; quare, cum tales casus omni anno eciam pluries possunt contingere, non expedit communitati fidelium pro omni tali casu generale concilium congregari. Quare, ad levius in huiusmodi casibus precavendum periculis, expedit ut communitas fidelium habeat unum caput et prelatum qui in huiusmodi habeat potestatem, ad quem, pro supremis prelatis (cum excesserint) puniendis et aliis maioribus negociis ad que sufficit unius hominis pericia et potencia terminandis, recurratur.

Secunda responsio per hoc repellitur, quod sicut ante ascensionem Christi, et eciam aliquo tempore post, nullus erat fidelis, secularis et laicus qui potestatem vel iurisdiccionem secularem haberet, ita eciam posset adhuc contingere; et tamen pro huiusmodi casibus expediret communitati fidelium provideri. Ergo expedit communitati fidelium ut habeat unum caput, preter potestates et iudices laicos, quod in huiusmodi habeat potestatem; quia imperator aut rex aut alius princeps secularis non habet ex officio suo super fideles huiusmodi potestatem, cum aliquando imperator ac omnes reges et principes seculares fuerint infideles, et adhuc possent esse. Aliter autem infidelis in talibus posset habere potestatem super fideles, qui in omnibus talibus perperam iudicaret.

Discipulus: Adhuc alias allegaciones adducas.

Magister: Alia allegacio potest esse talis. Non expedit communitati fidelium ut multi inter eos, et precipue super alios potestatem habentes, absque omni timore correccionis et pene temporalis delinquere valeant insolentes. Quia, ut habetur 6ª, q. 1ª, *Ex merito*, “Capite languescente, cetera membra inficiuntur”. Quare, cum prelati fidelium, sicut et ceteri, proni sint ad malum, pro eo quod, ut ait concilium Tolletanum, ut habetur 12ª, q. 1ª, c. 1º, “Omnis etas ab adolescencia in malum prona est”, summe expediens est fidelibus ut prelatos “quos divinus timor a malo non revocat, temporalis saltem pena cohibeat a peccato” (Extra, *De*

---

126 temporalibus] corporalibus MF **127** responsionum] *omitted* Ed **133** in] *omitted* Ed
134 quem] quam Ed **143** huiusmodi] *omitted* Ed **144** fuerint] fuerunt MF **145** posset] debet MF
146 qui] quia MF | talibus] *omitted* Ly **147** alias] Scott: aliquas W **151** cetera] corporis *added* S
152 sint] Mz: sunt W

---

151 Ex merito] C.6 q.1 c.13, col. 557 **153** c. 1] C.12 q.1 c.1, col. 676

vita et honestate clericorum, c. *Ut clericorum*). Ergo expedit congregacioni fidelium ut habeat unum caput quod eciam universos prelatos valeat corrigere si in periculum religionis Christiane deliquerint. Nec valet dicere, ut quibusdam apparet, quod talis correccio spectat ad iudicem laicum, quia, sicut tactum est prius, ante ascensionem Domini non fuit laicus fidelis qui aliquam iurisdiccionem haberet super quoscumque, et adhuc esset possibile quod omnes laici fideles potestati infidelium subderentur. Ergo preter iudicem laicum expedit ut aliquis fidelis prelatus super alios prelatos habeat in huiusmodi potestatem.

Item, idem est expediens toti et parti, parvis et magnis, sicut idem iuris est in toto et in parte, parvis et magnis (Extra, *De appellacionibus*, c. *De appellacionibus*; Extra, *De prebendis*, c. *Maioribus*; 14ª, q. ultima, c. ultimo). Sed cuilibet populo fideli parciali expedit ut habeat unum episcopum qui sit caput omnium in spiritualibus et non plures (7ª, q. 1ª, *In apibus*, ubi dicit Ieronimus, "Ecclesiarum singuli episcopi, singuli archiepiscopi, diaconi, et omnis ordo ecclesiasticus suis rectoribus nititur"). Ergo toti communitati fidelium expedit unum caput habere.

Preterea, expedit communitati fidelium ut in hiis que ad religionem pertinent Christianam illo regimine gubernetur quod policie optime seculari maxime assimilatur. Policia autem optima secularis est regnum, teste Aristotele, qui 8º *Ethicorum* ait: "Policie autem sunt species tres, equales autem transgressiones, puta corrupciones harum. Sunt autem policie quidem regnum et aristocracia, tercia autem que a preciis, quam timocraciam dicere conveniens videtur (policiam autem consueverunt ipsam plures vocare). Harum autem optima quidem regnum". Et post, loquens de tyrannide, ait: "Manifestius in hac quoniam pessima; pessimum autem contrarium optimo". Ex quibus verbis patenter habetur quod regnum inter omnes policias est optima. Unius autem regni est unus rex, qui omnibus preest. Ergo et toti multitudini fidelium expedit ut unus omnibus presit.

---

158 valet] valeat Ed **159** spectat] spectet Ed **160** ascensionem Domini] Fr (cf. 1.137): *omitted* W **166** De[2]…167 c[1]] *omitted* Ed **168** omnium] *omitted* Ed **170** archiepiscopi diaconi] archipresbyteri, singuli archidiaconi S **175** regnum] regimen MF, regnum Frm **178** videtur] Ly S: videntur MF Pz **180** Manifestius] manifestum Ed **182** regnum] regimen Mz

---

156 Ut clericorum] X 3.1.13, col. 452 **166** De appellacionibus[2]] X 2.28.11, col. 413
167 Maioribus] X 3.5.8, col. 466 | ultimo] C.14 q.6 c.4, col. 744 **169** In apibus] C.7 q.1 c.41, col. 582 **175** Aristotele] *Nicomachean Ethics*, VIII.10, 1160a 31-35; trans. Grosseteste, p. 533
180 post] 1160b 9-10, p. 534

Adhuc, non minor unitas capitis requiritur in tota communitate fidelium quam in tota universitate mortalium. Sed expedit toti universitati mortalium ut unus omnibus principetur. Ergo eciam expedit toti communitati fidelium ut habeat unum caput quod presit fidelibus universis.

Capitulum 2

Discipulus: Ex ista racione coniicio quod ex hiis que potero invenire in secundo tractatu istius tercie partis dialogi, libro primo, ubi tractatur an expediat toti mundo uni principi seculari subesse, potest perpendi faciliter qualiter pro utraque parte hoc valeat allegari; omnia enim illa, vel plura, possunt ad istam materiam applicari. Ideo pro assercione prescripta noli amplius allegare, sed levius ad assercionem contrariam studeas pertransire, pro ipsa paucas allegaciones, et breves, inducendo.

Magister: Quod communitati fidelium non expediat uni capiti sub Christo subesse videtur sic posse probari. Nullum iniustum est expediens communitati fidelium. Sed unum esse caput et principari universis fidelibus est iniustum. Multi enim inter fideles sunt equales (vel nesciuntur esse inequales) in prudencia et virtute et in omnibus condicionibus que ad bonum caput et principem requiruntur. Sed iniustum est ut aliquis sibi similibus et equalibus principetur, quod Aristoteles, 3º *Politicorum*, c. 15º, testari videtur cum dicit: “Similibus secundum naturam idem iustum necessarium et eandem dignitatem secundum naturam esse, quare siquidem inequales equale alimentum habere vel vestimentum nocivum corporibus, sic habent et que circa honores, similiter autem et inequale equales: propter quod quidem nichil magis principari quam subici iustum”. Ex quibus verbis colligitur quod iniustum est ut aliquis sibi similibus et equalibus principetur. Quorum enim est eadem virtus et sufficiencia eorum debet esse equalis honor et dignitas, quemadmodum in naturalibus que non habent virtutem digestivam equalem non debent recipere alimentum equale. Ergo non expedit ut unus sit caput tocius communitatis fidelium.

Amplius, id quod est inutile non expedit congregacioni fidelium; sed unum caput preesse congregacioni fidelium est inutile. Quia caput quod non potest in operacionem debitam est inutile reputandum; operacio autem debita capitis quod membris ceteris principatur est in iniquitates irrumpere, delinquentes penis

2.3 libro primo] Kilcullen: libri primi W **6** pro] ista *added* Ed **7** ad] contra MF **12** in] et Ed **14** aliquis] aliquibus MF **16** secundum naturam] enim natura S **18** honores] sunt *added* Ed **19** autem] *omitted* S | inequale] S: inequalem W | nichil] S: vel W **22** eorum] non *added* MF que] qui MF **28** delinquentes] Scott: delinquentis MF, delinquentem Ed

2.15 dicit] *Politics* III.16, 1287a 12-17; ed. Susemihl, p. 227-8

congruis coercendo; igitur qui non potest impios coercere inutiliter principatur. Quod sapiens Ecclesiastici 7º videtur innuere dicens: “Noli querere fieri iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis et ponas scandalum in equitate tua”. Qui autem preesset congregacioni fidelium non posset delinquentes debite castigare, cum talis castigacio seu punicio, precipue multitudinis et potentum, absque potencia temporali, que communiter sine diviciis copiosis non habetur, exerceri non possit. Hinc rex, ad quem spectat cohibere crimina (secundum quod testatur beatus Cyprianus, ut habetur 23ª, q. 5ª, c. *Rex debet*), potencia debet et diviciis abundare, teste Aristotele, qui 8º *Ethicorum* ait: “Non enim est rex qui non per se sufficiens et omnibus bonis superexcellens est; talis autem nullo indiget”. Qui autem preesset congregacioni fidelium non propter hoc diviciis abundaret. Tum quia tempore apostolorum, quando fuit congregacio fidelium optime gubernata, nullus fidelis prepositus aliis diviciis abundabat. Tum quia Christus nullas divicias pro quocumque prelato fidelium ordinavit, sed magis consuluisse videtur ut inter fideles precipui victu et vestitu essent contenti; hinc Apostolus, 1ª ad Timotheum 6º, pro se et aliis qui fidelibus preerant, ait, “Habentes alimenta et quibus tegamur, hiis contenti simus”. Tum quia si caput fidelium diviciis abundaret, cum imperatores et reges ac principes seculares diviciis affluant, inter ipsos et caput fidelium, cum invicem in multis communicent et insimul habitent, dissensiones et guerre periculosissime faciliter orirentur, quia inter divites qui insimul commorantur leviter nascuntur lites et iurgia, ex quibus ad pugnas et guerras proceditur. Cuius exemplum habemus Genesis 13º, ubi propter divicias facta est rixa inter pastores Abraham et Loth, et Abraham timuit ne inter se et Loth, quamvis essent sancti et propinqui, propter copiam facultatum, si manerent simul, periculosa dissensio oriretur. Ibidem enim sic legitur: “Erat quippe substancia eorum multa, et nequibant habitare communiter; unde et facta est rixa inter pastores gregum Abraham et Loth”; et post: “Dixit ergo Abraham ad Loth, ‘Ne, queso, sit iurgium inter me et te et inter pastores meos et pastores tuos; fratres enim sumus. Ecce, universa terra coram te est; recede a me, obsecro’”. Inter divites igitur de facili discordie suscitantur. Unde et nonnulli existimant omnes dissensiones et

31 irrumpere] disrumpere Pz **32** equitate] S: agilitate W **33** cum] est MF **34** que] Fr: quis Mz; *omitted* Ed **35** non habetur] *omitted* Ed | possit] potest MF **39** nullo] modo *added* Ly | preesset] preest Ed **43** inter] nunc Ed **45** alimenta] vestimenta Pz **46** simus] sumus Fr Ed **48** invicem] *illegible* Mz, *gap* Fr **59** omnes] *omitted* Ed

30 Ecclesiastici] 7:6 **37** Rex debet] C.23 q.5 c.40, col. 941 **38** ait] *Nicomachean Ethics*, VIII.10, 1160b 3-4; trans. Grosseteste, p. 533 **44** 1 ad Timotheum] 6:8 **54** Ibidem] Gen. 13:6-9
59 nonnulli existimant] Cf. Brev. 2.19.80-4, p. 153; OQ 2.9.49-52, p. 85-6; IPP 7.1-23, pp. 292-3; Marsilius I.i.2, II.xxvi.19.

guerras et pugnas et prelia, ac civitatum et regionum destrucciones et vastaciones, innumeraque alia mala, que in Italia multis retroactis temporibus (et adhuc non desinunt) acciderunt, ex diviciis Romane ecclesie processisse; fuissetque expediens toti ecclesie dei ut eadem Romana ecclesia paupertatem apostolorum et modum eorum vivendi (omnibus pompis quoad vasa, vestes et supellectilem universam, ac scutiferos et alios quomodolibet servientes, atque quecumque alia procul motis) facto et opere imitata fuisset. Nullatenus igitur, ut nonnullis apparet, expedit communitati fidelium unum caput habere.

Rursus, expedit communitati fidelium ut regatur a pluribus; ergo non expedit sibi ut subsit uni capiti et prelato. Antecedens videtur posse probari per raciones consimiles illis quas Aristoteles, 3º *Politicorum*, allegat ad ostendendum quod melius est civitatem regi optimis legibus quam optimis hominibus et pluribus optimis quam uno optimo viro, quarum alique ad propositum possunt taliter applicari. Per illum (vel illos) expedit regi totam congregacionem fidelium cuius (vel quorum) iudicium est cercius et melius in iudicando et discernendo que sunt procuranda tamquam utilia toti communitati fidelium et que tamquam inutilia et nociva sunt penitus repellenda, et cuius (vel quorum) est plura talia perpendere et videre. Absque enim plenorum talium certa pericia nulla communitas potest commode gubernari, quia, ut ipse salvator testatur, Matthei 15º, si cecus cecum ducat, ambo in foveam cadunt. Sed plures melius et cercius in talibus iudicant et discernunt ac plura talia perpendunt et vident quam unus solus. Unde et Aristoteles, 3º *Politicorum*, c. 13º, ait: “Convenientes disceptant et consiliantur et iudicant; hec autem sunt iudicia omnia de singularibus. Secundum unum quidem igitur comparatus quicumque forte deterior: sed est civitas ex multis, sicut concenacio comportata pulchrior una et simplici; propter hoc et iudicat melius turba multa quam unus quicumque”. Et c. 14º ait: “Inconveniensque forte utique esse videbitur si melius percipiat quis duobus oculis et duabus auribus iudicans et agens duobus pedibus et manibus, quam multi multis”. Hoc enim inconveniens est dicere quod unus duobus oculis et duabus auribus melius aut plura percipiat quam multi multis oculis et multis auribus; similiter inconveniens est quod unus melius aut plura operetur duobus pedibus et duabus manibus quam

74 sunt] sint Ed **75** utilia] communia Ed **77** plenorum] plena Ed | certa] certaque Ed **78** ut] *omitted* Ed | testatur] *omitted* Ed | 15] ait *added* Ed **82** unum quidem] unumquodque Ed **83** comparatus] S: oportet W | quicumque] S: quecumque W | forte deterior] fore deteriora Ly **84** comportata] S: comparata W **85** multa] una Ed **86** percipiat] S: participat MF, perciperet Ed iudicans] S: *omitted* W **87** agens] S: ageret Ly, agere W **88** auribus] Kilcullen: naribus W **89** percipiat] participat MF | quam…est] et Ed | auribus] Kilcullen: naribus MF

78 Matthei] 15:14 **81** ait] *Politics* III.15, 1286a 26-31; Susemihl, p. 222 **85** ait] *Politics* III.16, 1287b 26-29; ed. Susemihl, p. 232

multi multis pedibus et multis manibus. Multi ergo cercius et plura vident quam unus. Unde et Actuum 15º legitur quod "convenerunt apostoli et seniores videre de verbo hoc", scilicet de questione que super circumcisione servanda inter beatos Paulum et Barnabam ac quosdam Christianos alios vertebatur. Apostolus eciam Paulus, ut ipse testatur ad Galatas, contulit cum aliis apostolis evangelium, ne forte in vacuum curreret ac cucurrisset. Ex quibus colligitur quod plura et cercius vident plures quam unus eciam optimus, teste Innocencio papa, qui, ut habetur dist. 20ª, c. *De quibus*, ait: "Facilius", et eadem racione cercius, "invenitur quod a pluribus senioribus queritur". Hinc est quod pro difficilioribus et maioribus negociis ecclesiasticis, quando imminent, generale concilium congregatur. Ergo expedit toti congregacioni fidelium ut a pluribus quam ab uno regatur.

Amplius, ab illo (vel illis) expedit regi communitatem fidelium cuius (vel quorum) appetitus sive voluntas est minus pervertibilis et corruptibilis a malicia, concupiscenciis, affeccionibus et passionibus pravis; oportet enim principem esse virtuosum et bonum, ac passionum minime sectatorem. Impii enim et qui sequuntur passiones et affecciones pravas non sunt digni aliqualiter principari, teste Salomone, qui Proverbiorum 28º ait, "Regnantibus impiis, ruine hominum", et 29º ait, "Cum impii sumpserint principatum, gemet populus". Hinc sapiens ille Ietro, racioni recte assenciens, dedit consilium Moysi ut solummodo bonos viros preficeret populo, dicens, "Provide autem de omni plebe viros potentes et timentes deum, in quibus sit veritas et qui oderunt avariciam; et constitue ex eis tribunos", et cetera. Et Aristoteles, 3º *Politicorum,* c. 2º, ait: "Epiices", id est virtuosos, "principari oportet". Plures autem sunt minus pervertibiles et corruptibles a malicia, concupiscenciis, affeccionibus et passionibus pravis quam unus. Igitur magis expedit communitatem fidelium regi a pluribus quam ab uno.

Maior istius racionis eciam innumeris auctoritatibus tam philosophorum quam fidelium posset ostendi, sed videtur tam nota quod non oportet eam plus probare. Minor videtur posse probari multis modis. Ait enim Aristoteles, 3º *Politicorum*, c. 8º, "Multos enim, quorum unusquisque est non studiosus vir,

---

91 quam unus] *omitted* Ed **96** quibus] verbis *added* Ed **97** eciam] et Ed **101** a] *omitted* Ed **102** regatur] regantur Ed **109** ait] *omitted* Ed **111** autem] tamen Ed **112** oderunt] oderint S **114** virtuosos] et *added* Pz **115** malicia] Kilcullen (cf. 2.104): maliciis W **116** communitatem] communitati Ly **121** vir] virtute Ly

---

92 Actuum] 15:6 **95** ad Galatas] 2:2 **98** De quibus] D.20 c.3, col. 66 **108** Proverbiorum] 28:12 **109** ait] Prov. 29:2 **111** dicens] Exod. 18:21 **113** ait] *Politics*, III.10, 1281a 28-9; ed. Susemihl, p. 190 **120** Aristoteles] *Politics* III.11, 1281a 43-b 7; ed. Susemihl, pp. 191-2

tamen contingit, cum convenerint, esse meliores illis", scilicet paucis, et per consequens multo magis uno, "non ut singulum sed ut simul omnes, veluti comportate cene hiis que ex una expensa elargite sunt: multis enim existentibus unumquemque partem habere virtutis et prudencie, et fieri congregatorum quasi unum hominem multitudinem multorum pedum et multarum manuum et multos sensus habentem, sic et que circa mores et circa intellectum". Ex quibus verbis colligitur quod melius est totam multitudinem principari quam paucos eciam virtuosos. Ex quo infertur quod melius est plures regere quam unum solum. Item, c. 14º, querit utrum unus princeps difficilius poterit perverti et corrumpi quam plures eciam boni viri, dicens, "Si plures sint boni viri et cives, utrum unus magis incorruptibilis princeps?", et respondet dicens, "Sed magis plures quidem numero, boni autem viri". Ex quibus verbis datur intelligi quod plures sunt magis incorruptibiles et impervertibiles a passionibus pravis quam unus. Unde et videtur concludere quod melius est civitatem regi a pluribus quam ab uno, dicens, "Aut palam quod plures?", scilicet melius regent quam unus. Unde et ibidem videtur concludere Aristoteles quod aristocracia, que est principatus plurium bonorum, est eligibilior et melior quam regnum, quod est unius, dicens: "Si itaque plurium principatum, bonorum autem virorum omnium aristocraciam ponendum, eum autem qui unius regnum, eligibilior utique erit civitatibus aristocracia quam regnum et cum potencia et sine potencia existente principatu, si sit accipere plures". Ex predictis omnibus concluditur quod melius est communitatem fidelium regi a pluribus quam ab uno qui sit omnium aliorum caput et princeps et prelatus.

Capitulum 3

Discipulus: Quia superius Aristotelem in politicis et ethicis allegasti, et es inferius forsitan allegaturus quampluries, qui pluribus vocabulis utitur Grecis quorum significaciones puris iuristis et aliis qui in philosophia morali minime studuerunt sunt ignote, ideo, ut tractanda melius intelligantur ab illis, significaciones aliquorum huiusmodi vocabulorum studeas explicare, una cum hoc sub brevi compendio quis et qualiter secundum intencionem Aristotelis in politicis

---

123 singulum] S: *gap* Mz Pz; *omitted* Fr | ut[2]] S: *omitted* W | singulum…ut[2]] S: magis studiosus sed Ly **124** comportate] S: comportare W | cene] S: censum W | que ex] S: qui W | elargite] elargiti Ly **125** unumquemque] S: unamquamque W | fieri] S: fini W **126** multitudinem] et *added* Ed | et[2]…127 sensus] S: prorsus W **127** et[1]] sic *added* Ed **132** unus] S: *omitted* W incorruptibilis] sit *added* Ed | Sed] vel S **139** omnium] S: omniumque W **140** erit] est MF eligibilior…141 regnum] *omitted* Ed **141** et[2]] eciam Mz **3.2** et[1]] eciam *added* Ed **3** quampluries] compluries Ly | Grecis] *omitted* Ed

---

131 dicens] *Politics* III.15, 1286a 38-b 8; ed. Susemihl, p. 223

et ethicis debeat aliis principari, prout aliqui ipsum intelligunt, exponendo. Cum enim ipse de hac materia diffuse tractaverit et in multis racionabiliter processisse putetur, non modica occasio tribuetur studiosis intelligendi quis et qualiter inter catholicos debeat alios tam in spiritualibus quam in temporalibus gubernare.

Magister: Quamvis quod petis non reputem facile, tamen satisfacere voluntati tue conabor, et tibi intencionem Aristotelis in hoc secundum opinionem quorumdam, cum quibus tamen non omnes concordant in omnibus, recitabo. Dicitur igitur quod Aristoteles, 1º *Politicorum*, ponit tres communitates in quibus aliquis (vel aliqui) debet (vel debent) aliis principari. Quarum prima secundum eum est domus, que tres combinaciones, communitates seu coniugaciones complectitur: scilicet eam que est viri ad uxorem, et illam que est patris ad filium, et illam que est domini ad servos. Prima autem combinacio vocatur ab Aristotele "nupcialis". Secunda potest vocari "paterna", et eam Aristoteles vocat "celmostinam", id est factivam filiorum. Terciam vero Aristoteles vocat "despoticam", id est dominativam; despotes enim est idem quod dominus, et principatus despoticus est principatus dominativus.

Ut tamen hec melius intelligantur, dicitur esse sciendum quod huiusmodi vocabula "dominus", "dominans", "dominari" et consimilia in significacione in diversis scripturis et scienciis accipiuntur equivoce; propter cuius equivocacionis ignoranciam sepe ignoratur intellectus auctorum utencium huiusmodi vocabulis secundum sensus contrarios. Omissis autem variis significacionibus huiusmodi vocabulorum "dominus", "dominans", "predominans", "dominium", "dominancium" et consimilium, quibus diversimode utuntur interdum philosophia naturalis et moralis et legales sciencie ac vulgaris locucio, qua sepe utuntur scripture divine, due sunt tantummodo que videntur ad propositum exponende. Est ergo sciendum, secundum istos, quod "dominus" uno modo dicitur respectu subiectorum liberorum quidem, quibus scilicet dominatur quis non principaliter propter utilitatem propriam sed principaliter propter utilitatem subditorum; et talis dominus non vocatur ab Aristotele despotes, nec principatus quo talis principatur vocatur ab eo despoticus. Aliter dicitur dominus respectu subiecto-

---

8 aliqui] alii qui Ed | exponendo] exponunt Ly **22** factivam] facturam Mz, futuram Fr **25** hec] hoc MF | intelligantur] intelligatur MF **26** dominari] dominator Ed | in[1]] non eadem Ed
27 accipiuntur] sed *added* Ed **28** huiusmodi] talibus Ed **29** secundum] *omitted* MF | contrarios] oriuntur *added* MF **32** legales] legalis Ly | qua] Kilcullen: que MF, quibus Pz, ille quibus Ly

---

3.8 aliqui] Thomas Aquinas and Peter of Auvergne. See Lambertini, *Povertà*, p. 269ff. **17** prima] *Politics* I.12, 1259a 37-39 **22** celmostinam] Rather, teknofactiva, Moerbeke 1253b 10; Lambertini, *Povertà*, p 276.

rum non liberorum sed servorum, qui sunt possessio domini quemadmodum alie res temporales dicuntur possessio alicuius; et talis dominus vocatur ab Aristotele despotes, et principatus eius vocatur despoticus. Qui despotes, sicut possidet res alias temporales propter utilitatem propriam et non propter utilitatem earum, sic principatur servis principaliter propter utilitatem propriam et non principaliter propter utilitatem servorum (licet sepe, secundum Aristotelem, idem sit expediens servis et domino). Quare, licet inveniatur ab Aristotele in politicis quod rex sit dominus sibi subiectorum, tamen nusquam invenitur quod debet dici despotes, vel quod principatus regalis debeat despoticus appellari, licet quandoque principatus tyrannicus despoticus nominetur propter similitudinem magnam inter despoticum et tyrannicum principatum (quia proprie loquendo principatus despoticus non est tyrannicus). Sicut enim aliqui iuste sunt servi secundum Aristotelem — tam illi scilicet qui a racione deficiunt ut nesciant regere seipsos, licet corpore sint robusti ut aliis valeant deservire (qui secundum Aristototelem dicuntur naturaliter servi), quam illi qui sunt servi secundum legem iustam, quia in bello iusto capiuntur vel aliter fiunt servi aliorum — sic principatus despoticus, qui est solummodo respectu talium servorum, est iustus et licitus atque bonus; principatus autem tyrannicus est iniustus, illicitus atque malus; unde et secundum Aristototelem tyrannis est pessima policia.

Preter principatum despoticum, quo paterfamilias principatur servis in domo, est principatus paternus, quo filiis tamquam liberis principatur, quibus secundum Aristotelem regaliter et non despotice principatur: non quod principatus paternus sit principatus regalis, quia principatus regalis non est nisi respectu civitatis vel regni (quod maius est civitate et ut plurimum plures civitates complectitur); sed pater dicitur filiis regaliter principari, non quidem quando domus in qua principatur est pars vici vel civitatis aut regni, sed quando principatur in domo que non est pars communitatis perfeccioris, qualiter Adam principabatur filiis suis et Noe filiis suis antequam filii illi diversas domos haberent. Talis autem principatus paternus, licet non dicatur regalis stricte loquendo, potest tamen dici regalis propter magnam similitudinem ad principatum regalem stricte sumptum. Sicut enim in regno habente regem qui propriissime et autentice dicitur rex, unus existens principatur omnibus liberis principaliter propter utilitatem subiectorum secundum voluntatem suam, non secundum legem, secundum Aristotelem, 3º *Politicorum*, c. 15º (quod qualiter debeat intelligi postea exponi-

43 principaliter[2]] *omitted* Ly **51** nesciant] nesciunt Mz **53** iustam] *omitted* Ed **60** regaliter] regulariter MF (elsewhere also) | non[1]] *omitted* MF **61** regalis[1]…principatus[2]] *omitted* Fr, *added* Frm | regalis[1]…regalis[2]] regat Mz **63** quando] quoniam Pz **64** quando principatur] *omitted* Ed

72 Aristotelem] Cf. *Politics* III.14ff, esp. 1285b 29-30, 1287a 1-3, 1288a 15ff. | postea] 6.18

tur), sic in domo que non est pars communitatis perfeccioris, quandocumque est talis pater, principatur filiis principaliter propter utilitatem ipsorum secundum voluntatem suam, non secundum legem, ita ut filios delinquentes omni pena qua expedit valeat castigare, possitque de ipsis et ipsis facere quecumque redundant in utilitatem ipsorum, quibus, quia non principatur principaliter propter utilitatem propriam, non despotice sed quodammodo potest dici regaliter principari. In domo autem que est pars vici vel civitatis pater non principatur filiis regaliter, quia non habet tantam potestatem super filios ut principetur eis secundum voluntatem suam, non secundum legem, eciam in multis que essent ad utilitatem ipsorum, nec pro multis delictis potest eos pena qua expedit coercere, sed talis vindicta est illi qui principatur in vico vel in civitate aut in regno servanda.

Paterfamilias autem in domo principatur uxori neque despotice neque regaliter: non despotice, quia non est serva; nec regaliter, quia non debet principari ei secundum voluntatem suam sed secundum legem matrimonii. Neque enim tantam potestatem habet vir super uxorem quantam habet pater super filios. Quando domus eius non est pars perfeccioris communitatis, principatur ergo vir uxori principatu politico. Hic enim principatus viri super uxorem assimilatur principatui politico, in hoc scilicet quod sicut in principatu politico principantes secundum virtutem et sapienciam antecellunt sibi subiectos, sic naturaliter vir excedit uxorem secundum sapienciam et virtutem — nisi aliquid accidat preter naturam, secundum Aristotelem, 1º *Politicorum*, c. 10º, sicut contingit in masculis effeminatis. (Per quem modum intelligenda sunt que dicta sunt superius de principatu despotico et paterno: quando scilicet natura non deficit in despote vel patre. Si enim natura ex aliqua causa deficeret in patre vel despote, non esset iustum naturale despotem aut patrem servis vel filiis principari, quorum tamen principatus sunt naturales, id est ex racione naturali, non ex institucione humana, provenientes, quando natura non deficit in patre vel despote.)

Tres autem predicti principatus ad “economiam”, id est ad gubernacionem domus, spectant; et sic accipitur economia ab Aristotele in philosophia morali, licet “economus” in iure vocetur ille cui res ecclesiastica gubernanda mandatur, ut qui administrat res canonicorum, qui in quibusdam ecclesiis appellatur prepositus.

---

81 essent] pertinent Ed **82** sed] secundum quam Ly **85** serva] Ly: sua W **88** domus eius] *omitted* Ed **90** sicut] *omitted* Ly **98** principatus] Ly: principales W **102** res] racio Pz

---

93 Aristotelem] *Politics*, I.12, 1259b 1-3 **94** superius] 3.49 **102** economus] Cf. C.9 q.3 c.3, col. 607 (Miethke, *Texte*, p. 363, n.31)

Capitulum 4

Secunda communitas, que est perfeccior domo, vocatur vicus, quia ex multis domibus constat tamquam ex partibus, nec tamen ad tantam perfeccionem attingit ut civitas sit et debeat appellari. Ista autem communitas, si non sit pars perfeccioris communitatis (scilicet civitatis aut alterius comprehendentis multos vicos seu vicinias aut civitates) et in ipsa multitudo domorum processit ex uno parente superstite, racionabile est ut ab illo regatur secundum voluntatem, non secundum legem, quantum ad illos qui processerunt ab ipso, si in eo natura non deficit, quemadmodum filii reguntur a patre. Quantum ad uxores autem quarum non est parens, racionabile est ut politice principetur, quia racio exigit ut legem matrimonii conservet, secundum quam vir et uxor in multis ad paria iudicantur. Si autem multitudo domorum vici non processit ab uno parente superstite, racionabile est ut aliquo regimine simili regimini quo regitur civitas gubernetur.

Capitulum 5

Tercia communitas, que ex pluribus vicis componitur, vocatur civitas, quam dicit Aristoteles, 1º *Politicorum*, esse principalissimam omnium communitatum. (Quod dicitur veritatem habere de communitatibus simul habitancium, non de communitate habitancium in distantibus locis et in pluribus civitatibus; qualis communitas est regnum vel ducatus, quod et qui potest communitas appellari, quia est illorum qui simul in multis communicant et ab uno principante reguntur; et multa que dicuntur de civitate proporcionaliter intelligenda sunt de regno et quacumque communitate que plures complectitur civitates.) Civitas autem est multitudo civium habitancium civitatem, quorum ordo vocatur policia. Sine ordine enim nulla est civitas; nisi enim habeat principantem vel principantes et subiectos, non est civitas appellanda, in qua diversi et diversimode sunt subiecti, saltem sepe et in perfectissima civitate. Quidam enim reperiuntur subiecti tamquam servi vel mercenarii aut bannausi. (Dicuntur autem “bannausi” qui, manualiter seu corporaliter operantes, opere suo maculant corpus, et isti in civitate que temperata et racionabili utitur policia non sunt proprie cives.) Alii autem in civitate sic sunt subiecti quod aliquo modo participant principatu, quia, quamvis non principentur, tamen aliquo modo ad principatum attingunt, quia ad iudicium vocantur et consilium vel eligunt principantem aut electores principan-

---

4.10 legem] Kilcullen (cf. 3.86): leges W **13** est] *omitted* Pz | aliquo…simili] aliquod regimen simile MF **5.2** communitas] est *added* Ed **4** veritatem] virtutem MF **6** et qui] eciam Ed **15** manualiter] naturaliter Ly **17** principatu] principatum Ly

---

4.2 quia] Applies presumably to “perfeccior”, rather than to “vicus”. **5.3** dicit] *Politics* I.1, 1252a 5 **14** bannausi[2]] *Politics* I.11, 1258b 37 (Miethke, *Texte*, p. 363, n. 32).

tis. Principans autem in civitate aliquando vocatur ab Aristotele "policernia". Policernia autem secundum quosdam tres habet significaciones: primo enim significat imposicionem ordinis policie; secundo impositorem ipsius; tercio significat ipsum ordinem impositum, qui est policia. Et ita policernia in una significacione idem est quod dominus et principans in civitate.

Capitulum 6

Policiarium autem due sunt species prime, sicut et due sunt species prime principatuum sive prelacionum et principancium sive prelatorum seu rectorum. Omnis enim principatus aut ordinatur principaliter ad bonum seu conferens commune, bonum scilicet principantis vel principancium et eciam subiectorum, aut non ordinatur ad bonum commune. Si ordinetur ad bonum commune, sic est principatus temperatus et rectus. Si non ordinetur ad bonum commune est principatus viciatus et transgressus, quia est corrupcio et transgressio principatus temperati et recti atque iusti. Policia ergo omnis aut est temperata et recta, vel est viciata et transgressa.

Policie autem temperate et recte tres sunt species principales et impermixte. Prima est quando principans est unus, et vocatur regalis monarchia, in qua dominatur unus solus propter commune bonum et non principaliter propter propriam voluntatem et conferens. Et huiusmodi policia, secundum Aristotelem, 8º *Ethicorum*, est optima, secundum optimum modum ipsius. Sunt enim ipsius plures modi secundum ipsum, 3º *Politicorum*, c. 16º, sed potissimus modus ipsius videtur quando aliquis regnat et principatur in regno non secundum legem sed secundum voluntatem suam. Quod quidam sic intelligunt. Ille dicitur principari et regnare secundum voluntatem suam et non secundum legem qui regnat propter commune bonum omnium et nullis legibus humanis pure positivis vel consuetudinibus alligatur sed est supra omnes huiusmodi leges, licet legibus naturalibus astringatur. Et ideo talis rex non habet iurare, nec eciam promittere, se servaturum quascumque leges vel consuetudines humanas introductas, licet expediens sit ipsum iurare quod leges naturales pro utilitate communi servabit et quod in omnibus que spectant ad principatum assumptum commune bonum intendet, non privatum. Talis rex potest dici habere plenitudinem potestatis, respectu scilicet eorum que bonum commune respiciunt non privatum. Talis

20 civitate] et dominans *added* MF | vocatur] vocantur MF **21** enim] Kilcullen: autem W **6.5** vel] Kilcullen: et W **7** ordinetur] ordinatur Ed **8** transgressus] transgressio Ed **22** eciam] *omitted* Ed

20 vocatur] Cf. *Politics* III.6, 1278b 10-11 | policernia] Rather, politeuma. Cf. *Politics* III.6, 1278b 10-11, ed. Susemihl, p. 173. **21** quosdam] Peter of Auvergne. See Lambertini, *Povertà*, p. 274. **6.14** Aristotelem] *Nicomachean Ethics*, VIII.10, 1160a 35-6 **16** c. 16] *Politics*, III.14, 1285 a1-2

autem principatus differt a principatu tyrannico, quia ille est propter bonum commune; principatus autem tyrannicus non est propter bonum commune. Differt eciam a principatu despotico, quia principatus despoticus est principaliter propter bonum proprium principantis, quemadmodum dominium bestiarum et aliarum rerum temporalium est propter bonum possidentis; principatus autem regalis est propter bonum commune, et ideo non nominatur proprie principatus despoticus. Et tamen rex talis est quodammodo dominus omnium, sed aliter quam in principatu despotico, quia in principatu despotico principans habet tantum dominium quod potest uti servis suis et bonis aliis quibuscumque que ad suum pertinent principatum talem, non solum propter bonum commune sed eciam propter bonum proprium, dummodo contra legem divinam vel naturalem nichil attemptet; sed principans in principatu regali predicto potest uti subiectis et bonis eorum qualitercumque sibi placet propter bonum commune, sed non potest uti eis ut sibi placet propter bonum proprium, et ideo sibi non sunt servi sed naturali libertate gaudent. Quia ad naturalem libertatem spectat ut nullus possit uti liberis propter voluntatem utentis, sed non est contra naturalem libertatem ut quis racionabiliter utatur liberis ad bonum commune, cum quilibet teneatur bonum commune preferre privato.

Discipulus: Secundum ista, principatus despoticus esset maior et perfeccior tali principatu regali, quia maiorem potestatem includeret. Principans enim despotice potest uti servis et bonis eorum propter utilitatem tam communem quam privatam, rex autem [non]nisi propter utilitatem communem; ergo est maior et perfeccior.

Magister: Respondetur quod principatus despoticus est quodammodo maior, quia ad plura quodammodo se extendit; sed ex hoc ipso est imperfeccior, seu quia bonum multorum est melius quam bonum unius, seu quia detrimentum boni multorum nullam perfeccionem sed imperfeccionem importat. In principatu autem despotico est detrimentum multorum ex hoc ipso, quod despotes potest uti sibi subiectis et bonis eorum ad propriam utilitatem, et ideo talis potestas maior imperfeccionem boni melioris, scilicet boni multorum, includit. Propter quod principatus despoticus, non solum qui est unius patrisfamilias in una domo sed qui est unius regis in uno regno, et per consequens qui est unius imperatoris in toto orbe, esset simpliciter imperfeccior principatu tali regali.

---

29 principatus…commune[2]] *omitted* Ed **33** nominatur] dicitur Ed | principatus] principaliter MF **39** predicto] non *added* Ed **40** commune…41 bonum] *omitted* Ed **43** voluntatem] utilitatem Ed **46** ista] istam MF **49** nonnisi] Kilcullen: nisi W **53** quia[1]] *omitted* MF | seu quia] *omitted* MF **59** est[1]] Scott: esset W

Preter istum principatum regalem sunt alii principatus regales diversimode deficientes ab isto, convenientes tamen in hoc quod sunt monarchie quedam. Quidam enim principatus unius monarche deficit ab isto quantum ad intencionem boni communis, quia scilicet non est institutus totaliter propter bonum commune sed eciam propter bonum proprium. Et talis principatus regalis aliquid habet de principatu tyrannico vel despotico, et est quodammodo mixtus ex principatu despotico, tyrannico et regali. In quantum enim quoad aliqua intendit bonum proprium et non commune, habet aliquid de tyrannide vel despotico principatu; in quantum autem in multis intendit bonum commune, habet aliquid de principatu temperato et recto, et ideo, cum unus solus principetur, habet aliquid de principatu regali. Et ideo est quodammodo mixtus ex principatibus illis. Unde et aliquis principatus regalis "tyrannicus" vocatur ab Aristotele. Principatus autem unius interdum deficit a sepedicto principatu regali quantum ad potestatem, quia scilicet non habet illam plenitudinem potestatis quam habet principatus regalis prefatus. Et talis principatus regalis dicitur "secundum legem", quia, licet unus principetur, non tamen principatur secundum voluntatem suam, sed quibusdam legibus et consuetudinibus humanitus introductis astringitur, quas tenetur servare et ipsas se servaturum iurare vel promittere obligatur; et quanto plures tales leges et consuetudines servare tenetur tanto magis recedit a memorato principatu regali — et ideo forte hiis diebus non est in universo orbe talis principatus regalis.

Secundum Aristotelem nullus est dignus tali regno nisi sapiencia et virtute et bonis omnibus, tam corporis quam anime quam eciam exterioribus bonis, scilicet amicis et diviciis, superexcellat; aliter enim timendum est ne ad tyrannidem se convertat. Unde et propria bona debet habere, vel ex se vel ex assignacione illorum quibus preest, ut bona liberorum nequaquam sibi appropriet nec eciam quoquomodo accipiat, nisi evidens utilitas vel manifesta necessitas hoc exposcat.

---

63 monarche] Kilcullen: monarchie W **68** proprium…71 regali] MF: commune habet aliquid de principatu tirannico et despotico et in quantum unus solus principetur habet aliquid de principatu regali Pz, commune et in quantum unus solus principatur habet aliquid de principatu regali in quantum vero bonum proprium eciam intendit habet aliquid de principatu tirannico et despotico Ly habet] est et habet Fr | tyrannide] Mz: tyrannico Fr **70** principetur] princeps Fr **72** regalis] et *added* Ly | tyrannicus] tyrannus Mz **77** suam] *omitted* Ed **81** principatus] scilicet primus *added* Ly **85** assignacione] significacione MF **86** ut] et MF

---

78 iurare] For example, in the coronation oath taken in Ockham's time by Edward II, for which see R.S. Hoyt, "The Coronation Oath of 1308", *English Historical Review* 71 (1956), p. 355ff. (Miethke, *Texte*, p. 363, n 35.)

Isti principatui regali, [directe] et summe, opponitur tyrannis, que est transgressio et corrupcio eius, que est prima species et pessima policie viciate, quia tyrannus non intendit bonum subiectorum, nisi per accidens, sed principaliter intendit bonum proprium, sive bonum proprium sit bonum eciam aliorum sive sit malum ipsorum. Fiunt autem tyranni, secundum Aristotelem, 5º *Politicorum*, c. 8º, sepe ex demagogis. (Sunt autem "demagogi" ducentes populum secundum voluntatem suam de beneplacito populi, non tamquam reges aut domini vel tyranni, seu ius regendi populum aut imperandi ipsi habentes, sed quasi procuratores et concionatores seu monitores instigant populum ad illa que populo placent, id est quibus populus credit; et ideo Aristoteles vocat eos, 4º *Politicorum*, c. 3º, "adulatores".) Tales enim sepe, postquam sibi unierint populum, incipiunt propter potenciam tyrannizare et eciam involuntariis dominari. Fiunt eciam tyranni nonnumquam ex regibus, quia, ut dicit Aristoteles, 8º *Ethicorum*, malus rex tyrannus fit. Sive enim aliquis sit primo rex secundum voluntatem suam sive secundum legem, si incipiat principari involuntariis propter bonum proprium fit tyrannus, si incipiat principari voluntariis propter bonum proprium fit proprie despotes, cuius principatus nonnumquam tyrannis ab Aristotele nuncupatur propter similitudinem magnam ad despoticam; non tamen tyrannis proprie est despotia, sicut ex supradictis patere potest.

Ex predictis colligi potest quod principatui regali, presertim potissimo, non solum tyrannis proprie dicta sed eciam principatus despoticus aliquo modo opponitur, vel est principatus ita disparatus ut nullus unus principatus possit esse regalis et despoticus respectu eorundem. Quod tamen aliquibus dominetur regaliter et aliquibus despotice inconveniens non videtur.

Capitulum 7

Secunda species policie temperate et recte atque iuste vocatur "aristocracia", in qua scilicet aliqui pauci viri et optimi principantur propter bonum commune multitudinis et non propter bonum proprium. Quia licet habeat plures species, ut docet Aristoteles, 4º *Politicorum*, c. 5º, tamen prima et optima species eius est

---

89 regali directe] Kilcullen (cf. 7.10): regali W; *gap added* Mz | et] eciam Ed **91** tyrannus] tyrannis Ed **93** ipsorum] impiorum MF **96** ipsi] ipsis MF; *omitted* Ly | habentes] Ly: *gap* Mz; *omitted* Fr Pz **99** populum] Ly: *omitted* W **102** Sive] si Ly | aliquis…103 sive] *omitted* Ed **103** si] *omitted* Ly **106** nuncupatur] vocatur Ed **110** ita] *omitted* MF **111** tamen] de *added* MF aliquibus] aliquis Ly **112** aliquibus] Kilcullen: aliquid Mz Pz, aliquid de Fr, aliquis Ly

---

93 Aristotelem] *Politics*, V.5, 1305a 9 and V.10, 1310b 15 **98** vocat] *Politics* IV.4, 1292a 17 **101** Aristoteles] *Nicomachean Ethics*, VIII.10, 1160b 12 **107** supradictis] 3.49 **7.5** Aristoteles] *Politics* IV.7, 1293b 14-21

quando in sublimando aliquos ad principatum aristocraticum potest haberi, et habetur, respectus solummodo ad virtutes, scilicet intellectuales et morales, non ad divicias nec ad potenciam nec ad amicos nec ad quecumque que possent absque bonitate et sapiencia reperiri. Policia autem intemperata et viciata atque transgressa que aristocracie directe opponitur vocatur "oligarchia", quando scilicet aliqui divites vel potentes vel qualitercumque insignes propter bonum proprium principantur, in tantum quod si eciam optimi viri principarentur propter bonum proprium et non principarentur propter bonum multitudinis, dicendi essent oligarchice principari, et principatus eorum esset oligarchicus reputandus. Et ideo quicquid fit in eleccione vel sublimacione principancium habendo respectum ad aliquam aliam prerogativam quam ad sapienciam et virtutem (puta ad divicias vel potenciam vel genus vel amicos vel dignitatem vel superioritatem seu maioritatem vel sequelam aut quamcumque aliam excellenciam) oligarchicum est habendum. Nec tamen est hoc semper reprehensibile reputandum, quia ex causa, propter bonum finem, licet in huiusmodi ad aliquam aliam prerogativam vel excellenciam habere respectum. Tam aristocracie quam oligarchie sunt diverse species, de quibus non est tractandum ad presens.

Capitulum 8

Tercia species policie temperate et recte atque iuste diversis nominibus appellatur. Uno nomine vocatur communi nomine "policia", quod in una significacione est commune ad omnem policiam, rectam et non rectam. In alia significacione signat solummodo quamdam speciem policie, que alio nomine timocracia nominatur, de qua sunt diverse opiniones. Una est quod "timocracia", sive policia communi nomine dicta, est illa in qua principantur multi propter bonum commune, sive sint optimi sive non optimi, sive sint divites sive pauperes, ita quod policia per se per multitudinem distinguitur ab aristocracia. Alia est quod policia est illa in qua principantur aliqui egeni virtuosi propter bonum commune. Alia est quod policia est illa in qua principantur aliqui, neque optimi neque mali sed mediocres, propter virtutem et bonum commune, ita quod per defectum virtutis et bonitatis distinguitur ab aristocracia. Sed quecumque policia debeat appellari timocracia, vel policia tamquam nomine communi, policia viciata et transgressa vocatur "democracia", quando scilicet populus principatur vel ordinat et constituit principantem non propter bonum commune; que species diversas complectitur. Sicut autem omnium policiarum temperatarum optima est

7.6 ad] in Ed **13** principarentur] Kilcullen: principantur MF, principentur Ed **14** et] quod *added* MF **15** fit] Fr: sit W **16** habendo] servando Ed | aliquam] *omitted* Ly **8.3** quod] Ly: policia enim Frm, omitted Mz Pz **8** sint[2]] sunt MF **11** aliqui] *omitted* MF

8.5 alio nomine] cf. *Nicomachean Ethics*, VIII.10, 1160a 34-6

regnum, et post eam aristocracia, et ultimo timocracia, sic policiarum intemperatarum sive viciatarum pessima est tyrannis, et post ipsam oligarchia; sed in democracia minima perversitas reperitur, secundum Aristotelem, 8º *Ethicorum*.

Capitulum 9

Discipulus: Exposuisti, ut estimo, significaciones vocabulorum extraneorum, secundum quorumdam opinionem, que frequencius in auctoritatibus Aristotelis allegatis et allegandis ponuntur. Ideo noli plura exponere, sed ad quesitum principale revertere, et qualiter ad allegaciones supra 1º et 2º c. huius secundi pro opinionibus diversis et adversis inductas secundum ipsas respondere contingat studeas recitare. Verumptamen antequam ipsas responsiones enarres, peto ut aliquas allegaciones adducas ad probandum quod magis expediat toti communitati fidelium regi ab uno quam a pluribus.

Magister: Quod petis dupliciter intelligi potest, quia dupliciter contingit plures regere sibi subiectos: uno modo ut plures diversos habeant sibi subiectos, ita quod regimen plurium ad eosdem minime se extendat, quemadmodum plures archiepiscopi regunt omnes in aliqua regione diffusa existentes, et diversa regna a diversis regibus quorum nullus est sub alio (et quandoque ipsis nullus [imperator] preest) reguntur. Aliter plures regunt sibi subiectos sic, scilicet, quod omnes eosdem habent subiectos, quibus communi consilio principantur, quemadmodum in aristocracia et policia stricte sumpta ac in policiis viciatis et transgressis eisdem oppositis, scilicet in oligarchia et democracia, reperitur. Sive primo modo sive secundo modo intelligas, potes superius 1º c. huius secundi ad id quod petis allegaciones aliquas invenire. Quia alique earum non solum probant quod expedit communitati fidelium regi ab uno et non a pluribus primo modo, sed eciam videntur ostendere quod expedit ei gubernari ab uno et non a pluribus secundo modo. Quare non videtur necesse ad id quod petis plures allegaciones adducere.

Discipulus: Quamvis ad id quod peto possint allegaciones alique supra adducte allegari, et eciam plura circa consimilem materiam ex quibus potero plura advertere circa hoc petitum dicantur in secundo tractatu huius dialogi, libro 3º, tamen volo ut aliquas speciales allegaciones inducas ad probandum quod magis expedit communitatem fidelium regi ab uno quam a pluribus secundo modo.

9.3 Aristotelis] iam *added* Ly **7** antequam] ad MF **13** aliqua] una Ed **14** nullus imperator] Kilcullen: nullus W; *gap added* Mz **15** plures] plus Mz **25** possint] possunt Fr Ed | adducte] inducte Ed **26** eciam] vobis quedam *added* MF **27** petitum] que *added* Ly | dicantur] dicentur Ly

---

20 Aristotelem] *Nicomachean Ethics*, VIII.10, 1160b 20 **9.27** dicantur] cf. 3.2 Dial., 1.1

Magister: Hoc videtur posse sic probari. Illo regimine expedit magis regi communitatem fidelium quod magis assimilatur regimini et principatui naturali; quia sicut ars, si est recta, imitatur naturam, ita principatus, si est rectus, imitatur et assimilatur principatui naturali; et per consequens principatus qui magis assimilatur principatui naturali est reccior et perfeccior, et per consequens magis expediens. Sed regimen sive principatus unius, quando scilicet unus solus regit multos et presidet eis, magis assimilatur principatui naturali quam regimen seu principatus plurium, quia tale regimen assimilatur principatui regali, qui est unius. Principatus autem regalis magis assimilatur principatui naturali quam principatus aristocraticus vel politicus stricte sumptus, quia magis assimilatur communitati que est domus, in qua principatur unus paterfamilias. Unde et principatus patrisfamilias regalis quodammodo esse videtur, teste Aristotele, qui 1º *Politicorum*, c. 10º, ait patremfamilias principari natis regaliter, et eodem capitulo dicit: "Puerorum autem principatus regalis: quod enim genuit, et secundum amorem principans et secundum senectutem est, quod quidem est regalis species principatus". Ex quibus verbis colligitur quod principatus regalis assimilatur communitati que est domus, in qua principatur unus et non plures neque primo modo neque secundo. Communitas autem domus est naturalis, secundum Aristotelem, qui 1º *Politicorum* in prologo ait: "In omnem quidem igitur diem constituta communitas secundum naturam domus est". Quibus verbis habetur quod communitas illa que est domus est secundum naturam et naturalis. Principatus ergo regalis magis assimilatur principatui naturali quam aristocraticus et politicus stricte sumptus, et per consequens principatus ille qui magis assimilatur regali, scilicet in quo regit unus et non plures, magis assimilatur principatui naturali, et per consequens est perfeccior et melior atque magis expediens. Ex quo infertur quod magis expedit communitatem fidelium ab uno regi quam a pluribus eciam secundo modo.

Discipulus: Videtur quod ista allegacio non concludit, quia principatus regalis non magis assimilatur communitati illi que est domus quam principatus politicus in quo principantur plures. Quia secundum Aristotelem, 1º *Politicorum*, c. 2º et 10º, communitatis illius que domus est, que est communitas economica, sunt tres partes, quarum una est despotica, alia nupcialis, et tercia paterna; et ideo

---

31 quod] qui MF **37** quia] quare Ed **39** quia] *omitted* MF | magis] autem added MF Pz **42** ait] *omitted* Mz | patremfamilias] Kilcullen: paterfamilias W **55** regi] *omitted* MF **57** quia] quare Ed **58** non] *omitted* Ly

---

42 ait] *Politics*, I.12, 1259b 1 **43** dicit] *Politics*, I.12, 1259b 10-12; ed. Susemihl, p. 50 **48** ait] *Politics* I.1, 1252b 12-14; ed. Susemihl, p. 5 **59** Aristotelem] *Politics*, I.3, 1253b 6-7, I.12, 1259a 37-b 1

sunt ibi tres principatus specie differentes, scilicet despoticus, quo paterfamilias principatur servis, politicus, quo paterfamilias principatur uxori, et regalis, quo paterfamilias principatur liberis sive natis. Ait enim Aristoteles: "Quoniam autem tres partes economice erant, una quidem despotica, de qua dictum est prius, una autem paterna, tercia autem nupcialis: et enim mulieri preest et natis tamquam liberis quidem ambobus, non eodem autem modo principatur, sed mulieri quidem politice, natis autem regaliter". Ex quibus verbis colligitur que dicta sunt, et infertur quod non magis assimilatur communitati domus principatus regalis quam politicus, quia sicut uni parti assimilatur principatus regalis, ita alteri parti assimilatur principatus politicus. Quare, ut videtur, non magis assimilatur principatus regalis principatui naturali quam principatus politicus, cum principatus quo paterfamilias in domo principatur uxori, cui assimilatur principatus politicus, sit naturalis, sicut principatus quo principatur natis, cui assimilatur principatus regalis. Quia teste Aristotele, eodem capitulo, dicente: "Masculus natura femella principalior, nisi aliqualiter constet preter naturam, et senius et perfectum est", scilicet principalius, "iuniore et imperfecto". Ex quo concluditur quod masculus naturaliter principatur uxori et pater natis. Quod de masculo respectu uxoris patenter dicit Aristoteles, 1º *Politicorum*, c. 3º, "Adhuc autem masculum ad feminam natura hoc quidem melius, hoc autem deterius, et hoc quidem principans, hoc autem principatum". Ex istis infertur quod ex hoc quod principatus regalis assimilatur principatui naturali probari non potest quod sit melior et perfeccior principatu aristocratico et politico stricte sumpto.

Magister: Istam responsionem quidam evacuare nituntur, dicentes quod licet tam principatus regalis quam politicus, et eciam aristocraticus, immo omnis principatus rectus, assimiletur aliquo modo principatui naturali, tamen principatus regalis magis assimilatur principatui naturali perfecciori et meliori quam principatus politicus stricte sumptus. Principatus enim patrisfamilias respectu natorum principalior est et perfeccior atque melior quam principatus quo principatur uxori: Tum quia principatus respectu liberorum est melior quam principatus respectu uxoris, quia inter liberos sunt masculi, qui meliores sunt feminis, sicut supra per Aristotelem est probatum; principatus autem meliorum subiectorum semper est melior, secundum eundem, 1º *Politicorum*, c. 3º. Tum quia

65 autem] *omitted* Ed **66** preest] preesse S **67** principatur] principatus S **75** capitulo] et *added* MF **76** senius] S: scimus W **77** iuniore] S: minore W **80** masculum] masculinum S | feminam] femininum S **81** principatum] Ly S: principata W **84** evacuare] narrare Pz, negare Ly **88** patrisfamilias] paterfamilias MF

64 Ait] *Politics*, I.12, 1259a 37-b 1, Susemihl, p. 49 **75** eodem capitulo] *Politics*, I.12, 1259b 1-4, Susemihl, p. 49 **79** Aristoteles] *Politics* I.5, 1254b 13-14; ed. Susemihl, p. 19 **93** eundem] *Politics*, I.5, 1254a 25-6

principatus quo paterfamilias principatur uxori est propter principatum quo principatur natis, quia propter prolem procreandam uxor principaliter est ducenda. Tum quia pater naturaliter plus diligit filios quam uxorem, quia naturali coniunccione et perfecciori sunt sibi coniuncti quam uxor. Et ita in communitate domus principalissimus et aptissimus et naturalissimus principatus est ille quo paterfamilias principatur natis, cui assimilatur principatus regalis; ergo principatus regalis est perfeccior aliis principatibus in communitate domus.

Adhuc, principatus regalis similior est principatui naturali quo paterfamilias principatur natis quam principatus politicus principatui quo paterfamilias principatur uxori. Nam regalis principatus assimilatur principatui paterno tam quoad unitatem principantis quam quoad plenitudinem potestatis, quia in utroque principatu est unus principans et uterque habet plenitudinem potestatis super sibi subiectos. Principatus autem politicus, licet assimiletur principatui quo paterfamilias principatur uxori in hoc, quod neuter principans habet plenitudinem potestatis, tamen in hoc differt, quod in principatu politico principans non est unus sed plures. In principatu autem naturali quo paterfamilias principatur uxori principans est unus, sive habeat plures uxores sive unam. Et ita principatus regalis magis assimilatur principatui naturali quam principatus patrisfamilias respectu uxoris. Ex quo concluditur quod magis expedit communitatem fidelium regi ab uno quam a pluribus.

Capitulum 10

Discipulus: Hic possemus multa scrutari de principatu regali et plenitudine potestatis, tam patris respectu natorum quam regis respectu sibi subiectorum. Sed quia hec postea forte habebunt locum, ideo ipsis pertransitis aliam allegacionem adducas ad probandum quod magis expedit communitati fidelium regi ab uno quam a pluribus.

Magister: Hoc iterum quidam sic probant. Illud regimen est maxime expediens communitati fidelium quo amicicia et concordia maxime conservatur et sedicio, que est cuiuslibet communitatis corrupcio, devitatur, teste Aristotele, qui, 2º *Politicorum*, c. 3º, ait: “Amiciciam putamus maximum esse bonorum communitatibus; sic enim utique minime sediciones faciunt”, et 8º *Ethicorum*, c.

---

103 Nam…principatus] *gap* Mz, *omitted* Fr | quoad…104 principantis] quo principantur MF
105 potestatis] quia in utroque principatu est unus principans *added* Ed **10.2** Hic] sic Pz
7 iterum…sic] tamen michi quidem MF **10** esse] S: omnem W **11** communitatibus] civitatibus S | faciunt] facient S | 8 Ethicorum] Kilcullen: 8 MF, 8 eiusdem Ed

---

10.10 ait] *Politics* II.4, 1262b 7-9; ed. Susemihl, p. 69

1º ait: "Videtur autem et civitates continere amiciciam, et legis positores magis circa ipsam student quam iusticiam. Concordia enim simile aliquid amicicie videtur esse; hanc autem maxime appetunt". Hoc eciam ipsa veritas Matthei 12º insinuare videtur, cum dicit: "Omne regnum divisum contra se desolabitur, et omnis civitas vel domus divisa" per discordiam et odium "contra se non stabit", et cetera.

Capitulum 13

Discipulus: Si alique alie allegaciones tibi occurrunt ad probandum quod nullus debet preesse cunctis fidelibus nisi omnes superet in sapiencia et virtute, adducas.

Magister: Hoc adhuc probatur sic. Non minor sapiencia neque virtus requiritur ad principantem in spiritualibus toti congregacioni fidelium quam ad regem qui in temporalibus presidet sibi subiectis, ut Aristoteles, 7º *Politicorum*, c. 13º, velle videtur, cum secundum ipsum ibidem, non est iustum aliquos semper principari (qualiter principantur reges et eciam summi pontifices) et alios semper subici nisi differant a subiectis sibi quantum dii et heroes differunt ab hominibus, qui sunt simpliciter, secundum ipsum, omnibus hominibus excellentes. Ait enim sic: "Si igitur fuerint tantum differentes alteri ab alteris quantum deos et heroes estimamus ab hominibus differre, confestim primo secundum corpus multam habentes excellenciam, demum secundum animam, ut indubitata sit et manifesta excellencia principancium respectu subiectorum, palam quia melius semper" [ut principentur secundum totam] vitam suam. Illud enim quod est excellencius et perfeccius, quamdiu manet tale, natum est principari illis qui ab excellencia tanta deficiunt. Si autem non inveniuntur tales qui differunt ab aliis quemadmodum differunt dii et heroes ab hominibus, tunc non est iustum ut aliqui eorum principentur aliis secundum totam vitam suam, sed iustum est ut omnes quodammodo communicent principatu, ut scilicet omnes qui sunt equales in sapiencia et virtute vicissim principentur, primo aliqui et postea alii, ut

13 aliquid] animi quid Ed **17** cetera] hic caret in parte suppleatur igitur etc *added* Mz, discipulus hic caret in parte suppleatur igitur etc *added* Fr, hic multa deficiunt scilicet residuum huius decimi undecimum et duodecimum ca *added* Pz **13.5** neque] et Ly | requiritur] acquiritur Mz **8** ibidem] inde Pz, *omitted* Ly **13** estimamus] existimamus S | differre] ut *added* Ed **14** demum] deinde S ut] S: et W **16** semper] *omitted* Ed | semper…totam] Scott (cf. line 20): semper W **18** Si] Fr: qui Mz Pz, quando Ly | differunt] differant Ed

12 ait] *Nicomachean Ethics*, VIII.1, 1155a 22-6; trans. Grosseteste, pp. 520-521 **14** Matthei] 12:25 **13.1** Cap. 13]Capitulum 11 and capitulum 12 are not found in Mz Fr Pz. In Ly these chapters seem to have been written by the editor. For his version, see Endnote 2. **12** Ait] *Politics* VII.14, 1332b 16-22; ed. Susemihl, p. 302

Aristoteles ibidem velle videtur, dicens: “Quoniam autem hoc non facile accipere, neque est, sicut inter Indos ait Scylax esse reges tantum differentes a subiectis, manifestum quod propter multas causas necessarium omnes similiter communicare eo quod est secundum partem principari et subici”, ut scilicet nullus principetur toto tempore vite sue, sed illi qui aliquando principantur, aliquando subiciantur. Cuius racionem assignat dicens, “Quod enim equale idem similibus”. Ex quibus verbis racio talis elicitur. Iniustum est ut aliquis semper principetur sibi equalibus et similibus; ergo, quando aliqui sunt similes, iniustum est ut aliqui eorum semper principentur et alii semper subiciantur. Quare concluditur quod, si inter fideles sint multi similes inter se in sapiencia et virtute, iniustum est ut unus eorum semper toto tempore vite sue principetur et alii semper subiciantur. Quare, cum papa toto tempore vite sue debeat preesse fidelibus universis, iniustum est ut aliquis efficiatur papa si alii inveniuntur sibi similes in sapiencia et virtute. Iniustum est ergo ut aliquis fiat papa nisi sapiencia et virtute fideles superet universos.

Amplius, principatus papalis est perfeccior principatu regali, teste Gregorio Nazianzeno, qui, ut legitur dist. 10ª, c. *Suscipitis*, ait, scribens imperatoribus Constantinopolitanis: “Dedit et nobis potestatem, dedit principatum multo perfecciorem principatibus vestris”. Nullus autem est dignus principatu regali nisi superet alios sapiencia et virtute — immo omnibus bonis, ut Aristoteles videtur asserere, 8º *Ethicorum*, sicut allegatum est supra, c. 2º huius secundi. Quod eciam probatur ex hoc, quod regnum est secundum aristocraciam institutum, secundum Aristotelem, 5º *Politicorum*, c. 8º. In aristocracia autem principantur illi qui sunt ceteris meliores, secundum eundem, 4º *Politicorum*, c. 5º. Ergo et in regno nullus debet principari regaliter nisi ceteros antecellat. Unde et deus, quando primo regem populo suo pretulit, optimum tocius populi elegit, teste Samuele, qui de ipso, scilicet Saule, pro tempore illo, dixit, 1º Regum 10º: “Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo”. Ergo multo forcius nullus est dignus principatu papali nisi omnes precellat sapiencia et virtute. Ergo quando non invenitur aliquis cuius excellencia tanta sit indubitata et manifesta (cum excellencia principancium debeat esse indubitata et manifesta, secundum Aristotelem, ut dictum est prius in [principio huius capitu-

23 autem hoc] ante hec Ed **24** est] S: *omitted* W | inter] S: apud Ed, *omitted* MF | Indos] S: vides MF **25** necessarium] S: necessarii MF, intrari Ed | similiter] S: omitted W **27** qui] *omitted* Ed **28** subiciantur] subiciuntur Ed | idem] omnibus *added* Ed **41** regali] *omitted* Pz **54** principio huius capituli] Kilcullen (cf. 13.14): primo c. W

23 dicens] *Politics* VII.14, 1332b 23-27; ed. Susemihl, p. 302 **28** dicens] *Politics* VII.14, 1332b 27; ed. Susemihl, p. 302-3 **39** Suscipitis] D.10 c.6, col. 20 **43** supra] 2.37 **45** Aristotelem] *Politics* V.10, 1310b 32 **46** eundem] *Politics* IV.7, 1293b 3-5 **49** Regum] 1 Sam. 10:24

55 li]), tunc nullus est ad summum pontificem eligendus, sed assumendi sunt plures excellenciores aliis, qui aristocratice vel politice omnes alios regant.

Capitulum 14

Discipulus: Ex racionibus istis michi dedisti occasionem cogitandi quamplura tam pro conclusione ad quam inducuntur quam contra, necnon eciam circa totam materiam quam in principio huius secundi cepimus pertractare, an scilicet 5 expediat congregacioni fidelium uni prelato subesse. Ideo exquisicius quam proposuerim ipsam et que prius tacta sunt intendo discutere, et quantam virtutem raciones pro una parte et pro alia allegate obtineant investigare. In primis autem aliquas allegaciones inducas ad probandum quod quamvis in toto populo Christiano nullus esset qui omnes alios virtute et sapiencia superaret, melius 10 esset populum Christianum regi ab uno quam a pluribus, secundum quod tenet secundus modus ponendi qui recitatus est superius, 11º c. huius secundi.

Magister: Hoc videtur sic posse probari. Tale regimen maxime expedit toti congregacioni fidelium quali deus tam in veteri testamento quam in novo voluit populum suum gubernari, cum ipse omnis regiminis virtuosi et utilis sit optimus 15 et sapientissimus institutor. Sed deus tam in veteri quam in novo testamento voluit totum populum suum gubernari ab uno qui per totam vitam suam esset omnium gubernator, quamvis non esset omnes alios in sapiencia et virtute precellens. Nec enim invenitur quod aliquis iudex vel rex in veteri testamento omnes alios excelleret sapiencia et virtute. Beatus eciam Petrus non videtur 20 fuisse sanccior et sapiencior universis apostolis et aliis orthodoxis; beatus enim Iohannes apostolus in amore Christi, et per consequens in sanctitate et virtute, ipsum precessisse videtur; beato eciam Paulo sapiencia videtur fuisse inferior. Ergo, non obstante quod non inveniatur aliquis Christianus qui excellat omnes alios sapiencia et virtute, est aliquis ad summum pontificium eligendus qui 25 Christianorum omnium sit prelatus.

Capitulum 15

Discipulus: Ut michi et aliis detur occasio inveniendi circa predicta clarius veritatem, ad omnia que pro assercionibus contrariis sunt adducta responsiones

---

14.3 circa] contra MF **8** toto] omni Ed **13** quali] Fr: quale Mz, quo Ed **15** institutor] instructor Ed **19** Beatus] Kilcullen: sanctus Ly, dictus W **20** et sapiencior] *omitted* Ed | beatus] Kilcullen: sanctus Ly, dictus W **22** beato] Kilcullen: dicto MF, sancto Ed | Paulo] in *added* MF **24** est] tamen *added* Ly

---

14.11 superius] Cap. 11 has not come down to us. For a reconstruction by the editor of Ly, see Endnote 2, p. 360 below; in which see line 8 ff for the second mode.

aliquas studeas recitare. Primo autem narra quomodo respondetur ad illa que [supra c. 2º recitantur, que] contra secundum modum ponendi [qui] supra c. 11º recitatur, et pro quo nunc ultimo allegasti, militare videntur. Ille enim modus ponendi aliquam apparenciam habere michi videtur.

Magister: Ille modus ponendi est bipartitus. Dicitur enim uno modo quod si nullus in populo Christiano invenitur excellencior omnibus aliis, et tamen invenitur idoneus atque bonus aliquis, talis est eligendus in papam, sed si nullus invenitur bonus et idoneus, nullus est ad tantum officium sublimandus. Aliter dicitur quod, sive inveniatur idoneus sive non, aliquis est ad summum pontificium eligendus, quia melius est qualemcumque in caput habere quam capite omnino carere.

Discipulus: Primo narra quomodo secundum primum istorum modorum respondetur.

Magister: Ad primam allegacionem que inducitur supra c. 2º huius secundi, que in auctoritate Aristotelis fundari videtur, qui videtur asserere iniustum esse ut aliquis principetur sibi similibus et equalibus, respondetur quod si in aliqua communitate omnes essent boni et nullatenus pervertibles per maliciam in actu vel potencia, iniustum esset ut aliquis principaretur sibi similibus et equalibus in sapiencia et virtute, quia tunc nulla racio appareret quare plus deberet unus quam alius principari; sed quando in aliqua communitate sunt multi aut plures perversi, vel qui perverti possunt, et cum maior pars et potencior voluntarie sustinet principatum unius ut a tali voluntate averti non possit, tunc expedit ut unus super omnes recipiat principatum, dummodo inveniatur talis qui sit dignus principari deterioribus (eo quod aliter non esset bonus vel idoneus reputandus). Si autem est aliqua pars tam potens quod possit sedicionem periculosam toti communitati suscitare que compesci non posset, et principatum unius vellet nullatenus sustinere, tunc non esset aliquis omnibus sibi similibus et aliis preferendus, sed esset talis principantis institucio ad tempus aliud differenda. Quemadmodum enim interdum propter maliciam subditorum episcopus licite deserit ipsos, eciam penitus renunciando regimini (Extra, *De renunciacione*, *Nisi cum*

15.4 illa…6 videntur] Kilcullen (cf. 15.17): illa contra que secundum modum ponendi supra cap. 11 [Fr 2] recitatur, et pro quo nunc ultimo allegasti militare videtur [militare videtur *omitted* Fr] MF; illa que contra secundum modum ponendi supra cap. 11 [Ly 2] recitantur, et que pro eo quod ultimo allegasti militare videntur Ed **8** enim] *omitted* Ed **9** nullus] *omitted* Ed | Christiano] non *added* Ed | invenitur] inveniatur Ed; aliquis *added* Ed **11** invenitur] inveniatur Ed | officium] beneficium Ed **19** principetur] principatur Pz **22** appareret] apparet Ed **25** possit] possint Ly **26** recipiat] accipiat Ed **30** aliquis] *omitted* MF

15.17 primam] 2.9 **18** auctoritate Aristotelis] 2.16 **33** Nisi cum pridem] X 1.9.10, col. 107

pridem; 7ª, q. 1ª, *Hoc tunc servandum*), sic propter maliciam aliquorum quandoque licet institucionem principantis differre. Et ideo, quamvis regulariter expediat toti communitati fidelium ut aliquis unus qui omnibus aliis presit ad summum sacerdocium eligatur, tamen, si esset tanta malicia alicuius partis Christianorum que posset exponere totam Christianitatem periculo et nullo modo vellet uni summo sacerdoti obedire, non esset tunc aliquis ad tale officium eligendus, sed esset eius eleccio differenda. Sicut enim sepe permittuntur minora mala ut maiora vitentur (dist. 3ª, c. *Omnis*), sic nonnumquam omittuntur bona quedam, eciam magna, ut maxima pericula declinentur. Aristoteles igitur intelligit quod iniustum est quod aliquis aliquibus sibi similibus in virtute et equalibus principetur nisi ex aliqua utilitate vel necessitate expediat ordinare ut aliquis eciam sibi similibus et equalibus, et non solum inequalibus et dissimilibus, principetur.

Ad racionem vero Aristotelis, qua absolute et sine distinccione vel modificacione probare videtur quod iniustum est quod aliquis sibi similibus et equalibus principetur quia equalibus secundum virtutem debetur equalis honor et dignitas, respondetur quod quando convenienter et utiliter fieri potest ut equalibus equalis honor et dignitas tribuatur, hoc faciendum est, in quo casu loquitur Aristoteles; tamen quando non est possibile aut non est utile vel est minus utile, presertim communi bono, quod equalis honor et dignitas equalibus conferatur, tunc absque omni iniusticia, immo iuste, eleccione vel sorte aut quovis alio licito modo aliquis quoad dignitatem et honores potest similibus et equalibus sibi preferri. Et si alii in hoc turbarentur et ad sedicionem faciendam provocarentur, efficerentur dissimiles et inequales secundum virtutem alteri cui prius equales et similes extiterant, tamquam ambiciosi et invidi, preferentes honorem proprium bono communi: cum magis periclitari vellent bonum commune, vel minime procurari, quam aliquem eis cum utilitate communi preferri.

Exemplum autem Aristotelis de habentibus equalem vel inequalem virtutem digestivam, et de habentibus equale vel inequale corpus (quia equalibus secundum virtutem digestivam vel corpus expedit habere equale alimentum vel vestitum, quod nocet inequalibus secundum virtutem digestivam et corpus), non concludit quod universaliter absque omni excepcione equalibus et similibus secundum virtutem debeat dari idem honor et dignitas: quia in ministrando

34 sic] Ly: sit W **38** et] quod MF **42** igitur] *omitted* Ed **47** et equalibus] *omitted* Ed **49** quando] quamvis ei MF | potest] possit Mz **50** hoc…est] *omitted* MF **53** iuste] iusta Ed **54** honores] honoribus MF | sibi] *omitted* Ed **57** extiterant] extiterunt MF **64** excepcione] accepcione Mz

34 Hoc tunc servandum] C.7 q.1 d.p.c.48, col. 586 **41** Omnis] D.3 c.4, col. 5 **46** racionem] 2.18 **60** Exemplum] 2.17

alimentum et vestitum equalibus vel inequalibus secundum virtutem digestivam corporis, solummodo attenditur propria virtus et proprium corpus uniuscuiusque ipsorum, quid scilicet expediat vel noceat unicuique ipsorum divisim. In distribuendo autem honores et dignitates quandoque solum attenditur meritum et dignitas illorum quibus debent distribui, quia tunc iniustum est ut equalibus inequalis honor seu dignitas tribuatur, et tunc locum habet exemplum Aristotelis; quandoque autem non solum attenditur meritum et dignitas honorandorum, sed eciam attenditur utilitas publica, que melius procuratur principaliter per unum quam per plures, et tunc, quia maior respectus habendus est ad bonum commune quam ad meritum et dignitatem honorandorum, iustum est ut equalibus et similibus secundum virtutem non equalis honor et dignitas tribuatur.

Capitulum 16

Discipulus: Quia contra istum modum videntur specialiter militare ea que allegata sunt prius, c. 12º et 13º (ibi enim ostenditur quod nullus debet preferri cunctis fidelibus nisi precellat virtute et sapiencia universos, cuius contrarium tenet predictus modus ponendi), ideo narra qualiter respondetur ad ipsa.

Magister: Ad illa que 12º c. inducuntur respondetur quod, regulariter, quando invenitur aliquis qui virtute et sapiencia omnes alios superet et excellat, ille preferendus est in summum pontificem, et regulariter peccant qui scienter talem dimittunt et essent merito potestate eligendi privandi; et in hoc casu loquuntur auctoritates inducte. Quando autem non invenitur aliquis talis sed multi sunt similes et equales secundum virtutem et sapienciam, tunc non est eligendus talis (cum nullus sit talis), nec tamen propter hoc debet differri eleccio quousque inveniatur talis, sed sufficit tunc unus equalium vel similium in sapiencia et virtute, habendo respectum ad aliquid aliud quod aliquo modo suffragetur eidem, ut eligatur.

Discipulus: Quamvis istam responsionem, ut puto, intelligam, tamen qualiter ista opinio auctoritates supra 12º c. allegatas, que fortiter contra ipsam militare videntur, exponit ignoro. Ideo breviter discurre per ipsas et dic quem intellectum habet de ipsis.

---

67 corporis] corpus MF | corpus] *omitted* Ed **71** locum] bonum Ed | habet] est Ly **76** dignitas] virtus Ed **16.2** militare] allegare Pz, allegari Ly **9** essent] quasi *added* Ed **11** et sapienciam] *omitted* Ed **15** ut] omitted MF **17** 12] Ly: 8 W | fortiter] forte Ed **18** exponit] exponitur Mz **19** habet] habent Ed

---

16.17 supra…allegatas] Cap. 12 has not come down to us. For a reconstruction by the editor of Ly, see Endnote 2, p. 360 below;

Magister: Ad illam auctoritatem que dicit quod talis debet eligi respectu cuius ceteri grex dicantur, respondetur quod potest habere duplicem intellectum verum. Unus est quod quando aliquis eligitur, talis elegi debet respectu cuius ceteri, boni et mali, dici possint merito grex. Alius est quod, quia in ecclesia semper inveniuntur mali, semper debet eligi talis respectu cuius ceteri, id est mali, grex dicantur; non tamen est semper possibile ut eligatur talis respectu cuius eminentes in sapiencia et virtute possint dici grex.

Ad aliam que ponitur 1ª, q. 1ª, c. *Vilissimus*, respondetur quod prelatus vilissimus, id est valde vilis, est putandus nisi precellat malos et indignos tanto honore, sciencia et sanctitate, sed non est vilissimus reputandus quamvis non precellat sciencia et sanctitate eminentes secundum sapienciam et virtutem.

Ad terciam, que est Ieronimi, respondetur quod quando est aliquis prestancior, sanccior, et cetera, ille ad sacerdocium eligendus est; quando autem non est talis, sufficit eligere prestanciorem, sancciorem, docciorem et in omni virtute eminenciorem omnibus malis et stultis in populo.

Ad auctoritatem Leonis pape consimiliter dicitur quod quando est aliquis optimus, ipse est eligendus, quando non est aliquis optimus, eligendus est bonus.

Ad auctoritatem Ambrosii dicitur quod presbyteri et diacones cunctum populum vitam ducentem in omnibus secularem debent conversacione et sermone preire, sed non oportet quod preeant illos ex populo qui ducunt vitam singulariter sanctam.

Ad alias auctoritates per modum consimilem respondetur.

Discipulus: Puto me non ignorare qualiter ista opinio intelligat omnes sacros canones qui in hoc contra ipsam militare videntur. Sed dic an teneat eleccionem debere cassari si non eligitur optimus, quando optimus et excellencior omnibus invenitur.

---

20 auctoritatem] racionem Ly **22** eligitur…debet] *omitted* MF **23** grex] eligatur ille *added* MF **24** semper[2]] *omitted* Ed **25** semper] *omitted* Ed **27** respondetur…28 vilissimus] *omitted* Ed **29** non[2]] *omitted* Pz **31** quando] *omitted* MF **33** docciorem] doctorem MF **39** preire] conceditur *added* Ly **41** Ad…respondetur] *omitted* Ly **44** eligitur] eligatur Ed

---

20 illam] Cf. D.25 d.p.c.3, § 2, col. 92; cf. OQ 3.6, p. 108 **27** aliam] C.1 q.1 c. 45, Vilissimus, col. 376 **29** non[1]…30 virtutem] Cf. gloss to C.1 q.1 c.45, s.v. nisi precellat, col. 518 **31** terciam] Cf. C.8 q.1 c.15, col. 594. See gloss,
s.v. qui prestancior, col. 855. See also gloss to D. 23 c. 1, s.v. gremio, col. 105 **35** auctoritatem Leonis] Cf. D.63
c.36, col. 247 **37** auctoritatem Ambrosii] Not found. But see Jerome, C.8 q.1 c.21, col. 597

Magister: Tenet quod quia propter scandala, turbaciones, dissensiones, sediciones eciam, sepe tollerantur minora mala ut maiora vitentur, ita potest eleccio boni, non optimi, quando invenitur optimus, licite non cassari, et sepe periculosissime cassaretur.

Discipulus: Numquid, non obstante quod talis eleccio cassari non debeat, tenetur electus bonus non consentire eleccioni de se facte, vel cedere si iam consenserit, quando aliquis optimus est dimissus?

Magister: Respondetur quod talis, quando alius optimus invenitur, si absque periculo vel turbacione notabili valeat non consentire, vel cedere si consenserit, de necessitate salutis tenetur non consentire vel cedere, maxime si cum bono exemplo et edificacione tocius communitatis fidelium hoc facere possit. Aliter enim dampnabiliter bonum vel honorem proprium bono communi preferret.

Capitulum 17

Discipulus: Dic nunc qualiter respondetur ad illa que supra 13º c. sunt adducta.

Magister: Omnia illa fundantur in hoc, ut videtur, quod nullus est dignus principatu regali nisi superet omnes alios sapiencia et virtute, secundum quod Aristoteles in politicis et eciam in ethicis sentire videtur, ut nullus debeat esse rex nisi sit optimus, et melior secundum sapienciam et virtutem omnibus sibi subiectis. Ad quod dicitur quod hoc non est, secundum Aristotelem, universaliter absque omni excepcione verum. Ad cuius evidenciam dicitur esse sciendum quod principatum regalem pluribus modis contingit adipisci, de quibus ad presens sufficit enumerare duos, quorum unus est quando aliquis a subditis voluntarie sublimatur in regem, alius quando quis voluntarie de principatu despotico quem iuste adeptus fuit ad principatum regalem se transfert. Si primo modo debeat quis ad principatum regalem regulariter assumi, assumendus est optimus secundum sapienciam et virtutem, si invenitur talis et nullum iustum impedimentum impedit promocionem eius, et si tale genus invenitur quod tali modo excedat omnes alios, iustum est regulariter ut tale genus regnet. Et sic intelligit Aristoteles, 3º *Politicorum*, c. 16º, cum dicit: “Cum igitur sit genus totum vel aliorum unum acciderit esse differentem secundum virtutem tantum ut excedat que illius eam que aliorum omnium, tunc iustum est genus hoc esse regale et dominans omnium et regem unum hunc, sicut et dictum est prius”. Si autem non invenitur,

---

46 dissensiones] *omitted* Ed **52** dimissus] divisus Pz **54** consenserit] consensit MF **17.7** hoc] *omitted* Ed **15** invenitur] inveniatur Ed **17** vel aliorum] S: et alios W **18** differentem] S: differentur Mz, differenter W **19** eam] ea Ed **20** et[2]] enim S

17.17 dicit] *Politics* III.17, 1288a 15-20; ed. Susemihl, p. 235

inveniuntur tamen multi boni, aliquis eorum assumendus est, cuius principatum alii ei similes et equales in sapiencia et virtute propter commune bonum pacienter et libenter ferre tenentur. Qualiter autem assumi debeat postea, si volueris, poteris inquirere.

Si autem secundo modo pervenerit quis ad principatum regalem (puta quia primo obtinuit dominium regionis tocius et omnium habitancium in ea, sive per occupacionem sive per empcionem sive per donacionem sive per iustum bellum sive quoque alio modo iusto, et postea, renuens principatum despoticum, contentus est solo principatu regali, ut scilicet principaliter velit principari eis propter bonum et conferens subditorum, non propter bonum proprium, qualiter principatur despotes), poterit iuste potiri principatu regali quamvis non sit optimus, quia ex hoc quod partem iuris sui dimittit et partem retinet non est iniustus censendus, licet non sit optimus.

Ad Aristotelem autem qui innuit 7º *Politicorum*, c. 13º, quod non est iustum aliquos semper principari nisi tantum differant a subditis quantum dii et heroes differunt ab hominibus, respondetur multis modis: uno modo quod hoc est verum si attendatur solummodo meritum et dignitas principantis, non autem si attendatur utilitas boni communis. Aliter dicitur quod hoc est verum de iusto naturali in particulari (puta quod non est iustum naturale ut isti principentur omnibus aliis nisi tali modo differant ab omnibus illis quibus principantur; per quem modum iustum est ut ille vir principetur uxori sue vel uxoribus, et pater filiis, et iste dominus servis qui naturaliter sunt servi, secundum Aristotelem 1º *Politicorum*), sed non est verum de iusto positivo. Nam cum sepe sit iustum et naturale ut aliquis dominetur multis sibi similibus et equalibus in communitate perfecta (quia <si> sunt tot similes et equales secundum virtutem quod non possunt utiliter omnes simul principari, et tamen talis communitas sine principante non potest consistere, secundum Aristotelem), et tamen non est iustum naturale ut magis principentur isti quam illi, necesse est quod per iustum positivum determinetur quod isti principentur, vel simpliciter secundum totam vitam suam vel ad tempus. Et sic, non obstante quod non sit iustum naturale ut iste principetur secundum totam vitam suam sibi similibus et equalibus, qualiter intelligit Aristoteles, tamen potest ex causa fieri iustum positivum, quod Aristoteles negare non intendit.

---

22 ei] eis MF **31** poterit] Ly: poteris W **32** optimus] hominum *added* Ly **38** attendatur] attenditur Ed **40** omnibus[2]] *omitted* MF **42** servis] suis *added* Mz **43** cum] *omitted* Ly **45** quia] Kilcullen: quia si W **47** tamen] quia Ed **48** isti] *omitted* Pz | illi] quare *added* MF **50** sic] Kilcullen: sicut W

---

34 Aristotelem] above, 13.7

Discipulus: Quomodo potest esse iustum naturale quod aliquis principetur sibi similibus, et tamen non est iustum naturale quod ille principetur sibi similibus, nec est iustum naturale quod ille principetur sibi similibus, et sic de singulis?

Magister: Respondetur quod ista interrogacio tua procedit ex ignorancia primitivorum, scilicet logicalium, que nullus desudans cuique sciencie ignorare deberet; aliter enim procedet sophistice quando putabit se demonstrative procedere. Dicitur ergo quod, sicut sepe tam universalis quam particularis est necessaria et tamen quelibet singularis est contingens, ita possible est quod particularis sit secundum iusticiam naturalem et tamen nulla singularis. Quare possible est quod aliquem debere principari sibi similibus sit iustum naturale, et tamen non est iustum naturale istum principari debere sibi similibus, nec est iustum illum debere principari sibi similibus, et sic de singulis. Et sicut possibile est quod proposicio cathegorica de disiuncto extremo in qua subiciuntur termini discreti contenti sub aliquo termino communi sit necessaria, et tamen quod disiunctiva correspondens cum modo necessitatis sit falsa, et ideo nulla singularium illarum sit necessaria, ita potest contingere quod talis sit vera, "Istum vel illum" (et sic de singulis) "principari sibi similibus est iustum naturale", si fit cathegorica de disiuncto subiecto, et tamen quod disiunctiva sit falsa, et per consequens quelibet singularis est falsa. Ut igitur (secundum istos) absque omni decepcione in talibus procedatur, diligentissime est cognoscenda differencia inter proposicionem disiunctivam et de disiuncto extremo, et inter proposicionem de eisdem terminis acceptam in sensu composicionis et in sensu divisionis (secundum quosdam), vel inter diversos sensus talium proposicionum secundum amphibologiam (secundum nonnullos): quia sepe propter ignoranciam diversitatis inter tales proposiciones et sensus, intellectus auctorum in pluribus ignoratur, dum putantur unum habuisse sensum et quandoque alium — immo quandoque contrarium — habuerunt, et variis modis sophismata fiunt in talibus (quamvis ignoranter a multis) dum unus sensus vel proposicio equipollens sophistice infertur ex alio aut econverso, vel ex proposicione in uno sensu accepta, vel ex uno sensu, inferuntur illa que non ex ipso sed ex alio sensu sequuntur, vel

---

55 sibi] *omitted* Ed **56** nec…similibus] *omitted* Ed **60** quod sicut] *omitted* Pz | sepe] *omitted* Ed **61** et] Fr: ut Mz, cuius Ed | tamen] cum Mz **62** singularis] erit secundum iusticiam naturalem *added* Ed **64** nec…65 similibus] *omitted* Ed **66** termini] termino Ed | discreti contenti] discreto contento Ly **70** fit] Mz: sit W **78** sensus] et *added* MF **79** putantur] putatur MF | et] *omitted* MF | quandoque[1]] habent Ly **81** ignoranter] ignorantur Ly | equipollens] equivalens Ed **82** vel[1]] *omitted* Ed

---

60 quod…61 contingens] Cf. Ockham, SL, II, 9.30-8 (p. 274), and III-3, 34.30-42 (pp. 717-8) **73** inter…74 extremo] Cf. SL, II, 37.11-18 (p. 355), and III-4, 5.136-143 (pp. 768-9) **76** amphibologiam] Cf. SL, III.4, 5.76-93 (pp. 766-7), 174-99 (p. 770), and 8.36-43 (pp. 787-8)

econverso unus sensus sophistice concluditur ex illis ex quibus alius sensus vero argumento potest inferri; pluribus eciam aliis modis fiunt sophismata in talibus propter ignoranciam distinccionis huius sensus earumdem proposicionum secundum vocem.

Discipulus: Recitasti duos modos respondendi ad Aristotelem. Nunc recita alium, si occurrerit.

Magister: Aliter dicitur quod non est iustum aliquos (vel aliquem) semper principari, nisi tantum differant (vel differat) a subiectis quantum differunt dii et heroes ab hominibus, si probabiliter timetur quod equales, si non equaliter honorentur, periculosas dissensiones et sediciones procurabunt.

Discipulus: Secundum ista discurre per auctoritates que allegate sunt supra, c. 13°.

Magister: Primam auctoritatem Aristotelis concedit ista opinio sicut sonat. Ad secundam dicitur quod quando sunt plures equales in aliqua communitate perfecta, vult Aristoteles quod expedit omnes participare principatu "secundum partem" (id est, quandoque principari, quandoque subici), quando probabiliter timetur quod aliter periculose sediciones orientur nisi quilibet qui est eque dignus aliquando principetur. Si autem de huiusmodi sedicione minime formidatur, expedit, si aliquis invenitur idoneus, ut unus tamquam rex omnibus principetur, eciam secundum totam vitam suam, nisi presumatur quod velit principatum regalem in tyrannidem convertere vel timeatur de aliquo alio malo quod posset propter aliquam maliciam accidere.

Ad aliam autem per Aristotelem, "Quod enim equale idem similibus", responsum est prius.

Ad aliam, cum accipitur ab Aristotele quod nullus est dignus principari regaliter nisi superet omnes alios omnibus bonis, respondetur quod hoc verum est si solummodo attendantur meritum et dignitas persone illius qui debet esse rex, non habendo respectum ad bonum commune.

Ad aliam, cum accipitur quod regnum est secundum aristocraciam institutum, in qua solummodo principantur qui sunt ceteris meliores, respondetur quod si in aliqua communitate volente aristocratice regi inveniuntur aliqui pauci

98 principatu] principatum Ly **99** quando] quandoque MF **104** timeatur] timetur Ed
109 regaliter] Pz: regulariter W

96 Primam] 13.12 **97** secundam] 13.23 **106** aliam] 13.28 **107** prius] 15.17 **108** aliam] 13.42 and 2.38 **112** aliam] 13.44

ceteris meliores, iustum est quod illi (nisi aliquid aliud impediat) ceteris principentur. Si autem non inveniuntur aliqui pauci qui sunt ceteris meliores, sed sunt multi in sapiencia et virtute equales, et tot quod non esset expediens omnes principari, tunc non potest fieri ut principantes aristocratice sint ceteris meliores, et tamen principatus aristocraticus est toti communitati expediens, si principatum regalem noluerit sustinere; et utilius tunc erit aliquos paucos de equalibus ad principandum omnibus assumere quam principatum politicum, oligarchicum vel democraticum instituere.

Ad illud quod dicitur deum elegisse optimum de toto populo in primum regem Israel, scilicet Saulem, respondetur quod Saul non erat melior secundum sapienciam et virtutem omnibus aliis; Samuel enim erat multo melior illo, et forte quamplures alii ipsum virtute et sapiencia excesserunt. Propter tamen staturam proceram ipsius dicebatur quod non erat ei similis in omni populo, quia (ut habetur ibidem) “alcior fuit omni populo ab humero et sursum”. Ex isto colligunt multi quod non est necesse universaliter absque omni excepcione semper eligere meliorem in regem, quia Samuel non fuit electus in regem et tamen fuit multo melior Saule.

Discipulus: Dic breviter, applicando predicta ad papam, quomodo respondetur ad prescripta inquantum probare videntur quod nullus tamquam papa preesse debet cunctis fidelibus nisi omnes superet sapiencia et virtute.

Magister: Dicitur quod si inveniretur aliquis catholicus cuius excellencia talis esset nota, ille (nisi aliquid singulare specialiter impediret) deberet preesse toti communitati fidelium, ita quod si aliquis alius eligeretur (vel eciam ante presidens extitisset) minus perfectus, amore communis boni ei de necessitate salutis cedere teneretur, nisi cessionem huiusmodi aliqua specialis racio impediret. Si autem non inveniretur aliquis qui taliter excederet, de equalibus esset aliquis assumendus, quia quamvis non sit iustum naturale vel divinum ut iste assumatur, tamen iustum naturale est ut aliquis assumatur. Et ideo, quia non omnes equales debent presse, expedit ut si non possit racionabiliter aliter quam per sortem, quod per sortem aliquis de equalibus preferatur, quemadmodum apostoli, propter omnimodam equalitatem quam perpenderunt inter Mathiam et Ioseph qui vocabatur Barsabas, sortes eisdem dederunt et eum super quem sors cecidit ad apostolatus officium assumpserunt. Si autem aliqui discernuntur in aliquibus

125 erat] fuit MF **126** quamplures] complures Ly **128** fuit] in *added* Ed | omni] universo S
136 preesse] preferri Ed **138** minus perfectus] unus vel alius MF **143** per] *omitted* MF
146 sortes] sortem Ed

123 illud] 13.50 **128** ibidem] 1 Sam. 10:23 **144** apostoli] Acts 1:23-6

inequales, quamvis non in sapiencia et virtute, tunc ad inequalia potest respectus haberi, pro temporis qualitate: quia in uno tempore posset haberi iuste respectus ad unum et in alio tempore ad contrarium; uno enim tempore posset iuste haberi respectus ad amicorum potenciam et alio tempore ad carenciam amicorum; et sic de aliis a sapiencia et virtute putant quidam consimiliter esse dicendum.

Capitulum 18

Discipulus: Audivi quomodo respondetur ad illa quibus videbatur probatum quod nullus deberet fieri summus pontifex et caput cunctorum fidelium nisi excelleret omnes alios sapiencia et virtute. Nunc narra quomodo respondetur ad illa quibus supra c. 2º huius secundi ostenditur, quod non expedit communitati fidelium subici uni capiti et prelato, quia expedit sibi quod regatur a pluribus. Ante omnia autem peto ut dicas propter quam utilitatem, secundum istos, magis expedit communitati fidelium regi ab uno quam a pluribus.

Magister: Huius dicunt esse utilitates plures, quarum una est quod facilius habetur accessus ad unum quam ad plures propter hoc, quod plures non semper reperiuntur in eodem loco; non modicum autem expedit subiectis pro diversis necessitatibus facilem posse habere accessum ad principantem, propter quod principes tam seculares quam ecclesiastici sunt reprehensibiles reputandi qui inaccessibiles exhibent se subiectis. Alia utilitas est quia unus principans facilius potest regulariter (quando occurrit necessitas) facere iudicium et iusticiam et pericula vitare quam plures. Si enim unus est principans, quandocumque oportet facere iudicium et iusticiam et periculum aliquod vitare, non est necesse quod alium prestoletur. Si autem essent plures principantes, quamvis necesse esset celeriter talia expedire nec sine periculo differri valerent, oportet unum alium vel alios expectare. Tercia utilitas est quod facilius potest corrigi unus, si exorbitaverit, quam plures, quia plures haberent plures defensores quam unus. Quarta est quod, cum sine consilio multorum nulla possit bene regi magna communitas (iuxta illud Salomonis, Proverbiorum 24º, "Erit salus ubi multa consilia"; unde et in laudem dicitur Romanorum, 1º Maccabeorum 8º, quod "quotidie consulebant trecentos viginti consilium agentes semper de multidudine, ut que digna sunt gerant"), melius regetur eorundem communitas si unus aliis principetur, qui de tempore et loco consilii et omnibus aliis (puta de consiliariis admittendis vel repellendis, et consimilibus), valeat ordinare, quam si principarentur

152 virtute] Ly: nec *added* W **18.5** quibus] que MF **7** autem] Kilcullen: enim W **9** dicunt] Ly: debent W | est] *omitted* Mz **10** quod] *omitted* Pz **12** accessum] excessum MF; *changed to* accessum Fr **19** valerent] valeret Ly **27** de[1]] *omitted* Pz | aliis] *omitted* Ed

18.23 Proverbiorum] 24:6 **24** 1 Maccabeorum] 8:15

plures quorum unus alium, eciam si machinaretur in malum rei publice, non posset faciliter excludere a consilio et ceteris quibusque agendis. Quinta est quia plura negocia et pluribus modis et cum minori labore potest expedire unus quam plures, quia pluribus modis potest accidere impedimentum ne plures simul de eisdem negociis diffiniant.

Propter has et alias utilitates plures, dicunt isti quod magis expedit communitati fidelium regi ab uno optimo viro quam a pluribus optimis viris, et similiter magis expedit sibi regi ab uno bono et sapiente qui de consilio velit agere sapientum <qui aliter non est bonus> quam a pluribus bonis et sapientibus. Hinc, ubi prius, dicitur in laudem Romanorum, "Commitunt uni homini magistratum suum per singulos annos dominari universe terre sue, et omnes obediunt uni", et tamen, ut allegatum est, trecenti viginti erant consiliarii quotidie consulentes. Hinc Abimelech, ut habetur Iudicum 9°, astute suasit per fratres matris sue viris Sichen ut reciperent eum in dominum, pretendens id quod fuit eis utilius si ipse fuisset bonus, dicens: "Loquimini ad omnes viros Sichem: Quid vobis est melius, ut dominentur vestri septuaginta viri omnes filii Ierobaal, an ut dominetur vobis unus vir?"

Capitulum 19

Discipulus: Audivi utilitates aliquas propter quas isti dicunt quod magis expedit communitati fidelium regi ab uno fideli quam a pluribus. Nunc narra quomodo respondetur ad allegaciones que contrarium probare videntur que supra c. 2° huius secundi sunt inducte.

Magister: Ad primam illarum, cum adducitur quod per illum (vel illos) maxime expedit regi totam congregacionem fidelium cuius (vel quorum) iudicium est cercius et melius in iudicando et discernendo que sunt procuranda tamquam utilia et que tamquam inutilia et nociva sunt penitus repellenda, respondetur quod hoc non est universaliter verum, licet sit verum in casu. Constat enim quod iudicium concilii generalis, in quo convenire debent meliores et sapientores de omnibus provinciis et regionibus Christianorum, est cercius et melius quam iudicium unius, vel paucorum qui in aliquo uno loco valent continue commode commorari, et tamen non expedit semper esse concilium generale pro communitate fidelium gubernanda; quamvis in casu eciam pro quibusdam

29 publice] vel *added* MF **35** viris] *omitted* MF **36** bono] *omitted* Ed **37** sapientum] Scott: sapientum qui aliter non est bonus W **38** in] ad Ly **41** consulentes] consiliantes Ed
42 reciperent] acciperent Ed **19.4** 2] Ly: 1 W **6** primam] terciam Ly **8** et[1]] vel Ed **15** in casu] *omitted* Ed | pro quibusdam] per quod MF

41 Iudicum] 9:1-2 **19.6** primam] 2.68

negociis specialibus que per unum vel paucos non possunt congrue expediri sit expediens concilium generale convocari et ipsius sequi sentenciam; pro negociis autem que per unum vel pauciores possunt utiliter expediri non expedit congregari concilium generale. Et ita regulariter magis expedit communitatem fidelium regi ab uno vel paucis quam a concilio generali. Sic eciam regulariter expedit magis communitati fidelium regi ab uno optimo vel bono utente consilio sufficienter bono quam a pluribus simul principantibus, quia melius est ut plures, absque quorum consilio non bene regeretur communitas fidelium, sint tantummodo consiliarii unius optimi aut boni, qui possit eos quando erit expediens invitare et omnes aut quosdam vocare et diversis diversa committere, quam quod huiusmodi omnes sint principantes sive rectores. Quia necesse esset sepe omnes convenire pro negociis que possent expediri per paucos. Alie eciam difficultates et incommoditates plures acciderent, que vitantur si unus optimus aut bonus, habens consiliarios sufficientes et eque bonos sicut essent plures principantes, regit. Principatus enim neque sapienciam neque bonitatem largitur.

Ad Aristotelem autem, qui probare videtur in politicis quod magis expedit communitatem regi a pluribus optimis quam ab uno quia turba melius iudicat quam quisque unus, respondetur quod plures melius et cercius sepe iudicant quam unus et turba melius quam unus, et ideo tunc requiritur disceptacio, consiliacio et iudicium plurium: non tamen tamquam principancium necessario, sed sepe sufficit ut adsint tamquam consiliarii solummodo. Ita enim disceptat, consiliatur et iudicat, discernendo inter bonum et malum, iustum et iniustum, ille qui solummodo est consiliarius habens intencionem bonam, sicut si esset principans. Sepe eciam pro agendis sufficit deliberacio et iudicium unius solius. Et ideo magis expedit toti communitati fidelium quod principetur unus supremus principans, qui negocia pro quibus ipse solus sufficit expediat per seipsum et alia pro quibus pericia ipsius solius non sufficit expediat de consilio aliorum, quam quod principentur tales plures, quos pro omnibus negociis, parvis et magnis, facilibus et difficilibus, oporteat convenire.

Ad aliam auctoritatem Aristotelis, que videtur asserere quod multi multis oculis et multis auribus plura percipiunt et melius quam unus duobus oculis et duabus auribus, et similiter multi plura possunt operari multis manibus et multis pedibus quam unus duabus manibus et duobus pedibus, et ita magis expedit

20 regulariter] Mz: *omitted* W **21** magis] Ly: *omitted* W | uno] sufficienter *added* Ed | sufficienter bono] *omitted* Ed **25** invitare] mutare Mz, mutari Fr **26** esset] erit MF **34** tunc] bene Ed **38** sicut] primo *added* MF **39** principans] et participans *added* Ly **43** plures] Ly: primo W | quos] *omitted* MF **45** que] *omitted* Pz

31 Aristotelem] 2.80 **45** aliam] 2.85

regimen plurium quam unius, respondetur quod si unus bonus et sapiens regat communitatem fidelium, non solum utitur duobus oculis et duabus auribus ac eciam duabus manibus et duobus pedibus, sed interdum utitur multis huiusmodi organis. Et magis expedit quod interdum utatur solummodo duobus oculis et duabus manibus quam multis; interdum vero magis expedit quod utatur multis quam solum duobus. Et ideo magis expedit communitati fidelium quod regatur ab uno, qui aliquando, prout expedit, utatur sua sufficiencia propria, aliquando aliena, quam a pluribus qui absque necessitate ad omnia expedienda conveniant.

Ad illud quod ibidem accipitur, Actuum 15º, quod "convenerunt apostoli et seniores videre de verbo hoc", quasi semper magis expediat negocia terminari et diffiniri per plures quam per unum, respondetur quod aliquando magis expedit negocia terminari per plures quam per unum, et aliquando magis expedit quod tractentur per unum, et ideo expedit communitati fidelium ut regatur ab uno optimo, vel saltem bono, qui solus aliqua negocia et questiones tractet et diffiniat, aliqua vero tractet cum aliis, pluribus vel paucioribus, secundum quod erit expediens, et diffiniat. Et ideo in casu de quo fit mencio Actuum 15º erat expediens ut de verbo illo non unus solus sed plures conquirerent, et convenerunt apostoli et seniores, non quidem omnes principantes communitati fidelium, sed tamquam necessarii et utiles uni principanti et capiti omnium pro favore vel consilio prestando. Quandoque enim vocantur aliqui ad aliquos tractatus in quibus sufficit sapiencia unius magis pro favore prestando contra resistentes vel inobedientes quam pro consilio requirendo.

Ad Innocencium vero papam, cum dicit quod facilius invenitur quod a pluribus senioribus queritur, respondetur quod hoc de multis dubiis continet veritatem; quando tamen ad alicuius invencionem sufficit unus solus qui tunc non indiget favore vel auxilio aut consilio plurium, melius est quod queratur et inveniatur ab uno quam a pluribus.

Ad aliam vero allegacionem, que fundatur in hoc, quod plures sunt minus pervertibles et corruptibiles a maliciis et concupiscenciis et passionibus pravis quam unus, et per consequens magis expedit communitati fidelium a pluribus regi quam ab uno, quia magis expedit sibi regi ab illo (vel illis) cuius (vel quorum) voluntas est minus pervertibilis et corruptibilis a passionibus pravis, respondetur quod aliquo modo voluntas unius est minus pervertibilis et corrupti-

51 multis] modis *added* Ly **54** expedit] toti *added* Ed **59** respondetur…60 unum] *omitted* MF
65 de…illo] omitted MF | conquirerent] exquirerent Ed | et] omitted MF **68** prestando] *omitted* Ed

57 illud] 2.92 | Actuum] 15:6 **71** Innocencium] 2.97 **76** aliam] 2.103

bilis a passionibus pravis et affeccionibus quam voluntas plurium. Ad cuius evidenciam dicitur esse sciendum quod voluntatem plurium vel multitudinis esse pervertibilem dupliciter potest intelligi, vel quod sit pervertibilis secundum se totam (accipiendo totam syncategoreumatice) vel secundum partem. Primo modo voluntas plurium est minus pervertibilis quam voluntas unius. Secundo modo voluntas plurium est magis pervertibilis quam voluntas unius determinati, puta voluntas istius vel illius; cicius enim et facilius perverti potest et corrumpi aliqua multitudo secundum partem quam unus solus, quia ad corrupcionem cuiuslibet de illa multitudine corrumpitur illo modo et pervertitur ipsa multitudo, quia quamvis non pervertantur singuli, tamen in multitudine ipsa aliqua perversio reperitur. Ad bonitatem et idoneitatem principantis requiritur quod nec eciam secundum partem sit perversus, et ideo magis expedit communitati fidelium regi ab illo qui eciam secundum partem est minus pervertibilis. Talis autem est unus et non plures, et ideo magis expedit communitatem fidelium regi ab uno quam a pluribus.

Ad auctoritatem autem Aristotelis que accipitur ex 3º *Politicorum* c. 8º, respondetur quod in casu, quando pauci non sufficiunt ad perfecte videndum quid est agendum et quid omittendum (quamvis aliquo modo hoc perpendant imperfecte), tunc expedit multitudinem convenire: non quidem ad principandum, sed ad deliberandum et inveniendum quid est toti communitati expediens et ad consulendum quid facere principans teneatur. Quod si principans nollet sequi eorum consilium et immineret periculum notabile, haberent corrigere ipsum. Ideo autem in tali casu expedit multitudinem convenire modo predicto, quia omnes simul sunt aliquid melius quam pauci, et tam circa mores quam circa intellectum possunt plura videre. Quando autem pauci sufficiunt ad videndum perfecte quid est agendum et quid omittendum, non expedit multitudinem convenire ad tractandum, sed melius est quod conveniant pauci, sufficientes tamen. Et ideo quando unus sufficit, non oportet convenire multos; et si unus non sufficit ad inveniendum quid necesse est fieri, expedit ut quot sufficiant, multos vel paucos, valeat convocare et procedere de consilio eorundem, ita ut non principentur cum ipso.

Per predicta patet quomodo respondetur ad auctoritatem Aristotelis cum innuit quod plures sunt magis impervertibiles quam unus. Quia dicunt quod uno modo sunt magis impervertibiles, et alio modo sunt magis pervertibiles: non

82 voluntas] *omitted* Ed **92** reperitur] et quia *added* Ed **93** et] *omitted* Ly **95** expedit] *omitted* Mz **99** hoc] *omitted* Ed **103** immineret] immineat Ed **114** innuit] innuitur Ed

85 totam syncategoreumatice] cf. SL, II, 6.20-25 (p. 268) **97** auctoritatem] 2.121
113 auctoritatem] 2.130

quidem ut omnes simul pervertantur facilius quam aliquis unus determinatus, sed quia facilius invenitur perversitas inter eos quam in uno determinato, quia quocumque eorum perverso reperitur inter omnes perversitas, quamvis non oporteat quod in aliquo uno determinato reperiatur perversitas. Ad bonitatem autem et idoneitatem principantis requiritur quod nulla in ipso sit perversitas. Et ideo, quandoque reperitur perversitas in aliqua multitudine, eciam in uno solo illius multitudinis, eo ipso illa multitudo non est idonea ad principandum, iuxta Apostolum, ad Galatas 5º, "Modicum fermentum totam massam corrumpit". Quare magis expedit communitati fidelium ut regatur ab uno quam a pluribus simul principantibus et vicem unius gerentibus, quia non ita faciliter reperitur perversitas in uno sicut in quacumque multitudine, quantumcumque parva, cuius ille unus sit pars et alius cum eo, qui ita perverti potest sicut ipse.

Discipulus: Secundum ista numquam essent vocandi plures, nec eciam multitudo, ad consilium, cuius oppositum non solum Aristoteles et alii, sed eciam ista opinio tenet. Quia facilius invenitur perversitas in multitudine et inter quosque plures quam in uno solo; perversitas autem summe fugienda est.

Magister: Respondetur quod quandoque unus sufficit, ita quod nec consilio nec favore indiget aliorum, non sunt vocandi plures, quia frustra fit per plures quod eque bene fieri potest per unum. Sed quando unus non sufficit ad perfecte videndum vel agendum id quod agendum est, tunc expedit vocare plures, vel pro consilio vel pro auxilio vel pro favore, quia sicut inter plures et in multitudine potest inveniri perversitas, ita inter plures et in multitudine maior sciencia et prudencia et bonitas reperitur. Et ideo quando unus non sufficit, convenire debent plures — quamvis hoc possit esse indifferens ad bonum et ad malum: plures enim convenientes interdum bene et interdum male procedunt, et ideo, quando propter bonitatem eorum qui convenire habent probabiliter creditur quod recte consulent et facient, agendum est ut conveniant, si unus non sufficit; quando autem probabiliter invenitur quod a rectis itineribus deviabunt, impediendi sunt ne conveniant, quia melius est nichil agere quam malum facere. Unde si probabiliter creditur quando aliqui ad generale concilium convocantur quod non rite concilium celebrabunt, impediendi sunt ne conveniant; si autem probabiliter creditur quod rite concilium celebrabunt, agendum est ut conve-

123 fermentum] fermenti Ed **126** quantumcumque parva] *omitted* Ed **127** unus] unius Ed **128** ista] sequitur quod similiter *added* Ly **130** tenet] patet consequencia *added* Ly **138** non] *omitted* MF, *added* Frb **142** consulent] consulant Ly | facient] faciant Ed **147** est] *omitted* Pz

123 ad Galatas] 5:9

niant, nisi credatur quod minus utilitatis faciant quam sit incommoditas quam incurrent ex laboribus et expensis.

Discipulus: Nunc narra quomodo respondetur ad verba Aristotelis quibus videtur concludere quod aristocracia melior et eligibilior est quam regnum.

Magister: Respondetur quod non intendit Aristoteles concludere quod simpliciter et semper melior est et eligibilior aristocracia quam regnum, eciam si regitur ab uno optimo vel bono, sed intendit concludere quod interdum melior est et eligibilior aristocracia quam regnum. Quia enim tota multitudo principancium in aristocracia non est secundum se totam ita pervertibilis sicut unusquisque qui esset de illa multitudine, et maior est prudencia et eciam virtus seu bonitas in tota multitudine quam in uno, ideo potest accidere quod melius sit ut plures principentur aristocratice quam unus regaliter, quia ille unus qui regaliter principaretur posset perverti aliis non perversis. Peius est autem quod aliquis pervertatur quando solus principatur quam quando principatur cum aliis; si enim pervertatur quando principatur cum aliis, minora et pauciora mala facere potest regulariter quam si solus principans pervertatur. Et ideo quandoque melior est et eligibilior aristocracia quam regnum. Sepe tamen et communius, et ideo quodammodo simpliciter, melius est regnum quam aristocracia propter utilitates que dicte sunt prius c. 18º et propter alias plures. Et hinc est quod antiqui racionabiliter aliquando aristocraciam mutabant in regnum et aliquando regnum in aristocraciam, sicut de Romanis et aliis quampluribus gentibus possent poni exempla quamplura; aliquando enim principabantur reges et aliquando plures simul, et plures tam Romani quam alie gentes huiusmodi transmutaciones fecerunt.

Capitulum 20

Discipulus: Occasione eorum que ultimo recitasti interrogandum duxi an secundum istam opinionem expediat communitati fidelium ut habeant potestatem transmutandi principatum aristocraticum in principatum similem principatui regali et econverso, ut habeant potestatem constituendi unum summum pontificem qui omnibus aliis presit, et eciam habeant potestatem constituendi seu

---

149 incurrent] incurrerent Ly **153** et eligibilior] *omitted* MF | eciam si] Kilcullen: et MF, *omitted* Ed | regitur…155 regnum] *omitted* Ed **155** Quia] quando Ed **158** ideo] tunc Ed **159** unus regaliter] Kilcullen: unus regulariter MF; unus Ed | unus[2]] *omitted* Ed **160** posset] potest Ly **163** si] *omitted* Ed | pervertatur] pervertetur Mz, perverteretur Fr **167** aristocraciam] tantum *added* MF **20.2** an] scilicet *added* Ed **4** in] Ly: et W **5** econverso] ita *added* Ly

---

150 verba Aristotelis] 2.139

eligendi simul plures summos pontifices qui, equalem potestatem habentes, simul aristocratice regant et presint fidelibus aliis universis — ut unum principatum in alium indifferenter, sicut videbitur expedire, valeat transmutare, ad modum quo gentes principatum aristocraticum racionabiliter transmutaverint in regalem et econverso.

Magister: Circa hoc diverse sunt opiniones, et (stante opinione que ponit quod aliquibus aliquando melior est principatus aristocraticus principatu regali et aliquando eisdem precellit principatus regalis) una est quod expedit communitati fidelium ut habeat talem potestatem transmutandi principatum aristocraticum in principatum unius summi sacerdotis et econverso, secundum quod necessitas et qualitas temporis unum principatum vel alium exigit et requirit.

Discipulus: Pro ista opinione aliquas allegaciones adducas

Magister: Pro ipsa potest taliter allegari. Sicut expedit ut "secundum varietatem temporum statuta varientur humana" (Extra, *De consanguinitate et affinitate*, *Non debet reprehensibile*), sic expedit ut secundum varietatem temporum principatus varientur humani. Sed ecclesia Christi habet potestatem principaliter super humanos principatus quantum ad omnia que sibi expediunt. Ergo habet potestatem variandi huiusmodi principatus.

Discipulus: Dici posset quod principatus quo summus sacerdos principatur cunctis fidelibus non est humanus sed divinus, quia a solo deo institutus existit; ergo non decet, et per consequens non expedit, ut ecclesia super principatum papalem habeat potestatem.

Magister: Hec responsio impugnatur, quia licet principatus papalis sit quoad hoc divinus, quod Christus ordinavit ipsum debere esse in ecclesia, quantum ad multa tamen videtur esse humanus. Nam ad homines pertinet ordinare quis assumi debeat ad ipsum, et qui debeant eligere, et qui debeant assumptum corrigere si correccione indigeat, et consimilia. Ergo consimiliter quantum ad hoc erit humanus, quod per homines debeat ordinari an unus tantummodo vel plures, quando expedierit, ad talem assumi debeat principatum.

Amplius, communitati fidelium, quantum ad omnia que necessaria sunt pro hiis que sunt propria Christianis, optime est provisum, et non minus bene quam

---

7 simul plures] similes Mz **10** transmutaverint] transmutarent Ed **18** Pro…adducas] *omitted* Ly aliquas] alias Mz **23** principatus] *omitted* MF **27** ecclesia] eciam Ed **32** debeant[1]] Scott: debent W | debeant[2]] debent Ed **37** non] ideo MF

20.12 opinione] 19.163 **17** qualitas temporis] See Miethke, *Texte*, p. 364, n. 37. **21** Non debet reprehensibile] X 4.14.8, col. 703

cuique alii communitati vel genti, ut in omnibus talibus, quantum ad omnia que expediunt, et ut expediunt, habeat potestatem. Sed si ecclesia haberet potestatem transmutandi principatum qui inciperet esse minus expediens in alium principatum magis expedientem, melius esset provisum quam si potestatem huiusmodi non haberet. Ergo cum in talibus sit optime provisum sibi, habet potestatem transmutandi principatum unius in principatum plurium, si adverterit quod sit magis expediens ut regatur a pluribus principatu aristocratico quam ab uno solo.

Rursum, non minus expedit communitati fidelium ut habeat potestatem tollendi principatus qui incipiunt esse onerosi vel minus utiles quam tollendi consuetudines onerosas, cum nichil possit plus nocere ecclesie quam principatus onerosus et inutilis, iuxta sentenciam Augustini, qui, ut legitur dist. 83[a], *Nemo*, ait: "Nemo quippe in ecclesia amplius nocet quam qui perverse agens nomen vel ordinem sanctitatis et sacerdotis habet". Ex quo colligitur quod nichil amplius nocet ecclesie quam princeps perversus et principatus perversus. Quare, si ecclesia animadvertat quod ecclesia perverse vel minus utiliter regitur ex hoc quod unus solus omnibus principatur, expedit ut habeat potestatem talem principatum in alium qui pro tempore erit utilior transmutare.

Adhuc, non expedit ecclesie illi principatui alligari qui potest in principatum pessimum transmutari. Sed principatus quo principatur unus solus potest in principatum pessimum transmutari, quemadmodum principatus regalis, non obstante quod sit optimus, quantum est ex natura principatus, potest in tyrannidem, qui est principatus pessimus, transmutari, secundum quod Aristoteles in ethicis et in politicis asserit et probat aperte. Ergo non expedit ecclesie ut principatui quo principatur unus solus taliter astringatur quod non possit illum in principatum alium, scilicet aristocraticum, utiliorem pro tempore transmutare.

Preterea, ut eciam lex civilis testatur, "In rebus novis constituendis evidens debet esse utilitas ut recedatur ab eo iure quod diu equum visum est", ex quo colligitur quod propter evidentem utilitatem est novitas facienda, ita eciam ut recedatur ab eo iure quod diu equum visum est. Sed non magis recedendum est a iure quam a principatu, quia in omni communitate nichil potest esse magis servandum quam ius. Quod enim iuri non congruit nullo modo est servandum. Ergo propter evidentem utilitatem est novitas facienda ut recedatur a principatu

---

38 cuique alii] cuicumque Ed **53** quod] *omitted* Ly | principatur] principetur Ed **55** expedit] impedit Ly | alligari] allegari Fr Ly **58** optimus] tamen *added* Ly **60** et[1]…politicis] *omitted* Ed **67** magis] maius MF

---

48 Nemo] D.83 c.2, col. 293. **59** Aristoteles] Cf. *Nicomachean Ethics* VIII.10, 1160b 9-12, and *Politics* III.7, 1279b 5. **63** lex civilis] *Digest*, 1.4.2, p. 35

qui diu racionabilis et equus apparuit. Quare, si appareat evidenter ecclesie pro aliquo tempore quod maior utilitas proveniret ecclesie ex principatu aristocratico quo plures simul regent communitatem fidelium quam ex principatu unius, est talis novitas facienda ut a principatu unius qui diu equus visus est et utilis recedatur.

Item, quod in favorem et utilitatem inductum est aliquorum non debet in eorum dampnum et dispendium retorqueri. Sed principatus cui debeant subdi universi fideles inductus est in favorem et utilitatem cunctorum fidelium. Ergo si aliqua species principatus incipit esse dispendiosa fidelibus vel minus utilis, expedit ut illa species principatus in aliam utiliorem pro tempore transmutetur. Quare ecclesia habet potestatem constituendi principatum aristocraticum super cunctos fideles, si perpendunt quod principatus unius incipit esse dispendiosus fidelibus.

Amplius, secundum Leonem papam, ut legitur dist. 45[a], c. *Licet nonnumquam*, "Quod provisum sit ad concordiam" tendere non debet "ad noxam". Ex quo concluditur quod quicquid provisum est ad concordiam tollendum est si tendit ad noxam. Sed principatus unius summi pontificis provisus est ad concordiam cunctorum fidelium, scilicet ut unus preesset aliis "ne fieret scisma", secundum glossam, ibidem. Ergo si principatus unius summi pontificis tendit ad noxam, scilicet ad amorem dominandi seu tyrannice principandi, vel eciam ad scisma periculosum inter Christianos (si videlicet maior et potencior temporaliter aut equalis pars Christianorum nullo modo vult sustinere principatum unius summi pontificis, et tamen vult sustinere principatum aristocraticum multorum simul regencium quorum quilibet sit summus pontifex, quemadmodum aliquando fuerunt simul plures imperatores et aliquando in eadem causa sunt plures iudices equalem potestatem habentes), tollendus est, saltem ad tempus, principatus unius regali principatui similis, et instituendus est, saltem quousque predicta mala seu pericula et consimilia cessent, aristocraticus principatus.

Rursus, cessante causa cessare debet effectus (Extra, *De appellacionibus*, *Cum cessante*). Sed communis utilitas est causa quare unus summus pontifex debet preesse cunctis fidelibus. Ergo si ex principatu unius non provenit communis utilitas sed commune dispendium, talis principatus pro tunc cessare debet. Ergo communitas fidelium habet tunc potestatem instituendi alium principatum.

---

71 proveniret] proveniat Ed **75** aliquorum] *omitted* MF **90** Christianos] sicut *added* Ed

---

83 Licet nonnumquam] D.45 c.6, col. 162 **88** glossam] D.45 c.6, s.v. concordiam, col. 215
99 Cum cessante] X 2.28.60, col. 437

Amplius, in cunctis ecclesiis servari debet quod maior pars iudicat observandum (Extra, *De hiis que fiunt a maiori parte capituli*, c. 1°; et dist. 65ª, c. 1° et 2° et 3°; Extra, *De eleccione*, *Licet*). Ergo si maior pars fidelium reputat instituendum principatum aristocraticum super totam communitatem fidelium, talis principatus instituendus est. Ex quo infertur quod ecclesia seu communitas fidelium habet potestatem instituendi huiusmodi principatum.

Discipulus: Ut notat glossa super allegatum c., Extra, *De hiis que fiunt a maiori parte capituli*: "Non semper statur maiori parti, nec pluralitati, ut hic et 31ª dist., *Nicena*, et supra, *De eleccione*, *Ecclesia vestra*". Et infra: "Illud regulare est, ut semper stetur maiori parti. Sed maior pars est illa que maiori pietate et racione nititur, 9ª dist., *Sana quippe*, et 40ª dist., *Multi*, in fine, et 4ª, q. 3ª, c. *Si testes*, § *Item Iurisiurandi"*. Hoc eciam glossa, dist. 40ª, super capitulum ultimum, sentire videtur, dicens: "Nullus gradus elegancior sed vite melioris accio comprobatur, 23ª, q. 4ª, *Sicut*, et 16ª, q. 1ª, *Sunt nonnulli*. Et est hic argumentum quod pars illa que iustiori racione nititur maior dicitur, licet sit minor: dist. 31ª, *Nicena*; 19ª, *In canonicis*; et 4ª, q. 3ª, § 2°; et Extra, *De testibus*, *In nostra*". Ex hiis habetur aperte quod non semper standum est maiori parti. Quare quamvis maior pars Christianorum iudicaret principatum unius transmutandum esse in aristocraticum principatum, non esset tamen hoc faciendum.

Magister: Ista responsio impugnatur, quia licet non sit semper standum maiori parti sed aliquando minori, tamen semper standum est maiori parti nisi a minori parte probetur aperte quod non est standum maiori parti. Hoc colligitur ex glossa super preallegato capitulo supra, *De hiis que fiunt a maiori parte capituli*, que ait, post preallegata verba: "Presumitur pro pluralitate, 61ª dist., *Nullus*, nisi in contrarium probetur, ut hic patet, et 23ª dist., *Illud*, et supra, *De eleccione*, *Dudum*". Et ibidem super vocabulo "ostensum" ait: "Non sufficit obicere nisi probetur". Cum ergo non possit probari quod non est standum maiori parti Christianorum si pro utilitate communi voluerint transmutare principatum unius summi pontificis in aristocraticum principatum, sequitur quod in hoc standum est maiori parti fidelium.

---

107 fidelium] habet tunc potestatem instituendi alium principatum et *added* Ed **114** nititur] utitur Ly **116** Nullus] non Ed **117** Et est hic] est enim hoc Pz, et enim hoc Ly **118** racione] racioni Ed **121** transmutandum] transmutandi Pz | esse] *omitted* MF **127** Nullus] in fine *added* S | in] *omitted* S **128** 23] S Ly: tenet W **131** Christianorum] *omitted* Ed | voluerint] voluerit Ly | transmutare] transmutari Ed

---

105 c. 1]X 3.11.1, col. 506 | c. 1... 3] D.65 c.1-3, col. 249-50 **106** Licet] X 1.6.6, col. 51
110 glossa] X 3.11.1, s.v. racionabiliter, col. 1100 **115** glossa] D.40 c.12, s.v. in honore, col. 198
125 glossa] X 3.11.1, s.v. racionabiliter, col. 1100

Discipulus: Videtur quod racionabiliter posset ostendi quod in hoc non est standum maiori parti Christianorum si decreverint instituere aristocraticum principatum super cunctos fideles, quia minor pars in contradicendo maiori iustiori niteretur racione; nam minor pars tunc niteretur ordinacione Christi, que omni prevalet institucioni humane.

Magister: Nonnullis apparet, esto quod Christus ordinasset unum summum pontificem debere cunctis fidelibus principari, quod pro utilitate communi posset ecclesia alium instituere principatum, quod tali modo probatur. Necessitas et utilitas parificantur, ut Alexander 3us insinuare videtur, Extra, *De etate et qualitate preficiendorum*, *Queris*. Sed pro necessitate licet facere contra preceptum divinum, eciam expressum, in hiis que non sunt de se mala, sed solum sunt mala quia prohibita. Ergo eciam pro utilitate communi licet facere contra preceptum dei et ordinacionem Christi. Ergo, esto quod Christus ordinasset unum summum pontificem esse preficiendum cunctis fidelibus, liceret fidelibus pro communi utilitate alium instituere principatum, saltem ad tempus. Maior videtur manifeste probata, que eciam probatur ex hoc, quod necessitas et pietas parificantur, ut innuit Gregorius 9us, Extra, *De feriis*, c. ultimo. Pietas autem utilitatem includit. Ergo necessitas et utilitas parificantur, et per consequens quod necessitas facit licitum eciam utilitas facit licitum. Minor multis modis ostenditur. Hoc enim Beda super Marcum, et habetur Extra, *De regulis iuris*, c. *Quod non est*, patenter videtur asserere, dicens: "Quod non est licitum lege, necessitas licitum facit. Nam et sabbatum custodiri preceptum est; Maccabei autem sine culpa in sabbato pugnaverunt". Ex quibus verbis aperte videtur haberi quod Maccabei ex necessitate licite fecerunt contra expressum mandatum divinum. Hoc eciam Christus ipse, Matthei 12° et Luce 6° expresse docere videtur, dicens quod David et qui cum eo erant contra preceptum divinum panes proposicionis licite comederunt, eo quod explicite precepit deus ne quis nisi sacerdos dictos panes comederet. Ex quibus aliisque quampluribus colligitur quod regula illa, scilicet necessitas legem non habet, que ponitur Extra, *De consuetudine*, *Quanto*, et illa: Necessitas [legi] non subiacet, Extra, *De observancia ieiuniorum*, c. 2°, et illa: Necessitas in legibus excipitur, Extra, *De*

---

134 posset] potest Ly **135** decreverint] decreverit Ed **136** fideles] et *added* MF **137** iustiori] *omitted* MF | tunc] *omitted* Ed | niteretur^{2}] inniteretur divine Ly | ordinacione] ordinacioni Fr Ly Christi] *omitted* Ly **138** institucioni] ordinacioni Ed **141** posset] potest Ly **145** quia] sunt *added* Ed **149** hoc] idem *added* Pz **152** quod] si *added* Ed **156** autem] tamen S | pugnaverunt] pugnabant S **162** illa] *omitted* Ed **163** Necessitas legi] Kilcullen: necessitas W

---

141 Necessitas…142 parificantur] Cf. OQ 1.7.36, and Offler's note. **143** Queris] X 1.14.6, col. 127 **150** ultimo] X 2.9.5, col. 272 **154** Quod non est^{1}] X 5.41.4, col. 927 **158** Matthei] 12:4 | Luce] 6:4 **163** Quanto] X 1.4.4, col. 37 **164** c. 2] X 3.46.2, col. 650

iureiurando, *Querelam*, et consimiles, non tantum de legibus humanis positivis sed eciam de legibus divinis positivis (nisi in eisdem legibus divinis contrarium caveatur expresse), debet intelligi, ut necessitas legi divine positive non subiaceat. Secus est de lege naturali <et de lege dei naturali>, quia legi illi necessitas subiacet, nec potest aliqua necessitas excusare.

Adhuc, quod non obstaret talis ordinacio Christi ostenditur. Nam non minorem potestatem super principatum sacerdotum mutandum habent Christiani in lege nova quam habuerunt illi qui erant sub lege veteri constituti. Sed non obstante precepto dei de uno summo pontifice constituendo, Exodi 29º, prout eciam habetur in decretis, dist. 21ª, § 1º, postea David constituit plures summos pontifices, ut colligitur ex 1º Paralipomenon, c. 24º. Unde et evangelista, Luce c. 3º, testari videtur quod tempore Christi erant simul plures principes sacerdotum. Ergo et Christiani habent potestatem constituendi plures summos pontifices, non obstante quod Christus ordinaverit aliquem unum esse in summum pontificem sublimandum.

Capitulum 21

Discipulus: Puto te adduxisse forciora motiva pro opinione prefata. Ideo pro opinione contraria nitere allegare.

Magister: Quod ecclesia non habeat potestatem transmutandi summum pontificium in aristocraticum principatum, vel quemcumque alium, videtur posse probari. Nam teste Christo, Matthei 10º, "Non est discipulus supra magistrum, nec servus supra dominum suum". Omnes autem Christiani discipuli sunt et servi Christi; ergo omnes Christiani non habent potestatem tollendi ordinacionem Christi. Christus autem ordinavit et voluit quod unus esset summus pontifex et caput omnium Christianorum, quod in facto ostendit cum ordinavit solum beatum Petrum in summum sacerdotem. Unde et Anacletus papa (qui fuit tempore apostolorum) hoc testatur, ut habetur dist. 21ª, c. *In novo*, dicens: "In

167 expresse] *omitted* Ed **168** naturali[1]] Kilcullen: naturali et de lege dei naturali W **169** nec] tamen *added* Mz **170** Christi] ordinacioni *added* Ly **178** aliquem…in] ad Mz, unum ad Fr **21.3** nitere] niteris Ed **4** non] *omitted* Pz **6** magistrum] suum *added* Ed **8** ergo…Christi[2]] *omitted* Ed

165 Querelam] X 2.24.10, col. 362; cf. gloss, s.v. non necessitate, col. 803 | consimiles] Cf. gloss on X 5.41.4, s.v. necessitas, col. 1963 **168** naturali[1]] The witnesses all add at this point: "et de lege dei naturali". Elsewhere (3.2 Dial. 3.6) the Master says that, according to some, the term "divine law" can cover natural law. On that view a contrast between "natural law" and "the natural law of God" would not make good sense. The relevant contrast is between natural law and positive law, including divine positive law; see below, 24.107 ff. **173** Exodi] 29:30 **174** § 1] D.21 d.a.c.1, § 1, col. 67 **175** Luce] 3:2 **21.6** Matthei] 10:24 **12** In novo[1]] D.21 c.2, col. 69 (cf. Hinschius, p. 79)

novo testamento post Christum a Petro sacerdotalis incepit ordo, quia ipsi primo pontificatus in ecclesia datus est, dicente Domino ad eum, 'Tu es Petrus' ", et cetera. Ergo omnes Christiani non habent potestatem tollendi summum sacerdocium et instituendi quemcumque alium principatum.

Amplius, nulli Christiani, nec maior pars nec minor, habent potestatem tollendi unitatem ecclesie, quia quicumque scindit ecclesiam est scismaticus reputandus; nulli autem multitudini Christianorum, quantumque magne, licet in ecclesiam scisma inducere. Unitas autem ecclesie in hoc videtur consistere, ut habeat unum caput sub Christo quod omnibus principetur, teste beato Cypriano, qui, ut habetur 24ª, q. 1ª, c. *Loquitur*, ait: "Loquitur Dominus ad Petrum, 'Ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam'. Super unum edificat ecclesiam. Et quamvis apostolis omnibus post resurreccionem suam parem potestatem tribuat, et dicat, 'Sicut misit me Pater, et ego mitto vos; accipite Spiritum sanctum', cum et unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique ceteri apostoli quod Petrus fuit, pari consorcio prediti et honoris et potestatis. Sed ab unitate exordium proficiscitur, ut ecclesia Christi una monstretur". Et infra: "Quam unitatem tenere firmiter et vindicare debemus, maxime nos episcopi, qui in ecclesia dei presidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem fallat. Nemo veritatem fidei prevaricacione perfida corrumpat. Episcopatus unus est, cuius singularis in solidum pars tenetur". Ex quibus verbis colligitur quod unitas ecclesie, que firmiter est tenenda, ab uno procedit et unum episcopatum requirit. Ergo nulli multitudini Christianorum licet episcopatum unum in principatum aristocraticum vel alium transmutare.

Rursus, sicut nulla est nec esse potest vera ecclesia nisi apostolica, sic nullus est in ecclesia nec esse potest verus et licitus principatus primus, scilicet episcopatus seu pontificatus, nisi apostolicus. Quod Pelagius, allegans beatum Augustinum, clare testari videtur, dicens, 24ª, q. 1ª, c. *Pudenda*: "Nullam aliam", scilicet ecclesiam, "esse constat nisi que in apostolica est radice fundata, a quibus", scilicet apostolis, "ipsam fidem universo orbe propagatam esse non potest dubitari. Quod ut vobis licet notissimum sit, beati tamen Augustini testimonio comprobemus. Audi quid in quodam opere suo dicat preclarissimus

13 Christum] dominium *added* S | incepit] incipit Ed, cepit S | quia] S: qui W **17** habent] Ly: habet W **21** unum] *omitted* Ed **26** cum] tamen S | et] ut S **32** prevaricacione] privacione Pz **33** cuius] S: *omitted* W **38** nec…vera] vel potest esse Ed **44** vobis] nobis Ed | tamen] *omitted* Ed **45** comprobemus] Mz S: approbemus Fr Ed | quid] *omitted* Pz

22 Loquitur'] C.24 q.1 c.18, col. 971 **41** Pudenda] C.24 q.1 c.33, col. 979

doctor ecclesie. Ait enim: ‘Quod si nullo modo recte potest dici ecclesia in qua scisma est, restat ut, quoniam ecclesia nulla esse non potest, ea sit quam in sedis apostolice per successiones episcoporum radice constitutam, nullorum hominum malicia (eciamsi nota et excludi non possit sed pro temporum racione tolleranda iudicetur) ullo modo valeat extinguere’”. Ex quibus verbis colligitur quod in ecclesia nullus est verus principatus nisi qui per successiones episcoporum est continuatus in apostolica sede. Sed si institueretur principatus aristocraticus vel quicumque alius, ille non esset apostolicus, nec in sede apostolica per successiones episcoporum constitutus; ergo non esset licitus reputandus.

Preterea, papa in ecclesia dei habet plenitudinem potestatis. Quod ergo papa non potest, multo forcius nec aliqua multitudo Christianorum. Sed papa non posset ordinare seu statuere quod post decessum eius, vel eo consenciente et volente, alius principatus quam pontificatus summus esset in ecclesia dei, cum omnes Christianos regi ab uno summo pontifice spectet ad generalem statum ecclesie, contra quem papa dispensare non potest, ut testari videtur glossa, 25ª, q. 1ª, super capitulum *Que ad perpetuam*. Ergo nec aliqua multitudo potest instituere alium principatum.

Adhuc, illud non potest aliqua multitudo Christianorum per quod hereticam incurreret pravitatem. Sed si quecumque multitudo institueret alium principatum cui subderentur omnes Christiani, ipso facto hereticam pravitatem incurreret, quia privilegium Romane ecclesie conaretur auferre. “Qui autem”, ut testatur Nicolaus papa, dist. 22ª, c. 1º, “Romane ecclesie privilegium ab ipso summo ecclesiarum omnium capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in heresim labitur”. Ergo nulla multitudo Christianorum potest instituere alium principatum primum quam principatum Romane ecclesie, qui in hoc consistit, ut unus summus pontifex omnibus Christianis principetur.

Preterea, in uno episcopatu non possunt esse duo episcopi, nec in uno archidiaconatu duo archidiaconi (7ª, q. 1ª, *In apibus*). Ergo multo forcius in ecclesia dei non possunt esse duo aut plures summi pontifices. Constat autem quod ecclesia dei non debet carere omni summo pontifice. Ergo ecclesia non habet potestatem instituendi alium principatum principalem quam summum pontificatum unius qui omnibus aliis principetur.

46 potest] possit Ed **47** ea sit quam] quam ea que sit Ed **48** constitutam] constituta Ed **49** et] S: *omitted* W **51** successiones] successionem Ed **54** episcoporum] *omitted* Ed **55** Preterea] *omitted* MF **57** statuere] constituere Ed **59** spectet] spectat Ed **68** traditum] *omitted* Ed **73** Ergo] et sunt verba Hieronymi igitur Ly **76** pontificatum] Kilcullen: pontificium MF, pontificem Ed

60 glossa] C.25 q.1 c.3, s.v. nulla commutacione, col. 1438 **67** dist. 22, c. 1] col. 73 **73** In apibus] C.7 q.1 c.41, col. 582

Amplius, non licet quibusque Christianis facere condicionem ecclesie deteriorem quoad temporalia, quamvis sit licitum meliorare ipsam (Extra, *De donacionibus*, *Fraternitatem*; Extra, *De restitucione in integrum*, c. 1º); ergo multo magis non licet quibusque facere condicionem ecclesie deteriorem quoad spiritualia. Unum autem summum pontificem Christianis omnibus principari ad spiritualia spectat, quia principatus huiusmodi spiritualis est (dist. 10ª, *Suscipitis*). Ergo non licet quibusque Christianis principatum huiusmodi in deteriorem vel minus bonum quomodolibet transmutare. Principatus autem aristocraticus, et quilibet alius, est minus bonus quam principatus quo principatur unus solus, cum talis principatus sit regalis vel similis regali. Ergo non licet quibusque Christianis principatum aristocraticum, vel alium, loco principatus unius summi pontificis instituere quoquo modo.

Capitulum 22

Discipulus: Propter apparenciam magnam quam allegaciones pro opinione utraque inducte habere videntur, cupio eas magis discutere et audire quomodo secundum diversas opiniones respondetur ad ipsas. Unde primo refer quomodo opinio prima ad allegaciones ultimo adductas nititur respondere.

Magister: Ad primam, que fundatur in hoc, quod omnes Christiani non possunt contra ordinacionem Christi, respondetur per eam que condita fuit <probare> c. 20º, quod videlicet necessitas et utilitas faciunt licitum aliquod quod alias, tamquam ordinacioni Christi contrarium, esset illicitum. Et ideo, non obstante quod omnes Christiani sint discipuli et servi Christi et non sint supra ipsum, tamen ex necessitate vel utilitate possunt aliquid contra ordinacionem eius (hoc est, contra verba et facta eius secundum quod prima facie sonare videntur, non tamen contra intencionem), quia ipse vult quod in verbis eius urgens necessitas et evidens utilitas sint excepte ubi aliquid ordinat vel facit cuius contrarium legi naturali minime adversatur et ipse non explicat quod necessitas et utilitas nullatenus excipi deberent.

Quod aliter quam prius probare conatur. Nam Christus precepit apostolis, ut habetur Matthei 5º, non resistere malo, sed si quis percusserit eos in unam

81 facere] Kilcullen: habere W **85** quomodolibet] quemlibet Ed **22.3** utraque] prefata *added* MF **4** respondetur] respondere Pz | refer] refert Pz **7** eam] Mz: ea W | condita] MF: conata Ed | fuit] MF: sunt Ed | c. 20] Scott: probare c. 20 W **8** 20] 10 Pz, 21 Ly **9** ideo] *omitted* Ed **10** sint[1]] sunt MF **16** excipi] Kilcullen: recipi W **17** precepit] precipit Ly **18** si quis] Kilcullen (cf. Mt. 5:39): qui W

80 Fraternitatem] X 3.24.2, col. 533 | c. 1] X 1.41.1, col. 222 **83** Suscipitis] D.10 c.6, col. 20 **22.5** opinio prima] c. 20 **6** primam] 21.6 **7** per…probare] See on the website 31TextProblems.html | c. 20] cf. 20.141 **18** Matthei] 5:39

maxillam preberent et aliam, et tamen apostolo Paulo percusso licuit dicere principi sacerdotum, "Percuciat te deus, paries dealbate", ut testatur Augustinus in sermone de puero centurionis (et ponitur 23ª, q. 1ª, c. *Paratus*). Quemadmodum igitur, secundum Augustinum (ibidem), precepta illa Christi de paciencia "magis sunt ad preparacionem cordis quam ad opus quod in aperto fit, ut teneatur in secreto animi paciencia cum animi benevolencia, in manifesto autem id fiat quod eis videatur prodesse quibus bene velle debemus", sic circa ordinacionem Christi de uno summo pontifice constituendo servandum est id quod magis prodest ecclesie sue, pro cuius utilitate ordinavit unum summum pontificem constituendum, ut scilicet quando expedit ecclesie quod sint plures, fiant plures qui aristocratice regant ecclesiam.

Hec responsio videtur taliter posse confirmari. Si licet facere contra verba precepti magis expressi, contra verba precepti minus expressi licebit facere. Sed precepta Christi de paciencia data apostolis, Matthei 5º, magis expressa fuerunt quam preceptum de uno summo pontifice constituendo post Petrum. Quia expresse dixit, absque omni condicione, modificacione et excepcione sive determinacione, "Ego autem dico vobis non resistere malo", et cetera; nusquam autem invenitur quod dixerit, "Dico vobis quod constituatis summum pontificem post Petrum", vel consimilia verba. Ergo si contra verba expressa Christi de paciencia licet venire, non contra mentem — quemadmodum et ipsemet Christus fecit, ut testatur Augustinus, ubi prius, dicens: "Liquido ostenditur quod ipse Dominus Iesus, exemplum singulare paciencie, cum percuteretur in faciem, respondit, 'Si male locutus sum, exprobra de malo; si autem bene, quid me cedis?' Nequaquam igitur preceptum suum, si verba sua intueamur, implevit; neque enim percucienti prebuit alteram partem, sed pocius prohibuit ne faceret" — multo magis contra verba Christi non expressa de uno summo pontifice constituendo licet facere Christianis, ut scilicet non constituant unum sed plures summos pontifices, quando hoc expedit ecclesie Christi.

Christus expressis verbis, nullum casum excipiendo, precepit non iurare, dicens, Matthei 5º, "Ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per celum", et cetera, et post, "Sit autem sermo vester est, est, non, non. Quod hiis amplius est a malo est". Et tamen, non obstante isto precepto Christi expresso,

19 preberent] prebeant Ed **20** Percuciat] percuciet S | ut] Kilcullen: ubi W **22** Christi] *omitted* Ed **24** animi[2]] *omitted* Ed **30** confirmari] quia *added* Ly **31** magis] Ly: minus W | contra…facere] *omitted* MF | minus] magis Pz **32** precepta] preceptum Ed | expressa] expressum Ly | fuerunt] fuit Ly **34** condicione] *omitted* Ed **36** invenitur] inveniri potest Ed **39** dicens] ubi dicit Ed **40** Iesus] *omitted* Ed **45** licet] liceret Ed **50** amplius] abundantius S

19 dicere] Acts 23:3 **21** Paratus] C.23 q.1 c.2, col. 891 **48** Matthei] 5:34, 37

licet in casu iurare (Extra, *De eleccione*, *Significasti*; et Extra, *De iureiurando*, *Etsi Christus*; 22ª, q. 1ª, *Non est*, ubi asserit Augustinus quod iurare licet propter infirmitatem aut incredulitatem eorum qui non aliter ad fidem moventur). Ergo, multo magis, non obstante quod Christus fecerit beatum Petrum summum pontificem et caput omnium Christianorum, licet Christianis propter communem utilitatem tocius ecclesie plures simul constituere summos pontifices, si hoc aliquando expediat.

Rursus, Christus expresse precepit apostolis, Matthei 10º, ne possiderent aurum vel argentum aut pecuniam et ne haberent duas tunicas vel portarent calciamenta. Et tamen manifesta necessitate cogente licebat eis contra ista venire, implendo scilicet mentem Christi, non verba. Quod ipse satis insinuare videtur, dicens apostolis, Luce 22º: "'Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?' At illi dixerunt, 'Nichil'. Dixit ergo eis, 'Sed nunc qui habet sacculum tollat, similiter et peram; et qui non habet, vendat tunicam suam et emat gladium'". Ex quibus verbis Beda elicit quamdam regulam generalem, quod scilicet, non obstante precepto Christi, alia est regula vivendi tempore pacis, alia tempore persecucionis. Ex qua regula Bede potest quedam alia generalior colligi, quod scilicet propter necessitatem et utilitatem licet venire contra ordinacionem Christi: si enim, non obstante precepto Christi, alia est regula vivendi tempore pacis, alia tempore persecucionis, racione consimili, non obstante precepto Christi, alia est regula vivendi in casu necessitatis et utilitatis, alia extra casum necessitatis et utilitatis, cum non nisi propter necessitatem et utilitatem sit alia regula vivendi tempore pacis, alia tempore persecucionis — si enim nulla apparet necessitas nec utilitas propter persecucionem, regula vivendi, presertim promissa, nullatenus est dimittenda. Propter necessitatem igitur et utilitatem licet non implere verba Christi. Ergo non obstante quacumque ordinacione Christi de uno summo pontifice constituendo, licebit, si evidens utilitas hoc exposcit, plures constituere summos pontifices qui aristocratice gubernent universitatem fidelium.

Amplius, licet ex causa differre eleccionem summi pontificis; ergo licet pro tempore constituere alios qui gubernent communitatem fidelium.

---

58 expresse] *omitted* Ed **65** emat] sibi *added* MF **68** scilicet] *omitted* Ed **74** apparet] appareret MF **75** persecucionem] persecuciones Ly | promissa] *omitted* Ed | dimittenda] Fr: *illegible* Mz; imitanda Ed **79** gubernent] totam *added* Ed

---

51 Significasti] X 1.6.4, col. 49 **52** Etsi Christus] X 2.24.26, col. 369 | Non est] C.22 q.1 c.2, col. 861 **58** Matthei] 10:9-10 **62** Luce] 22:35-7

Capitulum 23

Discipulus: Allegaciones prescripte et alique alie prius adducte fundantur in hoc, quod licet venire contra verba divini precepti et Christi, licet non contra mentem seu intencionem precipientis, que aliquam apparenciam habere videntur. Ideo contra fundamentum eorum obiciam, ut tam fundamentum quam dictas allegaciones et consimiles melius intelligam et advertere valeam an aliquid contineant veritatis.

Videtur ergo quod nullo modo licet venire contra verba divini precepti seu Christi, nec propter necessitatem nec propter utilitatem. Nam de similibus simile iudicium est habendum; ergo eodem modo censendum est de quoque precepto divino et de omnibus. Sed preceptum divinum de matrimonio inter virum et uxorem non solvendo sic obligat quod in nullo casu, excepto casu expresso a Christo (scilicet casu fornicacionis), propter quamcumque necessitatem vel utilitatem licet uxorem dimittere, ut testatur ipsemet Christus, Matthei 5º et 19º et Marci 10º. Ergo omne preceptum divinum et Christi sic obligat quod in nullo casu qui non sit expressus a deo vel a Christo propter necessitatem et utilitatem liceret venire contra preceptum divinum.

Preterea, si propter necessitatem et utilitatem liceret venire contra preceptum divinum, [omnia sacramenta mutare liceret propter necessitatem et utilitatem]. Quia nullus obligatur ad sacramenta queque nisi propter preceptum divinum: ergo propter necessitatem et utilitatem liceret non baptizare vel aliter baptizare quam institutum est a Christo, puta in vino vel alio liquore, si aqua haberi non posset et baptismus differri non posset; liceret eciam conficere corpus Christi de alio pane quam triticeo, quando panis triticeus haberi non posset; liceret eciam, quando vinum haberi non posset, conficere sanguinem Christi de aqua vel alio liquore. Et sic omnia sacramenta mutare liceret propter necessitatem et utilitatem.

Rursus, nulli licet venire contra verba alicuius precepti nisi qui habet potestatem dispensandi contra tale preceptum vel interpretandi idem preceptum. Sed

---

23.6 aliquid] quid Ed **11** divinum] *omitted* Ed **15** et[2]] *omitted* Ly | Christi] *omitted* Ed
16 Christo] mutare *added* MF **18** Preterea…19 divinum] Frm: *omitted* W
19 divinum…utilitatem] Kilcullen: divinum W **20** Quia…divinum] MFm: *omitted* Ed **21** ergo] alias Ed **22** alio] alio aliquo Ed **23** posset[1]] possit Ed | non] *omitted* Pz | posset[2]] possit Ed | liceret] licet Mz **24** posset] possit Ed | liceret] licet Mz **25** posset] possit Ed | Christi] *omitted* MF
29 contra] circa Ly

23.2 prius] 20.139 **14** Matthei] 5:32, 19:9 **15** Marci] 10:11

nullus potest dispensare contra precepta divina nec interpretari eadem precepta. Ergo nulli licet venire contra verba precepti divini.

Ex hiis concluditur quod si Christus ordinavit unum summum pontificem esse preficiendum cunctis fidelibus, nullo modo licebit Christianis quibusque plures simul constituere summos pontifices.

Ista sunt que michi videntur efficacius improbare assercionem predictam. Ideo narra quomodo respondetur ad ipsa, et incipias ab ultimo, quia forte alique responsiones ad alia dependent ab illo.

Capitulum 24

Magister: Obieccio illa mencionem facit de duobus, scilicet de potestate dispensandi contra preceptum dei sive Christi, et de potestate interpretandi preceptum dei sive Christi. Quantum ad primum dicitur quod Christiani quicumque non habent potestatem dispensandi contra preceptum divinum seu Christi, nisi "dispensacio" interpretacio sive iuris declaracio appelletur, qualiter glossa, 25ª, q. 1ª, super capitulum *Sunt quidem*, loqui videtur, dicens quod papa "dispensat in evangelio interpretando ipsum". Cui concordare videtur assercio quorumdam iuristarum dicencium: "Dispensacio dicitur declaracio sive commutacio. Sic potest dispensare", scilicet papa, "de voto, et de hiis que fiunt de iure divino et naturali, dummodo subsit necessitas vel utilitas et compensabilitas".

De potestate autem interpretandi preceptum dei sive Christi, et per consequens dispensandi predicto modo, quid dicendum sit secundum quamdam opinionem ex prolixa nostra disputacione de potestate interpretandi dicta et statuta aliorum, prima parte nostri dialogi, libro 6º, potest advertere studiosus. De qua recitabo pauca, nonnulla addendo. Dicitur itaque quod non est necessaria interpretacio alicuius dicti, precepti seu statuti divini, naturalis vel humani, nisi propter ignoranciam alicuius cui necessaria est interpretacio; quia "ubi verba non sunt ambigua, non est locus interpretacioni", ut notat glossa, Extra, *De consuetudine*, super capitulum *Cum dilectus*. Ad illum igitur pertinet interpretacio qui scit verum intellectum illius quod interpretandum est, quando scilicet aliquis alius dubitat de vero intellectu eius. Multi autem periti sciunt verum intellectum preceptorum dei et Christi, et ideo precepta illa possunt interpretari

---

33 licebit] licet Ed **37** dependent] Ly: dependebant W | illo] illa MF **24.3** contra] circa Ly **17** naturalis] *omitted* Ed **21** verum] *omitted* Ed **23** et ideo] *omitted* MF

24.2 illa] 23.28 **6** glossa] C.25 q.1 c.6, s.v. apostoli, col. 1439 **9** dicencium] Not found. The quotation marks are a guess. **15** libro 6] 1 Dial., 6.100 **19** glossa] X 1.4.8, s.v. iuri communi, col. 94

illis qui nesciunt, quia huiusmodi interpretacio non est nisi exposicio vel declaracio seu manifestacio veri intellectus preceptorum dei. Et ita Christiani habent potestatem interdum interpretandi preceptum divinum, quando scilicet sciunt verum intellectum illius. Si autem nesciretur verus intellectus alicuius precepti dei, quia nesciretur intencio dei in precipiendo, nec per racionem nec per scripturas alias sed solummodo per revelacionem dei posset sciri (sicut secundum quosdam verus intellectus litteralis multarum propheciarum que ponuntur in libro Apocalypsis et aliis scripturis propheticis non potest sciri nisi per revelacionem novam), tunc interpretacio talis precepti expectanda est a solo deo. Sed intellectus preceptorum sive ordinacionum dei de paciencia conservanda, iuramento non prestando, de non portando sacculo sive pera et de summo pontifice constituendo, et multorum aliorum, scitur a pluribus Christianis et sciri potest per racionem et scripturas. Ideo interpretari possunt Christiani periti talia precepta sive ordinaciones, et secundum veram interpretacionem ipsa servari debent. Nec est semper inherendum "verbis", eciam Christi, "sed menti", secundum glossam, 23ª, q. 1ª, super capitulum *Paratus*, que ibidem specialiter loquitur de verbis Christi.

Discipulus: Secundum ista non magis liceret pape interpretari verba dei et Christi quam alteri sapienti et in sacris litteris erudito, nec plus esset credendum pape in huiusmodi quam alteri sapienti.

Magister: Respondetur quod non aliter licet pape interpretari verba dei vel Christi quam alteri, nec est magis credendum sibi in huiusmodi quam alteri sapienti; immo in huiusmodi sunt magis periti quam papa ipsi pape preferendi, ut habetur dist. 20ª § 1º, ubi habetur quod divinarum scripturarum tractatores in sacrarum scripturarum exposicionibus summis pontificibus preferuntur. Verumptamen si interpretacio seu exposicio pape fuerit catholica, nullum habens errorem, est quodammodo magis autentica quam interpretacio alterius eruditi, quia extunc nulli licebit publice contrarium opinari et tenere scienter, quod non est verum de eadem interpretacione si esset solummodo alterius eruditi, quia, si non esset de aliquo quod quis teneretur explicite credere, liceret alii, non obstante huiusmodi interpretacione, publice opinando tenere contrarium, licet non pertinaciter. Si autem interpretacio pape esset erronea et non consona veritati, liceret cuilibet scienti eam non esse consonam veritati manifeste et publice reprobare, et quilibet hoc sciens, pro loco et tempore, de necessitate salutis, ipsam impugnare deberet.

---

29 posset] possit Ed **37** servari] Fr: servare W **57** et[3]] Ly: *omitted* W

---

39 glossam] C.23 q.1 c.2, s.v. si verba, col. 1285 **47** § 1] D.20 d.a.c.1 § 1, col. 65

Discipulus: Secundum ista papa nullo modo posset dispensare contra Dominum vel Apostolum aut scripturam sacram, cuius contrarium tenere videtur glossa, 25ª, q. 1ª, super capitulum *Sunt quidam*, dicens: "Sustineri potest quod papa contra Apostolum dispensat; non tamen in hiis que pertinent ad articulos fidei".

Magister: Dicitur quod glossa accipit ibi "dispensare" pro interpretari sive declarare intellectum Apostoli; quod papa potest.

Discipulus: Isto modo papa potest dispensare in hiis que pertinent ad articulos fidei, quod tamen negat glossa. Potest enim declarare verum intellectum illorum que pertinent ad articulos fidei, sicut et aliorum.

Magister: Respondetur quod articulos fidei qui ponuntur in symbolo, de quibus loquitur glossa, non potest aliter interpretari quam interpretati sunt, quia quoad sensum litteralem sufficienter interpretati sunt et declarati. Sed [sensus] multorum aliorum que inveniuntur in scripturis sacris potest papa, si est peritus, nova interpretacione interpretari, quia in speciali non inveniuntur taliter interpretata a prioribus, quin pro multis simplicibus, immo peritis, nova et explicita interpretacione indigeant, quam multi eciam literati ex omnibus scripturis summorum pontificum et tractatorum divinarum scriptuarum nescirent colligere. Nec est nec fuit aliquis doctorum aut summorum pontificum ita peritus quin potuit et posset continue et semper in intelligencia scripture divine proficere, eciam si viveret mille annis aut pluribus, inveniendo noviter sensus catholicos litterales (qui sunt aliorum sensuum fundamenta) studendo in scripturis sacris, et hoc propter difficultatem intelligendi scripturam sacram in diversis locis.

Discipulus: Satis dixisti de ista obieccione. Et modo narra qualiter respondetur ad primam obieccionem quam adduxi in capitulo precedenti.

Magister: Ad illam allegacionem dicitur quod de similibus simile iudicium est habendum quando non prohibetur, nec explicite nec implicite, simile haberi iudicium. Ubi autem prohibetur explicite vel implicite de similibus simile habere iudicium, ibi non est habendum simile iudicium de similibus. Abraham enim, ex quo recepit mandatum de filio immolando, tenebatur parare se ad filium suum occidendum innocentem, et tamen ne occideret alios innocentes debuit sibi cavere, quia simpliciter erat sibi preceptum ut immolaret filium suum, et non alios, et ideo alium intellectum non potuit elicere ex verbis precep-

---

59 Dominum vel] *omitted* Ed **60** tenere] *omitted* Ed **65** papa] *omitted* Ed **70** Sed sensus] Kilcullen: sed W **71** que] Mz: articulos qui Ed | sacris] sanctis MF **76** et] aut Fr Ed **81** Et modo] nunc Ed **82** adduxi] adduxisti Ed

---

60 glossa] C.25 q.1 c.6, s.v. apostoli, col. 1439 **83** illam] 23.8

ti nisi quem primo sonabant. Et ita erant expressa, omni ambiguitate carencia, quod non erat ibi locus interpretacioni, nec aliquem alium intellectum potuit elicere. Ex quibus verbis dei nec eciam per racionem potuit alium elicere intellectum, cum non ignoraverit deum esse dominum vite et mortis. Quamvis ergo esset simile de precepto dei super matrimonio non solvendo, sive super uxore non dimittenda, et quocumque alio precepto dei, tamen non sit nec esset simile iudicium quoad omnia habendum de precepto predicto et quocumque alio precepto dei, quia Christus excipiendo unum casum specialem in quo liceat dimittere uxorem alios casus prohibuit — quia "quod de uno conceditur de aliis negatur" (dist. 25ª, c. *Qualis*; 15ª, q. 3ª, *De crimine*; 45ª dist., c. *Disciplina*; 1ª, q. 1ª, *Per Isaiam*); que regule tenent ubi tenet argumentum a contrario sensu, quod fortissimum est in iure, ut leges dicunt. In multis autem aliis preceptis dei et Christi speciales casus non excipiuntur explicite. Ideo in eis non plus est intelligendus unus excipi quam alius. Quare ex aliis locis scripture divine colligendum est an aliquis casus debeat excipi licet non exprimatur, et an sit eadem racio excipiendi talem casum in uno precepto et in alio, et an precepta sint consimilia quantum ad genus preceptorum, puta an precepta naturalia vel positiva, an aliquod naturale et aliquod positivum. Si enim sint simpliciter precepta iuris naturalis, nullus casus excipi debet propter quamque necessitatem vel utilitatem, nisi deus specialiter aliquem exciperet (quemadmodum, non obstante precepto iuris meri naturalis de nullo innocente scienter interficiendo, deus precipiendo Abrahe ut immolaret filium suum specialem excepcionem fecit). Si autem sint precepta mere positiva, casus necessitatis et utilitatis ita debet excipi in uno sicut in alio, nisi ex scripturis specialiter colligi possit quod in aliquo tali precepto non est excipiendus casus necessitatis et utilitatis. Et ita de preceptis similibus simile potest haberi iudicium.

Ad sequentem allegacionem respondetur quod non sequitur ex predictis quod liceat omnia sacramenta mutare, quia aliud est preceptum mutare et aliud preceptum omittere, et consimiliter aliud est sacramenta mutare et aliud sacra-

93 quibus] quibusque MF **96** tamen] cum tamen MF | sit] est Ed **97** habendum] Ly: habendo MF, habendus Pz **101** sensu] argumento Ed **105** excipi] intelligi Ed

100 Qualis] D.25 c.4, col. 94. Cf. Gloss, s.v. negatur, col. 126, which gives two rules, "quod de uno negatur de alio conceditur", referring to c. *De crimine*, and "quod de uno conceditur de alio negatur", referring to c. *Disciplina* and c. *Per Isaiam*. This gloss is the source of the next three references. | De crimine] C.15 q.3 c.1, col. 751 | Disciplina] D.45 c.9, col. 163. Cf. gloss, s.v. meus non est, col. 218. **101** Per Isaiam] C.1 q.1 c.98, col. 396. Cf. gloss, s.v. non aliis, col. 547. | que regule] Only one rule has been stated in the text. Ockham means the two rules given in the gloss s.v negatur, above. See also below, 4.4.44 ff. **102** leges] cf. gloss to *Digest*, 1.21.1, s.v. fortissimum, col. 114 **117** sequentem] 23.18

menta omittere. Et ideo, quamvis nonnumquam liceat aliqua sacramenta omittere, non licet tamen illa mutare. Propter quod nulli licet baptisare in vino vel in alio liquore quam in aqua, nec licet conficere corpus Christi nisi in pane triticeo et in vino. In casu tamen propter necessitatem vel utilitatem licet omittere sacramenta aliqua.

Capitulum 25

Discipulus: Nunc expone quomodo sustinetur quod licet Christianis propter necessitatem vel utilitatem constituere plures summos pontifices, non obstante quod non liceat eis scindere unitatem ecclesie, que consistit in hoc, quod unum caput sub Christo omnibus principetur, in quo fundabatur secunda allegacio inducta superius, c. 21º.

Magister: Respondetur quod nullis Christianis licet scindere unitatem ecclesie, sed absque unitate summi pontificis potest unitas ecclesie perdurare. Vacante enim apostolica sede manet unitas ecclesie, et ita non existente summo pontifice potest unitas ecclesie permanere. Nec scissa est ecclesia propter hoc quod nullum habet summum pontificem; alioquin sepe scinderetur ecclesia, cum sepe nullus sit summus pontifex. Et ita omni scismate caret ecclesia absque uno summo pontifice. Et per consequens ex hoc, quod essent plures summi pontifices simul regentes ecclesiam, non posset inferri quod scissa esset ecclesia.

Ad auctoritatem autem beati Cypriani respondetur quod loquitur in casu in quo plures discordes gererent se taliter pro summo pontifice quod quilibet eorum diceret apud se solum esse pontificatum et ecclesiam, quemadmodum accidit tempore beati Cypriani de Cornelio et Novaciano, propter quorum discordiam dixit Cyprianus verba prescripta, sciens quod Cornelius erat verus summus pontifex et non Novacianus. Si autem propter necessitatem vel utilitatem, absque discordia, de consensu fidelium, plures simul sederent in apostolica sede et concorditer regerent ecclesiam dei, ex pluralitate huiusmodi summorum pontificum nullum periculum scismatis sequeretur, quia nec inter ipsos summos pontifices nec inter eis subiectos aliqua esset scissura, quemadmodum si in eodem episcopatu essent plures episcopi se mutuo adiuvantes, nulla propter hoc in eodem episcopatu esset scissura.

Et ex isto sumitur argumentum ad probandum quod absque omni scismate et divisione unitatis ecclesie possent propter necessitatem vel utilitatem esse simul

---

122 nisi] *omitted* Ed **25.8** ecclesie] summi pontificis Ed **12** absque] *omitted* MF **21** sederent] haberentur Ed **26** esset] *omitted* Mz

---

25.6 inducta] 21.17 **15** auctoritatem] 21.21

plures summi pontifices. Nam idem iuris est in parte quod in toto et in parvis quod in magnis. Sed in eodem episcopatu possunt simul esse duo episcopi (7ª, q. 1ª, c. *Non autem*, et c. *Petisti*, et c. *Qui vero*); ergo consimiliter propter necessitatem vel utilitatem possent esse simul plures summi pontifices. Et quamvis numquam fuit factum, tamen fieri posset, quemadmodum nec ante tempora Augustini nec post legitur quod episcopo existente incolumi alius fuerit in eodem episcopatu episcopus ordinatus, et tamen de beato Augustino hoc legitur factum. Nam 7ª, q. 1ª, c. *Non autem*, sic habetur: "Non autem hoc tantum scripsimus, sed quod dei gracia hanc curam meruerit Africana ecclesia, ut verba celestia Augustini ore perciperet, qui ad maiorem Dominici muneris graciam novo more provectus, et consecratus est ut non succederet in cathedra episcopo, sed accedens ecclesiam incolumi Valerio Iponensis ecclesie episcopo coepiscopus Augustinus factus est". Si igitur propter utilitatem ecclesie Iponensis plures fuerunt simul in Iponensi ecclesia episcopi, multo magis propter utilitatem universalis ecclesie plures esse possunt apostolici simul.

Discipulus: Contra hoc est glossa super eundem capitulum *Non autem*, que dicit in hec verba: "Numquid eodem modo possent esse duo apostolici? Argumentum quod non, supra, eadem, c. *Factus*; et Dominus tantum unum constituit, 24ª, q. 1ª, *Ita loquitur*, et c. *Quicumque*, contra quod non potest dispensari, 25ª, q. 1ª, *Sunt quidam*. Preterea, quia una est catholica ecclesia et unum caput. Tamen plures imperatores fuisse legimus. Sed hic non est ita, quia offenderetur illa regula, scilicet unam sanctam ecclesiam". Ex quibus verbis colligitur quod articulo fidei obviat plures esse apostolicos simul, illi videlicet articulo, "unam sanctam ecclesiam catholicam".

Magister: Respondetur quod glossa ibi non loquitur assertive sed solummodo allegando; unde dicit, "argumentum quod non". Et ideo non determinat partem illam, sed tantummodo argumentatur pro ipsa. Que argumenta concludunt quod non possunt esse duo apostolici contrarii et discordes quorum uterque vel alter dicat et asserat se solum esse apostolicum et non alium, vel quorum alter non sit legitime apostolicus constitutus. In quo casu loquitur illud capitulum allegatum,

---

33 nec] licet Ed **36** tantum] totum MF **37** Africana ecclesia] W: africane ecclesie Friedberg. (Other editions of Gratian, and of Augustine, Ep. 32, have: "meruerint africane ecclesie... perciperent".) **39** et] ita S | episcopo] episcopus Ed **40** accedens ecclesiam] accederet nam S Valerio] valerio S | Iponensis] sed *added* Pz | episcopo] episcopus Pz **41** factus] *omitted* S **45** duo] plures Ed **46** Factus] dicens et *added* Ly | Factus…Dominus] facto dicens Pz | et] *omitted* MF **49** legimus] 21ª dist., c. Nunc autem *added* S **51** articulo[1]] articulus MF **58** loquitur] legitur Ed

---

29 Nam…30 magnis] cf. 1.165 **31** Non autem] C.7 q.1 c.12, col. 571 | Petisti] C.7 q.1 c.17, col. 574 | Qui vero] C.7 q.1 d.p.c.42, col. 583 **36** Non autem[1]] C.7 q.1 c.12, col. 571 **44** glossa] C.7 q.1 c.12, s.v. ut non succederet, col. 823

Factus, quia loquitur de Cornelio et Novaciano, quorum Cornelius rite et legitime fuit electus, sicut idem capitulum asserit et testatur. Novacianus autem, non propter necessitatem vel utilitatem ecclesie, sed per ambicionem, cum scandalo et divisione ecclesie, gradum apostolicum usurpavit, testante sequenti capitulo, in quo sic habetur: "Novacianus episcopus non est, qui, Cornelio episcopo in ecclesia a sedecim episcopis facto, adulter atque extraneus episcopus fieri a desertoribus per ambitum nititur". De quo in libro 6º *Ecclesiastice historie*, c. 35º, sic habetur: "Novatus ecclesie Romane presbyter, elacione quadam tumidus, spem penitus eis salutis adimebat, eciamsi digne penituissent. Ex quo et princeps hereseos extitit Novacianorum, qui, ab ecclesia separati, superbo nomine seipsos 'catharos', id est 'mundos', appellabant. Ob quam rem concilium sacerdotale celeberrimum in urbe Roma congregatum est episcoporum quidem sexaginta numero, presbyterorumque totidem cum diaconis plurimis. Preterea eciam per singulas quasque provincias, de hac re magna deliberacione habita, decretis signatur quid facto opus sit. Statuitur ergo Novatum quidem, cum hiis qui eum mentis elacione tumidum sequerentur quique ad inhumanam istam et nichil fraterne caritatis servantem sentenciam declinarent, alienum esse ab ecclesia". Et infra: "Extat autem et alia epistola Cornelii ad Fabianum Antiochie episcopum scripta, edocens singula queque de Novato, quis qualisque fuerit vel vita vel moribus et quomodo ab ecclesia declinaverit, in qua refert quod episcopatus cupiditate, quam intra latenter gerebat, in hec omnia mala deciderit". Et infra: "Sidonius et Celerinus, qui valde clari in confessoribus habebantur, eo quod omnia tormentorum genera superaverant. 'Sed isti', inquit, 'cum diligencius perspexissent agere eum'", scilicet Novatum, "'cuncta fraudibus et dolis, mendaciis atque periuriis et quia bonitatem ad hoc solum simularet ut deciperet ignorantes, relicto eo, vel pocius execrato, ad ecclesiam cum magna festinaccione reversi sunt, et, presentibus episcopis et presbyteris sed et laicis viris, primo quidem errorem suum, tunc deinde et illius fraudes ac fallacias confitentur'. Addidit preterea eciam hoc in hac epistola quod 'cum semper fratribus iurare solitus sit episcopatum se

64 episcopis] coepiscopis S | facto] factus Ed **66** Novatus] novacianus Ed **69** seipsos] semetipsos S | appellabant] appellarunt S **70** Roma] romana Fr Ed **71** numero] S: *omitted* W presbyterorumque] presbyterorum quoque S **73** signatur] significatur S | sit] esset S | Statuitur] certamen initur Ly **75** inhumanam] S: humanam W | caritatis] claritatis Ed **76** esse] S: eciam W infra] ita Ed | autem] eciam Ed **77** queque] quem Pz **79** intra] se *added* S **80** hec] hoc MF Celerinus] cornelius W **81** omnia] S: circa W **83** cuncta] a *added* MF **85** execrato] S: consecrato W | festinaccione] satisfaccione S | reversi] reverterunt S **86** viris] *omitted* Ed | tunc] tum S **87** eciam] Mz S: et W | hoc] hec S **88** hac] *omitted* S | sit] S: erat Ly, erit W

63 capitulo] C.7 q.1 c.6, col. 568 **66** c. 35] Eusebius, tr. Rufinus, pp. 613-621

omnino non cupere, subito et ex improviso, velut novum plasma, episcopus apparuit, scilicet qui disciplinam et instituta ecclesiastica vindicabat, episcopatum quem non a deo acceperat presumebat. Tribus namque episcopis, simplicissimis hominibus et omnium ignaris de remota Italie parte, adhibitis, immo pocius subtili ab eo circumvencione deceptis, imaginariam magis quam legitimam ab eis extorqueret manus imposicionem.'" Et infra: "Addidit autem etiam hoc, quod idem ipse Novatus in iuventute spiritu immundo vexatus sit, et cum tempus aliquantulum consumpsisset apud exorcistas, egritudinem incurreret gravem ita ut desperaretur, et quod iacens in lecto pro necessitate perfusus sit, nec reliqua in eo que baptismum sequi solent sollempniter adimpleta sint, nec signaculo crismatis consummatus sit; unde nec Spiritum sanctum umquam potuit promereri". Ex quibus verbis colligitur quod Novatus et summo episcopatu erat indignus, et non legitime sacerdocium usurpavit, ac multis fraudibus et fallaciis utebatur. Quare ecclesiam scindebat; sed si dignus existens de consensu unanimi catholicorum fuisset assumptus, non fuisset propter hoc scissa ecclesia.

Nec apostolicorum pluralitas concorditer gubernancium ecclesiam unitati ecclesie repugnat, quemadmodum episcoporum pluralitas non obviat unitati episcopatus, nec pluralitas principancium aristocratice in civitate civitatis destruit unitatem. Nec propter hoc offenderetur ille articulus fidei, "unam sanctam ecclesiam catholicam", quia propter pluralitatem apostolicorum propter necessitatem vel utilitatem de unanimi consensu fidelium assumptorum non fierent plures ecclesie, sed remaneret una propter unitatem fidei et concordiam apostolicorum "eadem mente unoque consilio" ceteris principancium orthodoxis.

Cum igitur dicit Cyprianus, ut allegatum est, quod "ab unitate exordium proficiscitur, ut ecclesia Christi una monstraretur", respondetur quod quando necessitas aut utilitas non requirit pluralitatem apostolicorum, in quo casu loquebatur Cyprianus, unus debet esse apostolicus, ut ecclesia Christi non solum per unitatem fidei, baptismi et ceterorum que enumerat Apostolus ad Ephesios 4º, sed eciam per unitatem apostolici in quem unanimiter consenciunt catholici, monstratur una. Quando autem necessitas vel utilitas apostolicos plures exposcit, sufficit quod ecclesia sit una per unitatem illorum que enumerat Apostolus ad Ephesios 4º, per quorum unitatem est una quando, vacante apostolica sede,

89 cupere] S: capere W **92** simplicissimis] simplicibus Ed **96** aliquantulum] aliquantum S
97 incurreret] incurrerit S **98** perfusus] S: confusus W | reliqua] aliqua Ly | sequi] subsequi S
100 potuit] potuerit S **109** catholicam] *omitted* Ed **122** sede] sed *added* MF

112 eadem…consilio] Judges 20:11; cf. 1 Cor. 1:10 **114** allegatum] 21.28

nec uni nec pluribus apostolicis subditur ecclesia. Inter que "unum apostolicum" minime ponit cum de unitate ecclesie loquitur, dicens: "Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocacionis vestre, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus deus et pater omnium, qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis". In quibus oportet ut fideles unitatem servent, sive habeant aliquem apostolicum sive nullum, sive eciam habeant unum apostolicum sive plures. Quandoque tamen expedit, unum apostolicum ecclesia debet habere, nec unitas ecclesie monstraretur nisi, quando expediret et posset, ecclesia uni apostolico subderetur.

Et sic predicta verba intelligit Cyprianus, quod ex verbis eiusdem sequentibus, que eciam sunt superius allegata, ostenditur, cum dicit: "Quam unitatem tenere firmiter et vindicare debemus, maxime nos episcopi, qui in ecclesia dei presidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus". Ex quibus verbis colligitur quod secundum beatum Cyprianum non solum apostolatus sed eciam episcopatus esse debet unus atque indivisus; et tamen, sicut probatum est prius, in eodem episcopatu ex necessitate vel utilitate simul plures possunt esse episcopi; et per consequens in apostolatu possunt esse plures apostolici. Aliter enim minus in necessariis esset provisum apostolatui quam episcopatui. Sicut ergo in eodem episcopatu possunt esse plures episcopi, ita in apostolatu possunt esse plures apostolici, et tamen propter unitatem voluntatum et ceterorum que enumerat Apostolus et episcopatus et apostolatus unus et indivisus manebit, quemadmodum propter unitatem voluntatum plurium aristocratice principancium in eadem civitate remanet civitas una, cuius unitas interdum melius servatur per plures quam si unus solus principaretur; licet si nichil singulare obsisteret melius regeretur ab uno.

Capitulum 26

Discipulus: Vertas te ad alias allegaciones que supra c. 21º sunt adducte, et narra breviter quomodo respondetur ad ipsas.

Magister: Ad illam que fundatur in hoc, quod nullus est verus in ecclesia principatus nisi apostolicus, qualis non esset principatus plurium presidencium orthodoxis, respondetur quod quamvis propter necessitatem vel utilitatem essent plures principantes catholicis, tamen principatus eorum esset apostolicus et quilibet eorum esset vere successor beati Petri et vicarius Christi, quemad-

128 ut] quod Ed **133** Quam] S: quomodo W **137** apostolatus] Ly: apostolicus W | eciam] *omitted* Ed **145** unitas] vera *added* Ed

124 dicens] Eph. 4:3-6 **133** superius] 21.30 **26.4** illam] 21.38

modum si essent plures imperatores, quilibet eorum esset verus imperator. Et ita quamvis essent simul plures apostolici, tamen ecclesia esset vere in apostolica radice fundata et esset principatus apostolicus vere per successiones episcoporum absque omni scismate continuatus, si unanimes, pro utilitate communi, de concordi voluntate fidelium, plures simul in apostolica sede sederent, quemadmodum imperium Romanorum fuit unum et idem per successiones imperatorum continuatum quando fuerunt simul plures imperatores et quando fuit unus solus. Sic eciam in diversis regnis simul aliquando fuerunt plures reges, scilicet pater et filius, et tamen idem fuit regnum et per successiones regum continuatum.

Discipulus: Si essent plures apostolici simul, ipsi aristocratice regerent universitatem fidelium, et principatus eorum esset aristocraticus reputandus. Sed principatus apostolicus non est principatus aristocraticus, sed magis regalis, iuxta illud, 1ª Petri, 2º, "Vos estis genus electum, regale sacerdocium". Et in Apocalypsi dicit beatus Iohannes: "Fecit nos regnum sacerdotale". Ergo si essent plures apostolici, principatus regalis esset in aristocraticum mutatus, et per consequens non esset apostolicus.

Magister: Respondetur quod principatus apostolicus non esset in alium transmutatus, quia in principatu nulla esset varietas potestatis, sed esset solummodo pluralitas principancium, non de necessitate principatus sed propter utilitatem aliam vel necessitatem. Differt autem aristocraticus principatus a principatu regali magis per diversam potestatem quam per unitatem et pluralitatem principantis et principancium, quia in hoc saltem principatus aristocraticus differt a principatu regali, quod unus principancium aristocratice absque speciali commissione alterius non potest exercere ea que ad aristocraticum pertinent principatum, quod non est in principatu regali, nec esset in principatu plurium apostolicorum, si plures essent simul.

Discipulus: Dic qualiter ad sequentem allegacionem respondetur.

Magister: Multipliciter respondetur. Uno modo quod papa non habet potestatem preficiendi alium in summum pontificem quia summus pontifex a fidelibus prefici debet, et ideo papa non habet omnino plenitudinem potestatis. Aliter dicitur quod papa non habet regulariter, sed casualiter, potestatem preficiendi alium in summum pontificem, quando videlicet videret imminere periculum fidelium seu fidei nisi alius preficeretur, vel singularem utilitatem si alius

---

26.14 Romanorum] romanum Ly | idem] et *added* Mz **21** estis] *omitted* S **22** sacerdotale] et sacerdotes S **35** allegacionem] questionem Pz **37** a] Mz: de W

---

21 1 Petri] 2:9 **22** Apocalypsi] 1:6 **35** sequentem] 21.55

ordinaretur, et non posset convenienter requirere consensum fidelium et periculum esset in mora. Cum vero dicitur quod papa non potest dispensare contra statum generalem ecclesie, respondetur quod papa non potest regulariter dispensare contra illa que explicite vel implicite continentur in scripturis sacris, nec eciam contra ea que ad iura pertinent aliorum; tamen casualiter, ex causa iusta et racionabili, potest inducere novitates que fidei non repugnant. Et ideo ex causa racionabili posset alium constituere summum pontificem, qualiter secundum quosdam beatus Petrus alium fecit summum pontificem ipso vivente. Regulariter tamen hoc facere papa non potest, et si fecerit minime tenet.

Ad aliam allegacionem dicitur quod fideles ex causa instituendo plures summos pontifices nequaquam incurrerent hereticam pravitatem, quia privilegium Romane ecclesie traditum sibi a Christo non auferrent ab ea, quia remaneret eadem Romana ecclesia, habens potestatem preficiendi sibi et universitati fidelium unum summum pontificem, et eciam plures quando expedierit.

Ad aliam dicitur quod in uno episcopatu possunt esse duo episcopi, sicut accidit tempore beati Ieronimi de Augustino et Valerio, qui simul fuerunt episcopi Iponensis ecclesie, sicut ostensum est supra.

Discipulus: Glossa super illud capitulum 7^{m}, q. 1^{a}, *Non autem*, videtur dicere quod Valerius et Augustinus non regebant simul episcopatum eundem.

Magister: Dicitur quod talis glossa, si esset, manifeste corrumperet textum. Quia textus dicit expresse quod “incolumi Valerio Iponensis ecclesie episcopo, coepiscopus Augustinus factus est”; sed si Valerius cessisset, Augustinus non fuisset factus coepiscopus. Ergo eodem tempore regebant eundem episcopatum. Nec glossa asserit contrarium, sed dubitative loquitur, dicens “forte Valerius cessit administracioni Augustini”.

Ad Ieronimum autem dicitur quod ipse intendit quod, regulariter et absque causa iusta, non debent esse plures episcopi in eodem episcopatu; ex causa tamen possunt esse.

---

42 convenienter] faciliter Ed **53** Romane] racione Ed | auferrent] auferentur Pz, auferretur Ly **63** factus] *omitted* S **66** administracioni Augustini] administracionem augustino S **67** absque] aliqua *added* Ed

---

49 quosdam] See Clement, *Epistola I ad Jacobum fratrem Domini*, translated by Rufinus, PG, vol. 1, col. 464. Cf. C.8 q.1 c.2, col. 590. The letter is not authentic. **51** aliam] 21.63 **56** aliam] 21.72 **58** supra] 25.35 **59** Glossa] C.7 q.1 c.12, s.v. ut non succederet, col. 823 **67** Ieronimum] 21.72

Ad ultimam respondetur quod fideles propter necessitatem vel utilitatem sufficienter moventem et inducentem constituendo plures summos pontifices non facerent condicionem ecclesie deteriorem quoad spiritualia, sed meliorarent eam, quia in tali casu magis expediret ecclesie regi a pluribus quam ab uno. Cum autem dicitur quod principatus aristocraticus, et quilibet alius, est minus bonus quam principatus regalis, respondetur quod quantum ad naturam principatus est minus bonus, interdum tamen melior est quodammodo quam principatus regalis, quemadmodum multe medicine in se deteriores sunt cibis qui competunt sanis, et tamen nonnumquam meliores sunt quibusdam egris. Et ideo licet quantum est de natura rei sit melius quod principetur unus solus (quia, ut dicit glossa super sepe allegatum c. 7m, q. 1a, *Non autem*, "Facilius expeditur administracio per unum quam per plures, ff. *De administracione*, *Tutor*, l. 3a, § ultimo", quod communiter habet veritatem), non tamen semper, quia in casu potest esse melius quod principentur plures, et quandoque facilius expeditur administracio per plures quam per unum.

Capitulum 27

Discipulus: Recitasti quomodo respondetur, secundum unam opinionem, ad allegaciones ostendentes quod fideles non possunt instituere plures apostolicos simul. Nunc secundum opinionem contrariam narra qualiter respondetur ad allegaciones contrarias adductas supra, c. 20o huius secundi, quibus ostenditur quod <non> licet fidelibus plures constituere principantes communitati fidelium, sive quod possint alium principatum quam apostolicum instituere, sive quod solummodo possint ad statum apostolicum simul plures provehere.

Magister: Secundum tenentes quod nullo modo possunt simul esse plures apostolici, respondetur ad primam allegacionem quod statuta humana que divinis preceptis non obviant variari possunt; sic eciam principatus qui ordinacioni divine minime adversantur variare licet; sed non illos quorum aliquis repugnaret ordinacioni divine. Plures autem simul esse apostolicos obviaret ordinacioni Christi, qui unum constituit, et ideo non licet constituere simul plures apostolicos.

Ad secundam dicitur quod in hoc communitati fidelium quantum ad omnia necessaria optime est provisum, quod diligendo et obediendo deo fidelibus

---

73 a…uno] ab uno quam a pluribus Ed **79** quia] Ly: qui W **82** in] aliquo *added* Ly
27.4 qualiter] quomodo Ed **5** 20]2 Pz **6** quod] Kilcullen: quod non W **7** sive quod[1]] sicut MF possint] Mz: possunt W | quod[2]] *omitted* MF **8** plures] *omitted* Ly

---

70 ultimam] 21.78 **80** glossa] C.7 q.1 c.12, s.v. ut non succederet, col. 823 **27.10** primam] 20.19
16 secundam] 20.36

"omnia cooperantur in bonum", secundum Apostolum, et ideo, licet quandoque esset melius et magis expediens plures apostolicos presidere quam unum si non esset contra ordinacionem Christi, tamen melius est et magis Christianis expediens, propter ordinacionem Christi, subesse et obedire uni apostolico quam pluribus.

Ad aliam respondetur quod consuetudines que sunt consone ordinacioni Christi, quantumque inciperent esse onerose, per Christianos tolli non possent, quemadmodum leges divine date populo Iudaico, quamvis fuerint onerose (iuxta verba Petri que leguntur Actuum 15º), tamen per eundem populum tolli non poterant; sic quamvis principatus unius solius apostolici inciperet esse onerosus, tamen tolli non posset, sed tollerandus esset, quemadmodum sunt tollerandi mali prelati.

Ad aliam respondetur quod expedit ecclesie propter bonum obediencie, si est voluntas dei, illi principatui obligari qui potest in pessimum transmutari, quemadmodum propter bonum obediencie expedit ecclesie propter preceptum dei prelato pessimo obedire. Et ideo licet principatus unius summi pontificis posset per maliciam eius transmutari in pessimum, quia potest effici tyrannus, tamen propter bonum obediencie expedit ecclesie sustinere eundem.

Ad aliam racionem respondetur quod propter evidentem utilitatem est novitas facienda ita ut recedatur ab eo iure humano quod diu equum visum est, sed propter nullam utilitatem recedendum est a iure divino quod diu equum visum est. Sic eciam a principatu humanitus instituto propter utilitatem evidentem recedendum est, sed non a principatu instituto a Christo, quemadmodum a sacerdocio Levitico propter nullam utilitatem licebat Iudeis recedere. Principatus autem apostolicus sic est divinitus institutus ut unus solus debeat principari. Quare propter nullam utilitatem talis principatus in aristocraticum vel alium transmutandus est, nec aliquo modo licebit fidelibus plures apostolicos constituere.

Ad aliam respondetur quod principatus unius summi pontificis non potest esse dispendiosus Christianis nisi propter maliciam summi pontificis principantis vel propter maliciam subiectorum, et ideo principatus ille non est transmutandus in alium, sed corrigendi sunt illi propter quos tendit ad noxam vel accidit dispendium Christianis.

---

24 quantumque] quamvis Ed **44** est] *omitted* MF

---

18 Apostolum] Rom. 8:28 **23** aliam] 20.45 **26** Actuum] 15:10 **30** aliam] 20.55 **36** aliam] 20.63 **46** aliam] 20.75

Per idem ad aliam respondetur quod interdum quando illud quod provisum est ad concordiam propter maliciam aliquorum tendit ad noxam, non ipsum est tollendum, sed corrigendi sunt illi propter quos tendit ad noxam.

Ad aliam dicitur quod non semper cessante causa cessat effectus, sicut in multis casibus patet.

Ad aliam respondetur, sicut responsum est, quod non semper est standum maiori parti nec pluralitati. Et ideo, licet maior pars Christianorum vellet constituere plures apostolicos simul, non esset standum eis, quia minor maiori racione niteretur, scilicet ordinacione Christi, qui instituit unum solum apostolicum. Ad allegaciones in contrarium dicitur quod pro necessitate non licet facere contra preceptum divinum expressum, nisi quando potest colligi ex scripturis quod necessitas est excepta in legibus divinis. Non autem potest haberi ex scripturis quod in ordinacione Christi de uno apostolico constituendo aliqua necessitas sit excepta, et ideo nec propter necessitatem nec propter utilitatem sunt plures apostolici constituendi.

Ad ultimam respondetur quod David ex inspiracione divina fecit illam divisionem sacerdotum, et ideo, si deus ordinaverit, possent constitui plures apostolici; sed absque precepto divino hoc legitime minime fieri posset.

Capitulum 28

Discipulus: Narrasti secundum opinionem unam quod quando expediret liceret Christianis constituere plures apostolicos. Nunc indica an, secundum eandem opinionem, licet in aliquo casu plures constitui patriarchas seu primates nullum superiorem habentes, quorum nullus pro apostolico sit habendus.

Magister: Secundum unum modum ponendi opinionem prescriptam liceret, si communitati fidelium expediret, tales plures constituere patriarchas seu primates. Quod ponit propter plures condiciones que adducte sunt supra, 20º c. huius secundi, ad probandum quod liceret plures apostolicos simul habere. Secundum alium modum ponendi hoc nullo modo liceret.

Discipulus: Secundum primum modum ponendi explica aliquos casus possibiles in quibus liceret plures tales patriarchas seu primates habere.

---

51 ad aliam] *omitted* Ed | quod[1]] quia *added* Ly | quando] *omitted* Ed **52** non] ideo *added* Ly **58** standum] cum *added* Ed **59** ordinacione] Fr: ordinacioni W **28.4** constitui] constituere Ly **8** 20] Mz: 24 W **11** aliquos] Scott: alios W

---

51 aliam] 20.83 **54** aliam] 20.98 **56** aliam] 20.104 | responsum] 20.110 **60** allegaciones] 20.139 **66** ultimam] 20.170

Magister: Dicitur quod unus casus esset si papa et cardinales efficerentur heretici et Romani faverent eisdem aut nollent catholicum in summum pontificem eligere. Tunc enim liceret quibuscumque et quotque provinciis et regionibus que hoc concorditer vellent sibi unum primatem eligere qui in causis spiritualibus omnibus aliis presideret; et ideo, si alique provincie concordarent in unum et alie in alium, possent plures tales primates non habentes superiorem, quorum nullus esset apostolicus, preesse Christianis quousque de apostolico provideretur universitati fidelium.

Alius casus esset si, propter heresim pape vel discordiam eligencium, apostolica sedes diu vacaret, ita ut negocia communia ecclesie per ipsam expediri non possent, quemadmodum aliquando vacavit sex annis. Tunc enim liceret provinciis que vellent sibi constituere primatem modo predicto qui negocia communia illarum provinciarum expedire valeret.

Alius casus esset si catholici omnes preter paucos, per bella intestina vel per infideles aut scismaticos aut aliter, taliter premerentur quod ad apostolicum verum non possent habere recursum, et tamen diverse provincie possent convenire ad preficiendum sibi unum caput. Tunc enim liceret quibusque et quotque provinciis que possent et vellent sibi constituere unum primatem qui super omnes potestatem haberet. Et ita possent alique provincie in una parte mundi unum, et alie in alia parte mundi alium, constituere sibi primatem. Quare possent licite fieri plures tales patriarche seu primates.

Discipulus: Aliquas allegaciones adducas quod in predictis casibus, vel aliis, possent plures constitui huiusmodi patriarche seu primates.

Magister: Hoc videtur posse probari. Nam, ut habetur dist. 1ª, c. *Ius civile*, unaqueque civitas et populus potest sibi ius proprium "divina humanaque causa" constituere. Ubi dicit glossa super vocabulo "civitas": "Sic aliqua ecclesia ius sibi statuit, ut infra 11ª dist., *Catholicam*, et *De consecracione*, dist. 3ª, *Pronunciandum*". Et super vocabulo "humana" ait: "Id est contemplacione dei et hominum", id est reverencia dei et utilitate hominum. Ex quibus colligitur quod quelibet ecclesia et quilibet populus Christianus potest sibi auctoritate propria ius proprium statuere pro utilitate sua. Ergo, a simili, vel multo forcius, potest sibi pro reverencia dei et utilitate hominum constituere caput et prelatum, quia

19 apostolico] alio Ed **28** tamen] tunc Ly **39** statuit] statuerit Pz **40** Id est] prima Ed

28.36 Ius civile] D.1 c.8, col. 2 **38** civitas] D.1 c.8, s.v. vel queque civitas, col. 5 **40** humana] ibid., s.v. divina humanaque

parum est ius esse in civitate nisi sint qui iura regere possint et reddere, ff. *De origine iuris*, l. 2ª.

Amplius, cui licet cedere iuri suo, eidem licet super se superiorem recipere. Sed patriarchis et primatibus pro utilitate communi licet cedere iuri suo, ergo multo magis licet eis super se superiorem recipere pro communi utilitate. Si autem licet episcopis, patriarchis seu primatibus, multo magis hoc licet inferioribus, et per consequens possunt si volunt super se constituere unum caput cui omnes subsint.

Discipulus: Isti opinioni sacri canones obviare videntur, quibus statuitur et asseritur quod nova dignitas non potest constitui sine licencia pape (Extra, *De constitucionibus*, *Cum accessissent*; 22ª dist., c. 1º; Extra, *De consuetudine*, *Cum olim*).

Magister: Respondetur quod quando potest haberi recursus ad papam non est nova dignitas constituenda absque licencia pape, in quo casu loquuntur canones sacri. Sed quando non potest haberi recursus ad papam catholicum, tunc pro utilitate communi licet aliquo modo novam constituere dignitatem duraturam saltem usque possit haberi ad papam recursus. Sicut enim difficultas aliquid admittit vel permittit quod alias prohiberetur, sicut notat glossa, Extra, *De ecclesiis edificandis*, super capitulum *Ad audienciam*, ita eciam impossibilitas aliquid admittit vel permittit quod alias prohiberetur. Quare propter impossibilitatem recursus habendi ad papam licet tales constituere patriarchas vel primates, quamvis hoc prohibeatur de sacris canonibus, qui intelligendi sunt loqui quando potest haberi recursus ad papam. Quemadmodum canones prohibentes quosdam excommunicatos absolvi ab alio quam a papa intelligendi sunt quando excommunicatus potest ad papam recurrere, non quando ne recurrat ad summum pontificem impeditur, (Extra, *De sentenciis excommunicacionis*, *Quamvis*, et in aliis pluribus sacris canonibus idem habetur), sic eciam quando non potest recursus haberi ad papam, vel non expedit, potest constitui novus primas sine licencia pape, si alicui nacioni vel regioni aut regionibus vel provinciis fuerit expediens et necessarium, qui saltem auctoritatem et potestatem habebit quousque per papam fuerit aliter legitime et utiliter ordinatum.

---

50 seu] et Ly, *omitted* Pz **61** usque] quo *added* Ed | aliquid] aliud Ed

---

46 l. 2] *Digest*, 1.2.13, p. 30 **55** Cum accessissent] X 1.2.8, col. 9 | c. 1] D.22 c.1, col. 73 **56** Cum olim] X 1.4.6, col. 38 **62** glossa] X 3.48.3, s.v. magna difficultate, col. 1400 **70** Quamvis] X 5.39.58, col. 912

Capitulum 29

Discipulus: Ad plures allegaciones supra c. 2º huius secundi inductas ad probandum quod non expedit communitati fidelium uni capiti sub Christo subesse responsiones recitasti, occasione quarum aliqua alia annexa tractavimus, circa que quasdam opiniones et quosdam modos ponendi recitasti, quas et quos nolo ad presens amplius pertractari. Ideo, illis omissis ad aliud tempus, narra qualiter respondetur ad secundam allegacionem supradicto c. 2º huius secundi adductam: sed breviter, quia alias de fundamento ipsius intendo tecum exquisite conferre.

Magister: Illa allegacio in hoc fundari videtur, quod sine diviciis, quibus carere debet caput fidelium, nemo potest efficaciter et utiliter subditis principari. Ad quam respondetur quod potestas principandi Christianis in hiis que ad legem pertinent Christianam sic est instituta a solo deo quod per legem Christianam et solam ordinacionem Christi a potestate et iurisdiccione seculari Christiani minime sunt exempti; unde a tempore apostolorum, et multis post temporibus, Christiani potestati et iurisdicitoni eciam infidelium subiecti fuerunt in criminibus secularibus et aliis que specialiter ad legem Christianam nullatenus pertinebant. Propter quod caput Christianorum non habet regulariter potestatem puniendi seculares iniquitates pena capitis et aliis corporalibus penis, propter quas taliter puniendas principaliter potencia temporalis et divicie sunt necessarie, sed talis punicio potestati seculari principaliter et regulariter est concessa. Pena igitur spirituali solummodo potest papa regulariter corrigere delinquentes, et ideo non est necessarium quod temporali potencia precellat vel temporalibus abundet diviciis, sed sufficit quod Christiani sibi prompte obediant.

Capitulum 30

Discipulus: De hac materia tecum postea disputabo; ideo ipsam pertranseas, et qualiter, secundum opinionem que tenet quod non expedit communitati fidelium uni capiti sub Christo subesse, respondeatur ad allegaciones inductas superius 1º c. huius secundi cura referre.

Magister: Ad primam illarum respondetur, sicut tactum est ibidem, quod Christus est caput fidelium, ideo Christiani non subsunt uni capiti sub Christo. Ad racionem autem in contrarium respondetur quod non est necesse ut sub

---

29.4 alia] *omitted* Ed **12** principandi] precipiendi Pz **24** abundet] abundat Pz **30.4** respondeatur] *omitted* MF

29.4 responsiones] cf. c. 15 and c. 19 **7** secundam] 2.25 **30.2** postea] 3.2 Dial., 1.17 **6** primam] 1.12 | ibidem] 1.20 **8** racionem] 1.28

Christo sit unus rector tocius ecclesie, sed sufficit quod sint plures diversas regentes provincias, quemadmodum sunt plures reges gubernantes plura regna.

Ad aliam dicitur quod expedit uni ovili in quo oves simul morantur regi et pasci ab uno pastore mortali; uni autem ovili in quo omnes oves non simul morantur sufficit ut regatur a principe pastorum, scilicet Christo.

Ad terciam respondetur per idem, quod omni populo simul moranti expedit uni rectori mortali subesse, non autem uni populo comprehendenti plures populos in locis distantibus habitantes, sed tali populo sufficit subesse Christo.

Ad quartam respondetur quod non omni communitati que non potest regi absque multitudine iudicum qui possunt circa causas et negocia contrarias habere sentencias expedit uni rectori supremo subesse, quia communitas huiusmodi potest esse tanta quod nullus unus homo (mortalis, et in multis deficiens) sufficit ad ferendum et determinandum omnia negocia circa que possunt alii iudices discordare, et ideo, cum communitas fidelium sic possit esse tanta quod nemo mortalis possit omnia huiusmodi negocia sustinere, expedit communitati fidelium ut regatur a pluribus, non ab uno.

Ad quintam consimiliter respondetur quod quia unus non sufficit ad cogendum universos fideles ad servandam unitatem fidei ac rituum et observanciarum quos omnes Christiani servare tenentur, ideo expedit communitati fidelium ut regatur a pluribus, qui ad huiusmodi unitatem omnes compellant.

Ad sextam respondetur quod potentibus errare circa maiora negocia expedit habere unum caput quando unus sufficit ad huiusmodi negocia omnia terminanda. Sed nemo sufficit ad huiusmodi omnia negocia que possunt oriri inter Christicolas terminanda; ideo non expedit sibi unum habere caput sub Christo, sed plura.

Ad septimam respondetur quod non expedit communitati fidelium ut multi inter ipsos, et precipue prelati, valeant delinquere insolenter quando contra tale periculum potest remedium absque maiori periculo adhiberi. Sed maius periculum immineret communitati fidelium si haberet unum caput quam habendo plura, quia, cum facilius per maliciam inficiatur unus quam plures, magis timendum est ne inficiatur per maliciam unus principans universis fidelibus quam plures principantes eisdem. Sed secundum sentenciam sapientis, Ecclesiastici

12 non] *omitted* MF **13** regatur] regantur Ed **31** omnia] *omitted* Ed **37** immineret] potest imminere Ed **38** inficiatur] *omitted* MF

11 aliam] 1.44 **14** terciam] 1.54 **17** quartam] 1.62 **25** quintam] 1.96 **29** sextam] 1.106 **34** septimam] 1.148 **40** Ecclesiastici] 10:2

10°, "Secundum iudicem populi, sic et ministri eius, et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea". Cui concordat Anterus papa, qui, ut habetur 6ª, q. 1ª, c. *Ex merito*, ait: "Capite languescente, cetera corporis membra inficiuntur". Ubi dicit glossa: "Componitur orbis regis ad exemplum", et, per consequens, corrupto capite quorumcumque Christianorum, de corrupcione subditorum probabiliter est timendum. Ergo magis timendum est de generali, vel fere de generali, corrupcione seu infeccione Christianorum si habuerint omnes unum caput quam si habuerint plura, licet magis esset timendum de aliqua particulari corrupcione alterius partis Christianorum si Christiani habeant plura capita. Ergo maius periculum imminet Christianis si habeant omnes unum caput quod potest universaliter, vel fere omnes, Christianos inficere, quam si habeant plura quorum nullum potest omnes, vel fere omnes, inficere, sed tantummodo sibi subiectos; quia non est tantum timendum quod plura capita simul corrumpantur sicut unum solum.

Discipulus: Quare addit ista opinio "fere", cum dicit quod magis est timendum de generali, vel fere generali, corrupcione?

Magister: Additur "fere" propter promissionem Christi dicentis, Matthei ultimo, "Vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummacionem seculi", propter quam nullatenus est timendum quod umquam propter maliciam unius capitis erit generalis corrupcio seu infeccio omnium Christianorum, quia talis corrupcio Christianorum obviaret promissioni Christi prescripte. Sed fere generalis corrupcio Christianorum promissioni illi nullatenus repugnaret. Staret enim eadem promissio Christi si sub uno perverso vel infecto capite omnium Christianorum inficerentur omnes preter duos vel tres. Quare non esset aliqualiter metuendum quod unum caput omnium Christianorum inficeret omnes Christianos, sed verendum esset, si inficeretur, quod inficeret fere omnes. Propter quod si papa efficeretur hereticus, presertim habens potenciam temporalem vel cui potentes temporaliter adhererent, formidandum esset ne fere omnes Christianos inficeret heretica pravitate. Sed si essent plura capita Christianorum, non ita faciliter omnia simul inficerentur, sed uno infecto in moribus vel heretica pravitate sepe aliud remaneret sanum in moribus et in fide cum sibi subiectis.

Discipulus: Alias allegaciones sequentes prosequere.

---

41 ministri] minister Fr Ed **55** addit] additur MF **66** verendum] credendum Ed **68** adhererent] adherent Ed

---

43 Ex merito] C.6 q.1 c.13, col. 557 **44** glossa] s.v. cadant, col. 801 **57** Matthei] 28:20

Magister: Ad octavam respondetur quod non semper "idem est expediens toti et parti, magnis et parvis", sicut nec universaliter sine omni excepcione "idem iuris est in toto et in parte, in magnis et in parvis", licet hoc verum sit quando est eadem racio de toto et parte, de magnis et parvis. Et ideo, licet sit expediens quod uni populo parciali fideli presit unus episcopus, non expedit tamen quod toto populo fideli presit unus solus: tum quia omnia negocia unius populi parcialis potest sustinere unus solus, nullus autem unus potest sustinere omnia negocia, eciam maiora, omnium Christianorum; tum quia minus malum est ut populus parcialis et parvus inficatur ab uno episcopo quam ut totus, vel fere totus, populus Christianus inficiatur ab uno capite quod omnibus presit.

Ad nonam dicitur quod quamvis regnum sit optima policia in una civitate secundum Aristotelem (qui solummodo loquitur de policiis que in civitatibus custodiuntur, ut ex verbis eius quampluribus in libris politicorum colligitur), tamen regnum non est optima policia in toto orbe nec in omni parte orbis, quia totus orbis et diversa regna melius reguntur a pluribus quorum nullus sit superior alio quam ab uno solo, propter raciones tactas superius.

Per hoc ad allegacionem ultimam respondetur, quod non expedit universitati mortalium ut regatur ab uno monarcha tocius orbis, sed regulariter expedit ut regatur a pluribus quorum nullus sit superior alio, quamvis in aliquo casu qui possit accidere magis expediret quod totus orbis regeretur ab uno quam a pluribus.

---

74 sicut] Kilcullen (cf. 1.165): sive MF; *omitted* Ed | sine omni] Kilcullen (cf. 17.7–8): sive cum MF, nec cum Ed **76** sit] erit MF **85** ex] in Ed **88** alio] aliquando MF | quam] *omitted* Pz | tactas] tractas Pz | superius] contra regnum est unius capitis omnium christianorum *added* MF
90 monarcha] monarchia MF

---

73 octavam] 1.165 **75** hoc…76 racio] Cf. 3.2 Dial., 1.9 **83** nonam] 1.173 **89** ultimam] 1.185

LIBER 3

Capitulum 1

Discipulus: Quamvis regulariter minime expediret totam universitatem fidelium uni capiti fideli sub Christo subesse, tamen videtur quod nullus catholicus debeat dubitare quin — pro necessitate temporis, vel propter excellenciam beati Petri, vel ex alia causa speciali nobis fortassis ignota, aut de potencia absoluta — Christus potuit constituere beatum Petrum caput, principem et prelatum aliorum apostolorum et universorum fidelium. Ideo specialiter nunc scrutemur an de facto Christus tantam beato Petro contulit dignitatem.

Verum quia istius inquisiti, et aliorum quamplurium discuciendorum inferius, nec una pars nec alia aliter quam per scripturas vel auctoritates potest ostendi, circa scripturas autem recipiendas sunt diverse opiniones et adverse, quibusdam dicentibus quod solummodo scripture canonice et generalium conciliorum debent de necessitate salutis admitti, aliis aliter sencientibus. Ideo, licet qualis fides scripturis aliis quam canonicis debeat adhiberi in prima parte huius dialogi, ubi quesivimus que assercio catholica que heretica est censenda, disseruimus aliquantulum exquisite, hic tamen, propter dicta quorumdam que tunc non habuimus, non tedeat nos aliqualiter tangere de eodem. Circa hoc ergo diversas opiniones cum motivis earum non te pigeat recitare.

Magister: Una est opinio tenens quod

> nullam scripturam irrevocabiliter veram credere vel fateri tenemur de necessitate salutis eterne nisi eas que canonice appellantur, vel eas que ad has ex necessitate sequuntur, aut scripturarum sanctarum sensum dubium habencium eas interpretaciones seu determinaciones, que per generale fidelium seu catholicorum concilium essent facte, in hiis presertim in quibus error dampnacionem eternam induceret, quales sunt articuli fidei Christiane.

Quod enim interpretacionibus concilii generalis sit talis prestanda credulitas patet, quia pie tenendum est quod tales interpretaciones sunt nobis ab eodem

---

1.9 quamplurium] complurium Ly **14** parte] lib. 2 *added* Frm **15** ubi] in qua Ed **16** hic] sed Ed **19** est] *omitted* Ly **21** eas[2]] eis S **22** ex] de Ly **23** eas…determinaciones] eis interpretacionibus seu determinacionibus S

1.15 ubi] See 1 Dial. 2.1-5 **16** quorumdam] Marsilius **20** nullam…26 Christiane] Marsilius, II.xix.1 We indent material taken verbatim, or nearly verbatim, from Marsilius but do not mean to imply that Ockham intended these passages to be recognised as quotations. He does not mention Marsilius by name and sometimes changes the wording of the quoted material. **28** eodem] That is, the same as the Spirit who revealed the Scriptures.

Spiritu revelate. Quod ex scriptura ostenditur. Nam veritas ipsa Matthei ultimo dicit,

> "Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummacionem seculi". Unde Rabanus ait: "Ex hoc intelligitur quod usque in finem seculi non sunt defuturi in mundo qui divina mansione et inhabitacione sunt digni", quibus scilicet ad fidei conservacionem Spiritum sanctum pie tenendum est semper adesse. Unde Ieronimus: "Qui ergo usque ad consummacionem seculi cum discipulis se esse promittit, et illos ostendit semper esse victuros, et se numquam a credentibus recessurum". Idem aperte convincitur Actuum 15º, dicente apostolorum et fidelium congregacione post ambiguitatis illius determinacionem, "Visum est enim Spiritui sancto et nobis". Asseruerunt enim et asserit scriptura ipsorum determinacionem, in dubietate illa circa fidem, factam esse a Spiritu sancto. Cum igitur fidelium congregacio seu concilium generale per successionem vere representet congregacionem apostolorum et seniorum ac reliquorum fidelium, in determinandis scripture dubie sensibus, in quibus maxime periculum eterne dampnacionis induceret error, verisimile, quinimo certum est, deliberacioni universalis concilii Spiritus sancti dirigentis et revelantis adesse virtutem.
>
> Hoc autem deduccione infallibili (ut asserunt) ex scriptura vim sumente patere potest. Quoniam frustra dedisset Christus legem salutis eterne, si eius verum intellectum, et quem credere fidelibus est necessarium ad salutem, non aperiret eisdem hunc querentibus et pro ipso invocantibus simul, sed circa ipsum pluralitatem fidelium errare sineret; quinimo talis lex non solum ad salutem foret inutilis, sed in hominum eternam perniciem tradita videretur. Et ideo pie tenendum est, determinaciones conciliorum generalium in sensibus scripture dubiis a Spiritu sancto sue veritatis originem sumere.

Capitulum 2

Discipulus: Opinionem aliam recitare non differas.

Magister: Alia est assercio quod non solum scripturis canonicis et determinacionibus seu interpretacionibus conciliorum generalium est de necessitate salutis firma prestanda credulitas, sed eciam decretis et decretalibus epistolis summo-

---

32 Unde] ubi S **35** Qui] S: quod W **38** convincitur] ex *added* S **39** ambiguitatis] S: ambiguitatem W | determinacionem] et terminacionem Ed **44** reliquorum] tunc *added* S | dubie] dubiis S **46** deliberacioni] deliberacionis Mz **48** autem] eciam S **52** sed] si Ly | circa] contra Mz Pz **54** est] *omitted* S **55** sue veritatis] S (cf. 11.19): sue virtutis MF; *omitted* Ed

---

29 Matthei] 28:20 **31** Et…47 virtutem] Marsilius, II.xix.2 **32** Rabanus] Cf. *Catena Aurea*, on Matthew 28:20 (Previté-Orton) **35** Ieronimus] ibid. (Previté-Orton) **38** Actuum] 15:28 **49** potest…56 sumere] Marsilius, II.xix.3

rum pontificum, nec non et apostolorum canonibus qui in biblia non habentur, et dictis doctorum ab ecclesia approbatorum est fides absque dubitacione aliqua adhibenda.

Quod enim apostolorum canonibus supradictis sit fides certissima adhibenda videtur asserere Zephernius papa, qui, ut habetur dist. 16ª, c. *Sexaginta*, ait, "Sexaginta sentencias apostoli prescripserunt cum aliis quamplurimis episcopis, et servandas eas esse censuerunt". Item Leo papa, ut habetur in eadem dist., c. *Clementis*, ait, "Clementis librum, id est Petri apostoli itinerarium, et canones apostolorum numerant patres inter apocrypha, exceptis quinquaginta capitulis que decreverunt orthodoxe fidei adiungenda". Item, sexta synodus, ut legitur eadem dist., c. *Placuit*, ait, "Placuit huic sancte synodo ut amodo confirmata et rata sint canonum apostolorum 85 capitula". Hoc idem testatur Isidorus, qui, ut ibidem habetur, ait, "Propter eorum auctoritatem ceteris conciliis preponimus canones qui dicuntur apostolorum, licet a quibusdam apocryphi dicantur, quoniam plures eos recipiunt, et sancti patres eorum sentencias synodali auctoritate roboraverunt et inter canonicas posuerunt constituciones". Ex hiis colligitur quod saltem quibusdam canonibus apostolorum est credulitas adhibenda indubia.

Quod vero decretis et decretalibus summorum pontificum credulitatem ac reverenciam catholici debeant exhibere testantur et Nicolaus papa et Agatho papa, quorum asserciones habentur dist. 19ª, c. *Si Romanorum* et c. *Sic omnes*. Ad quod eciam probandum alie auctoritates sanctorum patrum possent adduci quamplurime, que abbreviacionis causa non allegantur ad presens.

Quod vero eciam dictis doctorum ab ecclesia approbatorum oporteat credere dist. 15ª affirmare videtur, ubi diversorum sanctorum patrum recipienda enumerantur opuscula.

Hoc eciam racione probatur, quia asserciones summorum pontificum non solum in diffinicione causarum et negociorum sunt recipiende sed eciam in exposicione scripturarum sanctarum, quibus in exposicione scripture preferuntur sancti patres tractatores divinarum scripturarum (dist. 20ª, § 1º); ergo exposicio-

2.11 prescripserunt] Fr S: perscripserunt W | episcopis] epistolis Ed **12** eas] *omitted* S **14** quinquaginta capitulis] S: 150 W **17** canonum] canones Ed **19** quoniam] quam Ly **20** plures] perplures S | recipiunt] receperunt Ed | sentencias] sentenciam MF **28** quamplurime] *omitted* Ed **29** eciam] Mz: *omitted* W **30** sanctorum] *omitted* Ed

2.6 apostolorum canonibus] For the Canons of the Apostles see Hinschius, pp. 27-30.
10 Sexaginta] D.16 c.2, col. 42 **13** Clementis[1]] D.16 c.3, col. 42 **16** Placuit[1]] D.16 c.4, col. 42
18 ibidem] D.16 c.4 § 1, col. 42 **26** Si Romanorum] D.19 c.1, col. 58 | Sic omnes] D.19 c.2, col. 60
30 dist 15] D.15 c.3, col. 36 **35** § 1] D.20 d.a.c.1, col. 65.

nes huiusmodi tractatorum recipiende sunt. Quod vero dicta summorum pontificum eciam in exposicione seu interpretacione scripture sint recipienda Hormisda papa videtur asserere, qui, ut habetur dist. 50ª, c. *Si ille*, ait, "Nemo michi alia quelibet contra auctoritatem sedis apostolice vel 318 episcoporum vel reliquorum canonum constituta obiciat, quia quicquid contra illorum diffinicionem, in quibus Spiritum sanctum credimus locutum, dictum fuerit recipere non solum temerarium sed eciam periculosum esse non dubito". Huic consentire videtur Nicolaus papa, qui, ut legitur 25ª, q. 2ª, c. *Si quis*, ait: "Si quis dogmata, mandata, interdicta, sancciones vel decreta pro catholica fide vel ecclesiastica disciplina, pro correccione imminencium vel futurorum malorum a sedis apostolice presule salubriter promulgata contempserit, anathema sit". Hoc idem per alios canones quamplurimos affirmari videtur.

Capitulum 3

Discipulus: Estne alia opinio aliquid superaddens predicte?

Magister: Est quorumdam opinio quod non solum Christiani tenentur predictis firmiter adherere: sed eciam doctoribus qui non sunt ab ecclesia approbati et qui se invicem reprobant, eciam circa illa que contingunt catholicam fidem, quantum ad ea in quibus omnes vel plures et precipue magis famosi concordant, alii credere constringuntur.

Discipulus: Scio plures qui hoc sentire videntur, sed non sum memor quod audierim vel viderim quemquam eorum hoc auctoritate vel racione probare. Ideo tu ad hoc allegaciones aliquas nitere invenire.

Magister: Quod hoc pluribus modis probari possit apparet. Nam illis opportet adhibere fidem quibus non credere est iniquum. Sed non credere doctoribus est iniquum, teste Leone papa, qui, ut habetur 24ª, q. 3ª, c. *Quid autem*, ait, "Quid autem iniquius est quam impia sapere et sapiencibus doctoribusque non credere?" Ergo doctoribus est credendum, presertim quantum ad illa in quibus omnes vel plures et magis famosi consenciunt.

Amplius, in intelligendis scripturis divinis illis est credendum a quibus scripture sunt discende, teste beato Clemente, qui, ut legitur dist. 37ª, c. *Relatum*, ait, "Oportet ab eo scienciam discere scripturarum qui eam a maioribus

---

39 vel[1]] S: contra *added* Ly, cum *added* W | 318] 18 MF | vel[2]] et Ed **40** quia] *omitted* MF | contra] quo MF **41** sanctum] *omitted* MF **3.6** ad] ab Ly | alii] scilicet Christiani *added* Ly **10** nitere] niteris Pz, nitaris Ly **14** sapiencibus] sapiencioribus S

---

38 Si ille] D.50 c.58, col. 199 **43** Si quis[1]] C.25 q.2 c.18, col. 1016 **3.13** Quid autem[1]] C.24 q.3 c.30, col. 998 **18** Relatum] D.37 c.14, col. 140

secundum veritatem sibi traditam servat". Ergo maioribus est credendum. Doctores autem sunt maiores. Ergo oportet doctoribus credere.

Item, presumendum est pro multitudine, et maxime sapientum (dist. 19ª, *In canonicis*, et dist. 61ª, *Nullus invitus*). Sed illis credendum est pro quibus presumitur. Ergo credendum est multitudini doctorum, cum inter sapientes debeant computari.

Rursus, ille prudencie sue innititur qui ea que sibi credenda seu tenenda videntur doctorum assercionibus presumit preponere, ut colligitur ex verbis Ieronimi que ponuntur Extra, *De constitucionibus*, *Ne innitaris*. Nemo autem sue prudencie debet inniti, Salomone hortante, Proverbiorum 3º, qui ait, "Ne innitaris prudencie tue". Ergo assercionibus in quibus concordant doctores nullus debet sentenciam suam preponere, et per consequens omnes alii doctoribus in huiusmodi credere constringuntur.

Preterea, fide dignorum testimonio est credendum. Doctores autem qui fide digni sunt censendi testes sunt assercionum suarum, quemadmodum apostoli appellantur testes Christi, quia evangelicam ausi fuerunt asserere veritatem. Ergo quando doctores concordant, et presertim famosi, alii credere tenentur eisdem.

Adhuc, unicuique experto et perito in aliqua sciencia, arte vel facultate est credendum. Doctores autem theologie sunt experti et periti in theologica facultate. Ergo credendum est eisdem.

Capitulum 4

Discipulus: Si est aliqua opinio que omnibus obviet supradictis, ipsam audire desidero, ut michi detur occasio intelligendi profundius veritatem.

Magister: Est quedam opinio que, viam eligens mediam, predictis omnibus in aliquo adversatur, tenens quod scripture divine contente in biblia, et eiusdem sacre scripture scriptoribus, et universali ecclesie, atque apostolis, absque ulla dubitacione in omnibus est credendum. Nullis aliis, quantacumque doctrina vel sanctitate prepolleant, est in omnibus absque omni excepcione fides necessario adhibenda, ita quod nec concilio generali, nisi esset congregata universalis

---

30 tue] S Frm: *omitted* W | in] *omitted* Ed **31** preponere] Gs: proponere W | doctoribus] Ly: doctores W **36** et] *omitted* Ly **37** eisdem] eidem Ly **38** sciencia] *omitted* Mz | arte…facultate] *omitted* Ed **4.9** nec] in *added* Ly | nisi] si Ed

---

22 In canonicis] D.19 c.6, col. 61 **23** Nullus invitus] D.61 c.13, col. 231 **28** Ne innitaris] X 1.2.5, col. 8 **29** Proverbiorum] 3:5

ecclesia, nec decretis aut decretalibus vel assercionibus summorum pontificum, nec doctorum dictis, sive fuerint ab ecclesia approbati sive non fuerint approbati, est necessario credulitas in omni dicto et casu absque omni excepcione prestanda, licet in multis negari non debeant et quoad multa Christiani ipsis credere teneantur.

Discipulus: Istam opinionem alias non audivi nec legi. Ideo, ut cognoscam an aliquid apparencie vel veritatis contineat, ipsam intendo aliqualiter tecum discutere. Videtur primo quod sibi ipsi repugnet. Nam sicut qui in uno criminosus ostenditur in nullo negocio admittendus est tamquam testis veritatis sed suspectus est habendus, ita qui in uno errat vel errare potest in nullo sibi necessario est credendum sed merito potest haberi suspectus, quod sicut errat in uno ita errat in alio. Quod de intencione Augustini videtur esse aperte, secundum quem si in scripturis divinis aliquod mendacium, eciam minimum, reperiretur, eis fides esset minime adhibenda. Unde dicit in prima epistola ad Ieronimum, et habetur dist. 9ª, c. *Si ad scripturas*: "Si ad scripturas sanctas admissa fuerint vel officiosa mendacia, quid eis remanebit auctoritatis?", quasi diceret, "Nichil". Si ergo concilio generali, summis pontificibus et quibuscumque doctoribus non est necesse in omnibus credere, sequitur quod in nullo est eis fides necessario adhibenda: cuius oppositum opinio predicta tenere videtur. Videtur ergo quod sibimet repugnet. Tu vero narra quomodo ad hoc opinio eadem respondere conatur.

Magister: Respondet quod secus est de criminoso et de errante vel potente errare absque omni crimine et peccato. Criminoso enim in nullo credendum est; unde nec ad testimonium debet admitti. Ex quo enim dampnabiliter a regula racionis recessit non est firmiter presumendum quod racionem et veritatem velit in quocumque tenere, nisi forte in aliquo quod ad concupiscenciam vel commodum eius absque omni contrario sue voluntati pertineat. Sed de errante aut potente errare absque omni crimine et peccato (nisi forte veniali) non est presumendum quod velit scienter aliquid asserere contrarium veritati. Unde et errantes in quibusdam, et opiniones falsas — non scienter nec culpabiliter, absque assercione, adhesione vel defensione temeraria vel pertinaci aut dampnabili — tenentes, ad perhibendum testimonium veritati, in iudicio et extra, debent admitti, et in multis debet adhiberi fides eisdem. Et ideo, quamvis secundum istam opinionem non sit necessarium in omni dicto et casu absque omni excep-

11 fuerint[2]] fuerunt Mz **15** an] quod Ed **19** habendus] admittendus Pz **22** quem] quam Ly aliquod] ad Mz, sic ad Fr **23** eis] Scott: ei W | et] ut Ed **24** Si ad scripturas[2]] *omitted* Ly **25** quid] in *added* S **29** hoc] hec Ly **31** Respondet] respondetur Ed **36** Sed] si *added* MF

4.24 Si ad scripturas[1]] D.9 c.7, col. 17

cione credere concilio generali, Romanis pontificibus et doctoribus quibuscumque, tamen in multis est credendum eisdem, quemadmodum eorum testimonia sunt eciam in iudicio admittenda. Sed si generale concilium quodcumque vel Romanus pontifex aut quicumque doctor scienter vel culpabiliter aliquod falsum assereret vel defenderet vel quomodolibet adhereret, nulli assercioni eius (nisi aliter de eius veritate constaret) esset fides vel credulitas firmiter adhibenda.

Discipulus: Contra ista auctoritas Augustini militare videtur. Ideo dic quomodo isti respondent ad istam.

Magister: Respondetur quod Augustinus loquitur de scripturis quarum omnibus partibus est eadem racio prestandi fidem, et de omnibus talibus verum est quod si una sola pars inveniretur falsa, nulli parti talis scripture esset credendum propter hoc quod ibi sic scribitur. Talis autem est scriptura divina, quia cuilibet assercioni contente in ipsa ideo fides prestanda est quia instinctu Spiritus sancti ibidem est scripta et asserta. Sed quando est aliqua scriptura totalis et non eadem racio prebendi credulitatem cuilibet parti eius, quamvis una pars admittatur, alia potest non admitti, quemadmodum libri philosophorum et poetarum et aliorum gentilium ac eciam secularium pro parte admittuntur et pro parte repelluntur (dist. 37ª, § *Sed econtra* et c. *Turbat* et c. *Si quid veri*). A quo capitulo *Si quid veri* dicit glossa accipi “argumentum quod testes et instrumenta possunt pro parte rata haberi, pro parte non”; sic eciam “donacio pro parte est valida, pro parte non” argumentum, 17ª, q. 4ª, *Questi*; et “utor pro me quo non utor contra me”, ut notat glossa dist. 9ª, c. 1ª. Sic dicitur quod generali concilio et aliis in uno casu est credendum et in alio non, quia non est eadem racio credendi sibi in omnibus.

Capitulum 5

Discipulus: Quod recitasti de differencia inter criminosum et errantem seu errare potentem absque peccato, quantum ad hoc quod non criminoso sed alii est sepe credendum, apparenciam videtur michi habere, ex quo plura cogitandi est michi data occasio. Nunc autem dic quare tenet predicta opinio quod non est credendum in omnibus absque omni excepcione generali concilio et aliis qui

---

60 repelluntur] reperiuntur Mz **61** econtra] contra MF | quid[1]] qui Ly | A…62 veri] *omitted* Ed **62** pro] S: in W **66** sibi] *omitted* Ed **5.2** et] *omitted* Ly

---

61 Sed econtra] D.37 d.p.c.7, § 2, col. 137 | Turbat] D.37 c.8, col. 137 | Si quid veri[1]] D.37 c.13, col. 139 **62** glossa] s. v. si quid veri, col. 186 **64** Questi] C.17 q.4 c.41, s.v. revertantur, col. 1193 **65** glossa] Rather, dist. 10 c. 1, s.v. contra hereticos, col. 31. On whether the rejection of part requires the rejection of the whole see gloss on D.9 c.7, s.v. quid in eis, col. 28 **5.5** predicta] 4.4

non fuerunt scriptores scripture divine neque soli ecclesiam universalem constituunt.

Magister: Hoc dicit propter hoc quod concilium generale et omnes alii supradicti possunt errare, eciam culpabiliter, contra veritatem orthodoxam et aliam.

Discipulus: Si concilium generale potest errare, multo forcius et Romanus pontifex, et quelibet alia congregacio parcialis, ac quilibet doctor et scriptor qui non fuit scriptor sacre scripture, errare valebit, et si non in omnibus absque omni excepcione est concilio generali credendum, multo magis aliis in omnibus absque omni excepcione minime est credendum. Quare sufficiat nobis ad presens hoc de concilio generali tractare secundum opinionem prescriptam. Sane de hiis, et aliis que spectant ad ipsam, prima parte nostri dialogi, libro 5º, c. 25º et 26º et 27º et 28º, aliquantulum diffuse tractavimus. Ideo circa hec noli hic diu morari, sed aliqua motiva breviter tange absque deduccione prolixa.

Magister: Motiva ibi tractata fundantur principaliter in hoc, quod una sola est ecclesia, scilicet militans universalis et tota, cuius concilium generale est solummodo pars, que non potest errare contra fidem; et in hoc, quod illa congregacio que valet ex voluntate humana dissolvi et cessat, cuiusmodi est concilium generale, potest contra fidem errare; et in hoc, quod omnes ille persone que existentes in diversis locis possunt contra fidem errare, eciam si ad eundem locum convenirint poterunt contra fidem errare; et in hoc, quod nulla vocacio humana certarum personarum, et paucarum, nec commissio humana facta pluribus personis, presertim paucis, potest eas confirmare in fide; et in hoc, quod congregati in concilio generali non sunt dicendi non posse errare, neque propter sapienciam eorundem, neque propter sanctitatem, neque propter auctoritatem vel potestatem, neque propter promissionem factam a Christo, que salvari potest si fides in aliis extra concilium generale remaneat.

Quibus additur allegacio talis. Omnis congregacio illorum qui pauci sunt respectu aliorum catholicorum, eciam prelatorum, potest contra fidem errare, quia non est tenendum necessario quod quidam pauci sint in fide confirmati, quantumcumque insimul congregentur. Quamvis enim sepe legatur quod presumendum est pro multitudine, ut notat glossa, dist. 19ª, *In canonicis*, non tamen ita legitur quod presumendum sit pro paucitate. Cum ergo non sit taliter

---

7 neque] qui nec Ly **16** secundum] scilicet Ly **17** prima parte] Kilcullen: primam partem W **18** c. 25... 28] Kilcullen: c. 26 et 27 et 28 et 29 W | hec] hoc Ly **19** hic] hoc Ly **25** errare] possunt *added* Ly **26** convenirint] convenerunt Ed | poterunt…errare] *omitted* Ly **27** certarum…humana[2]] *omitted* Ed **34** aliorum] Frb: aliquorum W **38** legitur] legit Mz

---

37 glossa] D.19 c.6, s.v. preponat, col. 83

pro multitudine presumendum quin liceat credere multitudinem posse errare, dicente Domino, Exodi 23°, "Non sequeris turbam ad faciendum malum", multo minus presumendum est pro paucitate. Et per consequens non est necesse credere quoscumque paucos quorum nullus est confirmatus in fide non posse errare. Sed pauci Christiani, eciam respectu episcoporum, possent sufficere ad celebrandum concilium generale, sicut sepe respectu multitudinis prelatorum pauci ad generale concilium convenerunt. Nam, ut legitur in decretis, dist. 16ª, c. *Sexta synodus*, in generali concilio Anquiritano fuerunt solummodo 18 patres, qui valde pauci fuerunt respectu tocius multitudinis patrum. In concilio eciam Gangrensi fuerunt 18 patres, in Antiocheno fuerunt patres 30, in Arelatensi fuerunt 19, in quodam alio Arelatensi fuerunt 11 patres. In alio Arelatensi fuerunt 18, in concilio Aurasicensi fuerunt 16, in Empanensi fuerunt 16, in Aureliensi fuerunt 31, in Aruernensi fuerunt 15, in Maticensi fuerunt 21, in Lugdunensi fuerunt 17, in alio Lugdunensi 20. Ergo concilium generale potest errare contra fidem.

Amplius, illa congregacio potest errare contra fidem que ad hoc quod autentica sit censenda indiget ab homine confirmari qui valet contra fidem errare, quia non magis confirmatur in fide indigens confirmacione quam confirmans. Sed concilium generale, ut sit autenticum et ut eius assercio vel diffinicio sit reputanda autentica et ut auctoritatem obtineat, indiget confirmari a papa, qui potest contra fidem errare, teste Gelasio papa, qui, ut habetur 25ª, q. 1ª, c. 1°, ait, loquens de sede prima (per quam papam intelligit), quod "unamquamque synodum sua auctoritate confirmavit et continuata moderacione custodit". Cui concordare videtur Pascasius papa, qui, ut habetur Extra, *De eleccione*, c. *Significasti*, ait, "Cum omnia concilia per ecclesie Romane auctoritatem et facta sint et robur acceperint". Hiis consentit Iulius papa, qui, ut habetur dist. 17ª, c. *Regula*, ait, "Nec ullum ratum est aut erit umquam concilium quod eius", scilicet Romane ecclesie, "non fuerit fulcitum auctoritate". Hinc Gracianus, 25ª, q. 1ª, § *Quamquam*, loquens de sacris canonibus eciam generalium conciliorum, ait, "Sacri quidem canones ita aliquid constituunt ut sue interpretacionis auctoritatem sancte Romane ecclesie reservent". Ex hiis aliisque quampluribus colligitur quod concilium generale papa confirmat et ei auctoritatem prestat.

45 16] 18 Ed **47** qui…48 patres[1]] *omitted* Ed **55** censenda] non *added* Mz Pz **60** papam] papa Pz **64** acceperint] acceperunt Ed **66** fulcitum] fultum S **67** Quamquam] Hiis ita respondetur W **68** quidem] siquidem S **69** reservent] conservent MF

40 Exodi] 23:2 **46** Sexta synodus] D.16 c.11, col. 47. There are minor discrepancies between the numbers given in the text above and in the text of Friedberg. **59** c. 1] C.25 q.1 c.1, col. 1007 **62** Significasti] X 1.6.4, col. 50 **65** Regula] D.17 c.2, col. 51 **67** Quamquam] C.25 q.1 d.p.c.16 § 2, col. 1011

Papa autem potest errare contra fidem. Ergo eciam concilium generale potest errare contra fidem, et ita non est necessarium in omnibus absque omni excepcione credere concilio generali, presertim cum secundum quosdam aliquando erraverit, ut eis apparet et in prima parte istius dialogi, libro 5º, existit probatum.

Capitulum 6

Discipulus: Sicut superius recitasti, c. 4º, quamvis secundum istam opinionem non sit simpliciter necessarium credere in omnibus absque omni excepcione concilio generali, tamen secundum eandem in multis negari non debet, et quoad multa Christiani tenentur eidem credulitatem prestare. Ideo ista duo ultima nunc secundum opinionem sepe dictam declara.

Magister: Ad evidenciam istorum dicitur esse sciendum quod eorum que asseruntur per concilium generale quedam consistunt in facto, quia videlicet concilium generale narrat et asserit illa que facti sunt, quemadmodum historia scripture divine narrat rem gestam. Quedam autem non consistunt in facto sed in ipsa natura rei de qua loquitur, sicut cum narrat et asserit ea que spectant ad naturam dei et creaturarum, sive simplicium sive compositarum, vel eciam illarum que unitatem solummodo aggregacionis vel ordinis habere noscuntur.

Per istam distinccionem conatur ista opinio declarare prescripta, dicens quod si concilium generale erraret, sive circa illa que consistunt in facto sive circa alia, ille cui hoc constaret ei credere non deberet, et eidem liceret in hoc contradicere et negare concilium generale. Ille autem cui hoc non constaret, quantum ad illa que facti sunt, deberet credere assercioni et testimonio concilii generalis, presumendo quod concilium generale quantum ad illa que facti sunt nichil assereret nisi que essent sibi certa, quemadmodum eciam iudex tenetur credere testibus quos non potest repellere sed reputat, et reputare debet, idoneos et veraces, licet in rei veritate deponant falsum. Nec iudex ignoranter credendo falsis testibus peccat; immo peccaret si non crederet, ex quo nichil habet contra ipsos unde suspicari possit quod falsum dicant. Sic fideles ignoranter credentes concilio generali erranti non peccant in huiusmodi; immo si nollent adhibere fidem peccarent, ex quo nichil habent contra concilium generale. Si autem concilium generale erraret circa alia quam circa ea que facti sunt, puta circa illa que de deo vel creaturis in sacris literis asseruntur, nulli Christiano cui hoc non constaret liceret assercionem concilii generalis negare nec de ea publice disputare, nisi aliqui periti et opinionis laudabilis impugnarent eandem, et hoc propter scandalum evitandum et ut concilio generali a quolibet qui nescit ipsum errare

---

74 et] *omitted* MF **6.2** 4] 6 Ly **9** facti] facta Ed **17** cui] *omitted* Mz **18** facti] facta Pz
19 facti] facta Pz **21** testibus] eciam *added* Ed | sed reputat] *omitted* Ed **27** facti] facta Pz

circa huiusmodi honor et reverencia debita deferantur; debentque singuli, eciam qui assercionem contrariam antea tenuissent (non tamen fuissent certi), explicite pro assercione concilii generalis presumere et quasi condicionaliter adherere (si scilicet non est contraria catholice veritati), ita ut publice non teneant opinionem contrariam <eciam opinando in mente>; tamen possunt opinari contrarium et sollicite scrutando scripturas querere veritatem. Si autem concilium generale non errat circa huiusmodi que non consistunt in facto, nulli licet, maxime publica assercione, ipsum negare nec contrarium opinari aut quomodolibet, eciam dubitando, publice defensare, eciam si prius opinatus fuisset contrarium, cum de contrario, et ex quo est falsum, nemo possit esse certus, licet quis deceptus possit putare se esse certum. Si autem non errat circa ea que in facto consistunt, ei omnes Christiani sine dubitacione credere debent, quia, cum non erret, non possunt Christiani probabiliter suspicari quod aliquo decipiatur errore in asserendo vel narrando veritatem rei geste.

Capitulum 7

Discipulus: Ista opinio multa tenet que magna discussione indigere videntur. De quibus forsan postea conferam tecum, sed, omissis ad presens aliis, solummodo dicas quare dicit aut innuit quod aliter se possunt et debent habere Christiani in adherendo concilio generali cum aliquid asserit circa ea que facti sunt et cum aliquid asserit circa alia (illa scilicet que sciencie sunt et non facti).

Magister: Ut hoc melius intelligas, scire debes quod ea que facti sunt in multiplici differencia sunt. Quedam enim explicite in scripturis divinis habentur, sicut quod apostoli circuibant cum Christo, quod Paulus fuit Rome, et huiusmodi que in libris historialibus biblie affirmantur. Quedam vero non reperiuntur in biblia, sed ab aliis quam a scriptoribus biblie eorum accipitur certitudo, qui ea explicite in suis inseruerunt historiis. Quedam autem in huiusmodi libris solum habentur implicite, ita quod absque subtili deduccione ex illis minime elici possunt. Quedam autem in libris huiusmodi non habentur, sed ipsis narrantibus per se ipsos sunt nota. Et de istis principaliter intelligit opinio suprascripta. Rursus, non solum eorum que facti sunt sed eciam aliorum, quedam continentur in scripturis divinis explicite et quedam implicite, ita quod nisi a doctis cum magno labore et studio ex illis que in scripturis habentur explicite inferri non possunt. Et de istis eciam locuta est memorata opinio.

---

32 deferantur] deferuntur Fr, deferatur Ed **36** contrariam] Scott: contrariam eciam opinando in mente W (inconsistent with the context.) **39** publica] Ly: publice Mz Pz | assercione] assercioni Mz Pz **41** et] eciam Ed **42** possit] posset Fr Ed **43** erret] errat Ed **44** non] nec Mz **7.11** qui] que Fr Pz | ea] ex ea Pz, ipsa Ly **12** libris] *omitted* Ed **18** explicite] implicite Fr; *omitted* Ed

Ex hiis dicitur quod quia pauciores homines et rarius decipiuntur, vel decipi possunt, in factis et gestis que per se ipsos cognoscunt quam in hiis que solummodo ex aliis subtili et multis incognita raciocinacione eliciunt. Ideo magis creditur hominibus in hiis que asserunt se vidisse, vel audivisse aut aliquo sensu alio percepisse, quam in hiis que ex dictis aliorum, vel eciam ex sibi notis, arguendo concludunt. Unde et sepe doctori theologie de aliquo facto testimonium perhibenti multi absque dubio credunt, qui tamen opinionibus suis, quantumcumque firmissime immo pertinaciter adhereat eis, non credunt, immo ipsum errare et falsa dicere et asserere firmissime putant, quia tenent quod scienter non diceret falsum et arbitrantur quod de illo quod facti est est certus, quem deceptum circa alia arbitrantur.

Sic dicunt de concilio generali, quod cum asserit aliquid quod facti est, quod dicit per se ipsum cognoscere, vel invenisse explicite in scripturis divinis, vel in libris illorum quibus, quantum ad illa que asserunt se cognoscere per se ipsos, est credendum ab omnibus qui de contrario non sunt vel non possunt esse certi, semper est adhibenda fides concilio generali, nisi possit probari contrarium.

Quoad alia autem que taliter minime cognoscuntur sed solummodo arguendo ex aliis quorum accipitur noticia a peritis scientibus argumenta sophistica a veris discernere, non est necessarium tantam credulitatem prestare concilio generali, eo quod notum est et certum plures literatos et qui periti putantur, quantumcumque sint in concilio generali, nescire in multis sophismata a veris argumentis discernere. Quia tamen plurimi, fallaciarum naturam ignorantes, eciam qui memoriam literarum supra alios habere noscuntur, non solum in theologia et philosophia sed eciam in scienciis legalibus paralogisant, credentes demonstracionem et infallibile facere argumentum quando, quamvis ignoranter, sophistice omnino procedunt, quando igitur in generali concilio congregati, presertim si pauci sint (sicut aliquando fuerunt solummodo undecim, quemadmodum probatum est prius) et in sciencia discernendi sophisticas raciones a veris sunt minime eruditi (vel non sunt notabiliter excellentes), non est tanta fides adhibenda eisdem quando raciocinando ex aliis (quamvis indubiis) aliquam assercionem

---

20 et] *omitted* Ly **26** credunt] crederent MF | suis] eius Ly **27** quantumcumque] quamvis Pz, quantum ad ea que sunt sciencie et iuris quamvis Ly **29** arbitrantur] arbitraretur Pz **30** alia] scilicet sciencie et iuris *added* Ly **33** asserunt] Scott: asseruntur W **37** quorum accipitur] Kilcullen: accipitur eorum W | peritis] apertis Pz, petitis et Ly | scientibus] scienciis Pz **39** et[1]] per Ly **41** tamen] cum MF | plurimi] plurium MF | ignorantes] *omitted* MF **43** paralogisant] paralogisantur Ed **45** procedunt] procedant ideo Ed | igitur] *omitted* Ed **46** fuerunt] fuerint Pz

---

7.41 Quia tamen] The syntax of this paragraph seems confused. See on the website 31TextProblems.html

determinant quanta adhibenda esset eis si aliquid quod facti est assertive proferrent, firmiter affirmando hoc vel per se ipsos evidenter cognoscere vel per illos quibus omnino in huiusmodi est credendum.

Capitulum 8

Discipulus: Reor me advertere intellectum opinionis predicte, que quoad multa fundatur in hoc, quod concilium generale potest contra fidem errare, cuius contrarium tenet et probare conatur prima opinio superius 1º c. recitata. Ad cuius allegaciones narra qualiter ista opinio ultima nititur respondere.

Magister: Ad primam, cum innuit quod pie tenendum est interpretaciones concilii generalis esse nobis revelatas ab eodem Spiritu a quo revelate sunt divine scripture, respondetur quod non est necesse, nec semper oportet omnes Christianos hoc credere, quia concilium generale sepe innititur, vel inniti potest, sapiencie humane, que deviare potest a vero. Et ideo non oportet de necessitate salutis credere quod quicquid concilium generale diffinit circa fidem tenendum, <quod illud> diffiniat tamquam sibi revelatum a deo et quod tunc spirituali revelacioni innititur.

Quod pluribus modis videtur posse probari. Nam ubi aliquid speratur revelandum a deo, non studio et meditacioni humane, sed solummodo oracioni vel aliis bonis operibus oportet insistere, vel saltem minus oportet insistere studio quam aliis operibus bonis. Hinc est quod cum Daniel speraret sompnium Nabugodonozor et interpretacionem eius sibi revelandam a deo, socios suos hortabatur ut non per studium, quamvis essent docti, sed per oracionem et supplicacionem a deo tantum quererent sacramentum. Quod postea per oracionem se asseruit Daniel consecutum, cum dicat, c. 2º, “Tibi, deus patrum nostrorum, confiteor, teque laudo, quia sapienciam et fortitudinem dedisti michi, et nunc ostendisti michi que rogavimus te, quia sermonem regis aperuisti nobis”. Hinc eciam Christus, quia promisit apostolis se revelaturum eisdem que oporteret eos loqui cum ducendi essent ante reges et presides, ipsis inhibuit ne studio tunc vacarent, dicens eis, ut habetur Matthei 10º, “Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris mei qui loquitur in vobis.” Quando igitur per revelacionem aliquid solummodo est sperandum, non est studio et meditacioni humane sed oracioni vacandum. Sed cum in

8.11 tenendum] Kilcullen: tenendum quod illud W **14** posse] *omitted* Ly **16** minus] magis MF **22** nostrorum] Ly S: meorum MF Pz | michi] S: *omitted* W **28** mei] mei S

8.2 predicte] 4.4 **6** primam] 1.27 **19** hortabatur] Cf. Dan. 2:18 **21** c. 2] Dan. 2:23 **26** Matthei] 10:19-20

concilio generali est questio fidei terminanda, meditacioni scripturarum insistitur. Ergo non per revelacionem est necessario questio fidei in concilio generali terminanda, sed per sapienciam, que habetur et haberi potest per studium et meditacionem humanam, poterit eadem questio terminari; licet deus de gracia speciali ipsam valeat revelare, non est tamen tenendum certitudinaliter quod per revelacionem habeatur, nisi deus hoc miraculose et aperte revelet.

Amplius, quando certitudinaliter tenendum est aliquid per revelacionem habendum, pro eodem adipiscendo non ad sapienciores sed ad meliores (sive sint literati sive illiterati, sive clerici sive laici, sive sint viri sive femine) vel ad prophetas est racionabiliter recurrendum, quia non sapiencioribus sed melioribus deus communiter sua secreta revelat. Quod veritas ipsa testari videtur, cum dicit, Matthei 11º, "Confiteor tibi, pater, Domine celi et terre, quia abscondisti hec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis". Hinc sanctus ille rex Iosias, ut habetur 4º Regum 22º, cum vellet per revelacionem scire voluntatem dei de verbis voluminis reperti in templo, misit ad Holdam prophetam, uxorem Sellum, eciam ipsos sacerdotes et peritos legis divine, et ab ipsis sacerdotibus et peritis legis veritatem minime requisivit, licet Malachie 2º dicatur, "Labia sacerdotis custodiunt scienciam, et legem requirunt ex ore eius". Quia ex ore sacerdotis, qui scienciam et legem dei explicite scire tenetur, requirenda est lex dei, quantum ad illa que per exercitacionem et meditacionem in lege haberi possunt; quantum ad illa autem que per revelacionem sunt habenda, ad habentes spiritum prophecie, si qui sint, et ad sancciores, quorum oraciones sunt deo magis accepte, est principaliter recurrendum, nec quantum ad huiusmodi est necessario magis lex requirenda ex ore sacerdotis et summi pontificis quam ex ore vidue vel laici literas nescientis. Sed pro questione fidei terminanda in concilio generali, ad sapienciores magis literatos, sive sint meliores sive non, eciam secundum communem opinionem hominum, recurritur. Ergo non est tenendum necessario quod semper per revelacionem divinam questio fidei terminetur.

Ex hiis colligitur quod non est necesse tenere semper questionem fidei per revelacionem in generali concilio terminari, sed tenendum est, nisi contrarium reveletur miraculose a deo, quod deus permittit ut congregati in concilio generali in diffiniendo questionem fidei et in aliis secundum proprium sensum procedant, assistente sibi divina influencia generali. Et ideo conceditur quod non est impossibile concilium generale errare.

---

32 necessario] necessaria Ly **42** hec] hoc Ly **45** Holdam…Sellum] elchiam sacerdotem magnum Ed **47** dicatur] dicantur Ly **48** custodiunt] custodient S | requirunt] requirent S

---

42 Matthei] 11:25 **44** 4 Regum] 22:14 **47** Malachie] 2:7

Quod adhuc iuxta predicta tali modo probatur. Existentes in concilio generali tractantes et deliberantes ac diffinientes questionem fidei aut innituntur precise revelacioni divine aut innituntur sapiencie et virtuti humane. Primum non potest dici, quia tunc, iuxta predicta, pro questione fidei terminanda non oporteret consulere in sacra scriptura peritos nec volumina divina mente revolvere, nec opus esset cogitare quomodo esset questio fidei terminanda, sed totum esset committendum deo, solummodo per oracionem invocando ipsum, qui solus potest revelare quamlibet catholicam veritatem: quod tamen non fit quando questio fidei est in generali concilio terminanda, quia sapientes in concilio generali de ipsa deliberant et veritatem ex literis sacris nituntur elicere, ut iuxta scripturas divinas de ipsa diffiniant. Quod concilia generalia fecisse hactenus dinoscuntur, quia per scripturas sacras diffinierunt subortas ex scripturis fidei questiones. Ergo existentes in concilio generali volentes questionem fidei terminare non committunt totum deo, ab ipso per solam oracionem diffiniciones questionis fidei postulantes, sed innituntur sapiencie et virtuti humane, quia pericie quam habent de scripturis et per meditacionem sollicitam habere possunt. Sed in omnibus que innituntur sapiencie et virtuti humane error poterit reperiri. Ergo existentes in concilio generali circa questionem fidei terminandam possunt errare.

Nec est necesse tenere quod congregati in concilio generali semper et in omnibus tractatibus suis, eciam quando tractatur de questione fidei terminanda, aliter dirigantur a Spiritu sancto quam papa quando tractat negocia cum cardinalibus in consistorio suo, vel quam patriarche seu primates aut archiepiscopi vel metropolitani quando celebrant concilia provincialia, aut aliter quam episcopi et alii prelati quando de ecclesiasticis disponunt negociis, licet aliquando accidit, et adhuc poterit accidere, quod ad concilium generale venientes specialiter a Spiritu sancto dirigantur, et quod eis miraculose veritates alique revelentur, et quod deus eos miraculose ab omni errore preservet ac diffinicionem eorum circa fidem et alia ordinata per ipsos manifestis confirmet miraculis. Sed absque operacione miraculi non est necesse tenere quod aliter aliquid reveletur a Spiritu sancto vocatis ad concilium generale quam conciliis provincialibus et aliis congregacionibus Christianorum, de quibus constat quod non sic diriguntur a Spiritu sancto quin possint errare tam in moribus quam in fide. Ergo non est necesse asserere contrarium de omni concilio generali.

---

68 oporteret] oportet Ed **73** terminanda…74 generali] quoniam Ly; *omitted* Pz **75** generalia] de ipsa *added* Ed **79** sed] ergo Ly **80** pericie] innituntur *added* Ly | et] quam *added* Ly **81** Sed] cum *added* Ly **91** revelentur] revelantur Ed **96** diriguntur] dirigantur Ed

Item, illa congregacio potest errare contra fidem que potest in negociis male procedere et malo exitu terminari. Sed hec de concilio generali possunt contingere. Nam, ut habetur 1ª, q. 1ª, c. *Principatus*, "Difficile sit ut bono peragantur exitu que malo sunt incohata principio"; ex quo patet quod omnis congregacio que malo potest incohari principio poterit non bono exitu terminari. Concilium autem generale potest incohari malo principio. Concilium enim generale congregandum est per papam, ut habetur dist. 17ª, per totum; papa autem, cum possit peccare et dampnari ac contra fidem errare, mala intencione et corrupta — immo intencione aliquid diffiniendi contra catholicam veritatem — potest congregare generale concilium. Igitur concilium generale malo principio et corrupta intencione congregatum malo exitu peragi potest, et per consequens poterit contra fidem errare.

Capitulum 9

Discipulus: Indica quomodo antedicta opinio ad alias allegaciones supra c. 1º huius tercii adductas respondere conatur.

Magister: Ad illam que in promissione Christi Matthei ultimo est fundata, respondetur quod Christus futurus est cum ecclesia universali usque ad consummacionem seculi, et ideo, ut dicit Rabanus (sicut allegatum est), "Usque in finem seculi non sunt defuturi in mundo qui divina mansione et inhabitacione sunt digni". Ex quibus verbis Rabani colligitur quod dicta promissio Christi non debet intelligi de concilio generali, tum quia dicit "non sunt defuturi in mundo", et non dicit non sunt defuturi in concilio generali; tum quia raro concilium generale est in mundo, universalis autem ecclesia semper usque ad consummacionem seculi erit in mundo. Ergo secundum Rabanum illa promissio Christi non de concilio generali sed de universali ecclesia debet intelligi, ut pie et absque dubio sit tenendum semper Spiritum sanctum adesse universali ecclesie. Sic eciam Ieronimus de universali ecclesia intelligit cum dicit Christum "numquam a credentibus recessurum", quia semper erunt usque ad consummacionem seculi aliqui Christo credentes, sive concilium generale sit sive non sit.

Ad illam allegacionem que in Actuum 15º est fundata respondetur dupliciter. Uno modo quod determinacio facta per apostolos et seniores de qua fit mencio Actuum 15º facta fuit per revelacionem Spiritus sancti miraculosam, qualis

102 ex…quod] *omitted* MF **103** poterit] potest Ed **9.9** dicit…10 generali] Mz Frm: dicit non sunt defuturi in concilio generali Pz; non dicit non sunt defuturi in concilio generali sed dicit in mundo Ly **14** sit] est Ed **18** Actuum] actibus Ly

101 Principatus] C.1 q.1 c.25, col. 369 **105** dist. 17] col. 50 **9.2** antedicta] 4.4 **4** illam] 1.29 **6** allegatum] 1.32 **15** cum dicit] 1.35 **18** illam] 1.37

adhuc fieri possit in concilio generali; sed non est necesse quod fiat, nec semper fuit facta, nec forte semper fiet, quandocumque celebrabitur concilium generale, nec est inconveniens dicere aliquas revelaciones fuisse factas apostolis et tamen tales non fieri in omni concilio generali. Aliter dicitur quod apostoli et seniores, absque revelacione Spiritus sancti tunc facta eis, ex verbis Christi que ab ore eius audierant et ex factis eius que viderant collegerunt determinacionem illam. Viderant enim ipsum non servasse legalia multa et ceremonialia, qui et docuerat eos non esse necessarium servare eadem. Quare absque revelacione speciali poterant scire quod credentes conversi ex gentibus ad huiusmodi servanda minime tenebantur. Unde et apostolus Paulus ante congregacionem illam hoc constanter asseruit, quod non fecisset nisi certus de hoc antea extitisset. Et quamvis sibi omnes alii contradixissent, ipse tamen a sua sentencia minime recessisset, ipso attestante, cum ait, ad Galatas 1º, "Licet nos aut angelus de celo", et cetera. Nec tamen pertinax extitisset licet hominibus aliis restitisset, quia circa verum scienter assertum non potest pertinacia inveniri. Cum ergo dixerunt apostoli et seniores, "Visum est enim Spiritui sancto et nobis", et cetera, sub tali intellectu dixerunt sub quali dixit Apostolus 1ª ad Corinthios 12º, "Nemo potest dicere 'Dominus Iesus' nisi in Spiritu sancto", quia omnia bona sunt a Spiritu sancto, quamvis deus in omni tali sermone non faciat novum miraculum.

Et eodem modo respondetur ad auctoritates plurimas asserentes sentencialiter quod sancti patres in conciliis generalibus congregati illa que diffinierunt, statuerunt et egerunt a Spiritu sancto inspirati fecerunt, et per consequens interpretaciones quas fecerunt circa dubia fidei diffinienda eis revelate fuerunt. Quia non ideo dicuntur a Spiritu sancto fuisse inspirati quia ipsis tunc Spiritus sanctus, ultra influenciam Spiritus sancti que ad omne opus placens deo requiritur, aliquid modo speciali et non solito inspiravit, sed quia Spiritus sanctus ipsos movit ad rectam diffinicionem fidei faciendam sicut omnes movet ad quecumque opera meritoria exercenda. Propter quod, iuxta sanctorum patrum sentenciam, concilia generalia que rite, iuste, sancte, canonice et catholice celebrata fuerunt sunt ab omnibus catholicis devotissime suscipienda, amplectenda et veneranda. Si tamen non fuissent catholice celebrata, quamvis omnes episcopi orbis terre presentes adfuissent, non essent a fidelibus recipienda sed penitus

21 possit] posset Ed **23** et] *omitted* Ly **24** non] possunt *added* Pz; posse *added* Ly **27** Viderant] viderunt Ed **34** hominibus] omnibus Ly | restitisset] et *added* Ly **36** enim] *omitted* Ed
44 revelate] revelata Ed **48** movit] Fr: monuit W | movet] Fr: monet W **50** sancte] et *added* Ly canonice] canonico Mz | et catholice] *omitted* Ed

33 ad Galatas] 1:8 **37** 1 ad Corinthios] 12:3

respuenda. Et si queratur quis habet iudicare an fuerint catholice celebrata, respondetur quod, quia non diffinierunt aliquid nisi quod potest elici ex scripturis divinis, ideo periti in scripturis, et habentes aliarum sufficientem intelligenciam scripturarum, habent iudicare per modum firme assercionis quod diffinita ab eis sunt catholice diffinita. Summi autem pontifices, si non fuerint presentes sed tantummodo auctoritate eorum, presentibus legatis ipsorum, celebrata fuerint, autentice iudicare habent quod catholice extiterint celebrata; si autem summus pontifex presens fuerit, sufficit quod autenticet ipsa.

Discipulus: Numquid secundum istam opinionem licet alicui cui non constat concilium generale rite et catholice celebratum fuisse negare illud quod est per idem concilium diffinitum, vel saltem dubitare?

Magister: Respondetur per distinccionem, quia tua interrogacio est generalis, non specificans an concilium generale catholice diffiniat vel erronee. Quia aut concilium generale catholice diffinit aliquid esse credendum, aut erronee. Si catholice, nulli licet publice negare, vel eciam publice dubitare, taliter diffinitum; nulli eciam licet pertinaciter occulte, vel eciam mentaliter, de tali eciam diffinito dubitare. Sed non tenetur quis, eciam cui constat generale concilium catholice diffinisse, explicite et absolute, absque omni contradiccione, explicita vel implicita sive subintellecta, credere taliter diffinitum, sed sufficit quod credat implicite. Si vero aliquid diffinitur erronee per generale concilium sive per congregacionem que a multitudine fidelium generale concilium estimatur, ille qui nescit generale concilium sive talem congregacionem errare presumere debet pro tali concilio vel congregacione, non tamen presumpcione tam violenta quin probacio sit in contrarium admittenda, sicut presumendum est pro sentencia iudicis, quamvis in rei veritate iniusta fuerit et iniqua, donec probetur vel constet contrarium. Et ideo, postquam per sacras scripturas constitit tale concilium generale errasse, sive approbetur sive reprobetur a papa, tali generali concilio nullatenus est credendum, sed est, ab omnibus scientibus, eciam publice pro loco et tempore, reprobandum.

Discipulus: Dic quomodo respondetur ad allegacionem sequentem.

Magister: Ad illam, que constitit in hoc, quod congregacio fidelium seu concilium generale per successionem vere representat congregacionem apostolorum et seniorum ac reliquorum fidelium, respondetur quod sola ecclesia universalis

60 fuerint] fuerunt Ed **70** Sed non] non tamen Ly | eciam] non MF **72** vel] Scott: et W
80 generale] *omitted* Ed **81** est[2]] *omitted* Ed **86** et] *omitted* Ed

76 presumpcione] A final judgment can be based on a “violent” presumption. See gloss to X 2.23.2, s.v. date huic, col. 786. **84** illam] 1.42

illam congregacionem perfectissime representat, et illa sola sibi succedit proprie et primo, et ideo illa sola errare non potest. Concilium autem generale nequaquam perfectissime representat eam, nec ipsum illi primo succedit, neque successio illa quam Christus promisit cesset ex quo sepe cessat concilium generale. Imperfecte tamen et aliquo modo concedi potest quod concilium generale illam congregacionem apostolorum et aliorum representat et quodammodo sibi succedit, quemadmodum papa cum collegio cardinalium aliquo modo representant congregacionem eandem et aliquo modo succedunt, qui tamen, tam in pertinentibus ad fidem quam in moribus, possunt errare: et ita per representacionem et successionem huiusmodi probari non potest quod concilium generale errare nequit.

Capitulum 10

Discipulus: Narra quomodo respondetur ad ultimam allegacionem adductam ad probandum quod concilium non potest errare, que consistit in hoc, quod frustra dedisset Christus legem salutis eterne si eius verum intellectum querentibus minime revelaret.

Magister: Respondetur per duplicem distinccionem. Quarum prima est quod eorum que in conciliis generalibus determinantur et determinari possunt, et similiter que possunt esse dubia circa fidem, quedam sunt que ex scripturis divinis deduccione infallibili possunt inferri — ita quod, quamvis nec illud quod infertur nec illud (vel illa) ex quo (vel ex quibus) infertur possit (vel possint) naturali racione esse notum (vel nota), tamen illacio potest naturaliter esse nota, cum eciam illacio falsi ex falso et falsis possit naturaliter et infallibiliter esse nota. Quedam sunt que ex scripturis divinis infallibili deduccione inferri non possunt — quemadmodum per beatum Ieronimum beatam virginem esse corporaliter in celo ex scripturis certitudinaliter haberi non potest, sicut eciam nec quod illi de quibus dicitur Matthei 27°, “Multa corpora sanctorum surrexerunt” cum eo, et cetera, corporaliter ascenderint in celum, nec quod corporaliter non ascenderint, infallibiliter deduci non potest ex scripturis divinis.

Secunda est quod dubium circa fidem sive circa divina et ea que spectant ad salutem potest esse duplex, quia aliquod est cuius noticia explicita est necessaria ad salutem et aliquod cuius noticia explicita non est necessaria ad salutem.

---

91 Imperfecte…92 generale] *omitted* Ed **92** illam] tamen *added* Ly **94** representant] Scott: representat W **10.10** possint] possunt Ed **14** per] *omitted* Ly | Ieronimum] et *added* Ly **18** ascenderint] Mz: ascenderunt W

10.2 ultimam] 1.49 **14** Ieronimum] Ps.-Jerome, *Epistola IX ad Paulam et Eustochium de assumptione b. Mariae virginis*, PL, vol. 30, col. 123D-124B. **16** Matthei] 27:52

Per hoc respondetur ad allegacionem predictam. Quia aut in concilio generali proponitur aliquod dubium terminandum quod ex scripturis divinis deduccione infallibili et naturaliter nota, saltem sapientibus et peritis, potest inferri, aut proponitur aliquid terminandum quod taliter ex scripturis divinis inferri non potest, sed per solam revelacionem divinam potest haberi. Rursus, aut necessaria est fidelibus noticia illius quod proponitur in generali concilio determinandum, aut non est necessaria fidelibus. Si illud quod proponitur diffiniendum in concilio generali potest infallibili deduccione ex scripturis divinis inferri et noticia eius est necessaria fidelibus, non exclusa oracione et aliis operibus bonis, debent sapientes in concilio generali congregati diligentissime scrutari scripturas sacras, exemplo illorum de quibus dicitur Actuum 17°, "Susceperunt verbum cum aviditate, quotidie scrutantes scripturas si hec ita se habeant". Quia concilium generale et quilibet catholicus, ne temptare Dominum videatur, cum aliquid sibi incumbit agendum, debet facere quicquid racionabiliter et provide potest, exemplo Abrahe, qui, secundum Augustinum in questionibus Genesis, et habetur 22ª, q. 2ª, c. *Queritur*, cum ingrederetur Egyptum, timens propter pulchritudinem uxoris Egypcios, "quod potuit fecit, quod non potuit deo commisit, in quem speravit".

Capitulum 11

Discipulus: Per predicta narra quomodo respondetur ad allegacionem contrarium opinancium.

Magister: Respondetur quod cum accipiunt "frustra dedisset Christus legem salutis eterne si eius verum intellectum, et quem credere fidelibus est necessarium ad salutem, non aperiret eisdem hunc querentibus et pro ipso invocantibus simul, sed circa ipsum fidelium pluralitatem errare sineret", si per "pluralitatem" fidelium (hoc est Christianorum recte credencium) intelligant totam ecclesiam seu congregacionem fidelium, loquendo de vero intellectu cuiuscumque contenti in lege divina qui est necessarius ad salutem (secundum quod verba eorum pretendunt) et de apercione talis intellectus per scripturas vel revelacionem congregatis in concilio generali sive aliis qui essent extra concilium generale (nam et quando celebratur concilium generale, et quando non celebratur, multa

22 aut] *omitted* Ed **25** taliter] *omitted* Ed **28** diffiniendum] *omitted* Ed **32** cum] omni *added* S **33** scripturas] *omitted* Ly | si] enim *added* Ed | Quia] ne Ed **34** ne] *omitted* Ed **38** fecit…39 speravit] deficit residuum istius decimi capituli et cetera MF **11.7** sineret] respondetur quod *added* W **12** sive…generale] *omitted* Ed; concedo antecedens *added* Ly

32 Actuum] 17:11 **37** Queritur] C.22 q.2 c.22, col. 874 **39** speravit] According to a note in Mz Fr, this chapter is incomplete. **11.2** allegacionem] 1.49 **4** Respondetur] On the text of this chapter see on the website 31TextProblems.html

necessaria ad salutem aperiuntur, vel aperiri possunt, tam per scripturas quam per revelacionem miraculosam, illis qui non sunt in concilio generali, per quos ad existentes in concilio generali poterunt pervenire, si digni extiterint vel fuerit necessarium Christiano populo ad salutem), <et> ita ex hoc probari non potest quod necesse sit credere "determinaciones conciliorum generalium in sensibus scripture dubiis a Spiritu sancto sue veritatis originem sumere" illo modo quo scripture divine eius sunt scriptoribus inspirate: Tum quia intellectus legis necessarius ad salutem potest aliis aperiri, vel per scripturas vel per miraculosam operacionem. Quod non debet mirabile vel incredibile reputari, cum plures sepe sapienciores et meliores non conveniant ad concilium generale quam sint ibi congregati, possitque generale concilium intencione corrupta vocari, et, eciam quamvis intencione recta fuerit congregatum, poterit tamen non rite postea celebrari, cum ibi congregati non sint nec in fide nec in gracia et bonis moribus confirmati, sed forte aliquando vel omnes vel plures fuerint aut esse poterint peccatis gravibus involuti. Et ideo lex Christi non est inutilis nec in hominum tradita perniciem, quia, sive verus intellectus ipsius reveletur vel aliter manifestetur existentibus in concilio generali sive non venientibus ad idem concilium generale, utilis poterit esse ad salutem eternam ipsam pie querentibus atque recte. Multa enim quoad intellectum legis divine revelavit deus et in modis aliis manifestavit peritis viris et sanctis — et imperitis — qui ad generale concilium minime convenerunt, et non solum quia non celebrabatur generale concilium, sed in tempore concilii generalis, et adhuc potens est deus facere idem. Tum quia intellectus legis ad multa potest aperiri per consideracionem scripturarum, absque hoc quod Spiritus sanctus modo speciali aperiat quibuscumque intellectum ipsarum. Tum quia in concilio generali multa dubia circa fidem declarari possunt que non sunt necessaria ad salutem. Tum quia ostensum est prius quod concilium generale, seu quod concilium generale a maiori parte Christianorum putatur, potest errare contra fidem.

Si vero taliter opinantes per "pluralitatem" fidelium intelligant maiorem partem fidelium sive Christianorum, et per intellectum legis intelligant absque omni excepcione intellectum cuiuscumque contenti in lege divina, et intelligant

---

16 digni] digne Ed | extiterint] extiterit Pz, extiterit celebratum Ly **17** salutem] Kilcullen: salutem et W **19** sumere] *omitted* Pz; habere Ly **27** fuerint] fuerunt MF **28** poterint] poterunt MF **34** convenerunt] convenerant Ed | non[2]] *omitted* Ed | celebrabatur] Kilcullen: celebratur W **36** legis] hec *added* MF Pz **40** quod[1]] Ly: *omitted* W **43** intelligant] Ly: intelligentem W

---

18 determinaciones…19 sumere] cf. 1.54 **28** inutilis…29 perniciem] cf. 1.53 **40** prius] above, c. 5

loqui de querentibus intellectum ipsum pro omni tempore, [quociesque] quesierint huiusmodi intellectum et pro ipso invocaverint, multipliciter errant. Primo, quia non frustra esset lex salutis eterne data a Christo quamvis maior pars fidelium, immo omnes preter paucissimos vel preter unum, errarent, non dampnabiliter sed execrabiliter, circa ipsam, eciam circa intellectum qui est necessarius ad salutem. Nec esset frustra data lex licet omnes Christiani preter paucos vel unum dampnabiliter errarent circa ipsam, quia tota fides Christiana absque hoc, quod frustra esset data lex salutis eterne, in uno solo posset salvari, quemadmodum in triduo tota fides in sola matre redemptoris nostri permansit. Secundo, quia multa sunt contenta in scripturis divinis quorum verus intellectus primus et literalis non est omni tempore necessarius ad salutem, quamvis ab existentibus in concilio generali queratur solucio, tam per meditacionem vehementem in scripturis quam per oracionem, ita ut ipsum omnino diffinire proponant. Non est necessarium credere quod deus aperiat ipsis per scripturas vel per revelacionem miraculosam huiusmodi verum intellectum, quia, quamvis deus non deficiat ecclesie sue, scilicet congregacioni fidelium, in necessariis, tamen non semper prebet se ad illa que non sunt necessaria ad salutem, sine quibus potest esse salus, quamvis ipsa nitantur precibus continuis impetrare.

Capitulum 12

Discipulus: Contra predicta obiciam aliqua, ut cum audiero responsiones ad ipsa clarius intelligam an prescripta aliquid contineant veritatis. Hoc itaque videtur, quod nullo modo sit credendum quod concilium generale possit aliquid diffinire contra catholicam veritatem. Nam, sicut sepe accipiunt illi qui opinantur predicta, deus numquam deficiet in necessariis congregacioni fidelium que est ecclesia dei. Sed concilium generale non diffinire aliquid contra fidem est necessarium ecclesie sue:

Tum quia totam ecclesiam dei non exponi periculo heresis et erroris est necessarium ecclesie dei; si autem concilium generale aliquid diffiniret contra fidem, tota ecclesia dei exponeretur periculo heresis et erroris, quia nemo tunc inveniretur qui posset aut sciret defendere fidem contra concilium generale.

---

45 tempore] nego antecedens *added* Ly | quociesque] Kilcullen: item si Ly, item quia W | quesierint] Ly: quesierit Pz, quesivit Mz, sunt Fr **46** invocaverint] invocaverit Pz | errant] erraret Pz; errare possunt nihilominus tamen antecedens non haberet veritatem quod patet Ly **47** a] *omitted* Ly **48** non] solum *added* Ly **49** ipsam] Scott: ipsum W **51** ipsam] Scott: ipsum W **54** quia] *omitted* Ed **58** est] igitur *added* Ly **59** verum intellectum] *omitted* Ed **12.4** aliquid] *omitted* Ed **6** deus] dicitur MF | congregacioni] congregacio MF **9** erroris] errorem Pz, errorum Ly **11** nemo] non MF

Tum quia non induci in temptacionem est necessarium ecclesie dei. In oracione enim quam Christus fideles docuit universos hoc petitur; Christus autem non docuit in oracione Dominica petere nisi necessaria; ergo non induci in temptacionem est necessarium ecclesie dei. Tota autem ecclesia dei induceretur in temptacionem gravissimam si concilium generale aliquid diffiniret contra fidem. Ergo ipsum non diffinire aliquid contra fidem est necessarium ecclesie dei, ex quo infertur quod credendum est concilium generale non posse errare contra fidem.

Tum quia illud concilium quod suscipiendum est sicut sanctum evangelium non potest errare contra fidem. Concilium autem generale recipiendum est sicut sanctum evangelium, teste Gregorio, qui, ut habetur dist. 15ª, *Sicut*, ait, "Sicut sancti evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia recipere et venerari me fateor". Ergo concilium generale errare contra fidem non potest.

Tum quia universalis ecclesia errare non potest. Diffinicio autem et iudicium generalis concilii tamquam diffinicio universalis ecclesie debet haberi, quia universali consensu constituta videtur, ut Gregorius (ubi prius) videtur asserere, dicens, "Cunctas vero quas prefata veneranda concilia personas respuunt, respuo, et quas venerantur, complector, quia dum universali sunt consensu constituta, se et non illa destruet, quisquis presumit absolvere quos religant aut ligare quos absolvunt". Huic Gelasius papa concordare videtur, qui, ut habetur 25ª, q. 1ª, c. *Confidimus*, ait, "Confidimus quia nullus iam veraciter Christianus ignoret uniuscuiusque synodi constitutum quod universalis ecclesie probavit assensus nullam magis exequi sedem pre ceteris oportere quam primam". Ex quibus colligitur quod id quod facit concilium generale ab universali fit ecclesia. Et per consequens concilium generale errare non potest.

Secundo contra predicta specialiter quoad hoc quod dicit non omnium contentorum in lege divina verum intellectum esse omni tempore necessarium ad salutem obici potest. Nam si alicuius contenti in lege divina verus intellectus et primus non esset omni tempore necessarius ad salutem, frustra illud fuisset positum in lege divina, cum lex divina non nisi propter salutem electorum sit data, sed posset dici de eo, "Ut quid membranas occupat?" (dist. 19ª, *Si Roma-*

---

18 ipsum] *omitted* Ed **21** quod] istis *added* MF **24** sic] sicut Pz | recipere] concipere MF **29** respuunt] respiciunt MF **30** complector] amplector S **31** destruet] destruit S | presumit] aut *added* S **33** iam veraciter] S: causa veneracionis W **34** probavit] S: probetur W **35** assensus] assensu Ed **36** facit] fecit Ed **38** dicit] quod *added* Ed **42** in] ipsa *added* Ed | cum] ipsa *added* Ed | sit] fuit Ed

---

12.23 Sicut'] D.15 c.2, col. 35 **29** dicens] ibid. **33** Confidimus'] C.25 q.1 c.1, col. 1007 **38** dicit] cf. 11.53 **43** Si Romanorum] D.19 c.1, col. 59

norum), ubi dicit glossa, ex hoc accipitur "argumentum quod nullum verbum positum in aliqua scriptura debet vacare nec superflue poni". Verus ergo intellectus et primus omnium contentorum in lege divina est necessarius ad salutem.

Amplius, verus intellectus eorum que in nova lege traduntur fuit necessarius ad salutem illis qui fuerunt summi in veteri testamento. Nam necesse fuit maiores in veteri testamento trinitatis et incarnacionis mysterium explicite, et non solum implicite, credere. Ergo cuiuslibet expresse scripti in lege divina, tam nova quam veteri, verus intellectus est necessarius ad salutem, ut saltem aliqui primum explicite credant et non ignorent.

Hec sunt inter alia que possunt obici contra predicta, ad que aliquas responsiones audire desidero.

Capitulum 13

Discipulus: Ad primum respondetur per distinccionem de necessario, quia aliquid esse necessarium ecclesie Christi dupliciter potest intelligi: vel quia est utile, vel quia sine illo non est nec umquam erit salus. Primo modo accipiendo necessarium, concilium generale non diffinire aliquid contra catholicam veritatem est necessarium ecclesie dei, sicut papam non errare nec diffinire aliquid contra fidem est necessarium, id est utile, ecclesie dei. Sed quantum ad omnia talia necessaria Christus non semper adest ecclesie, quinimo contraria permittit, vel potest permittere, evenire; unde et plures summi pontifices erraverunt pertinaciter contra fidem. Secundo modo accipiendo necessarium, concilium generale non errare contra fidem non est necesse ecclesie, quia, quamvis concilium generale erraret, in multitudine fidelium posset tamen per veram et catholicam fidem salvari; quinimo haberet scripturas sacras per quas errorem concilii generalis posset convincere manifeste, si diffiniret aliquid contra ipsas. Si autem diffiniret aliquid esse tenendum tamquam de necessitate fidei quod tamen non esset necesse credere, per easdem scripturas possent alii Christiani aperte ostendere quod taliter diffinitum ad fidem minime pertineret.

Cum autem accipitur quod, si concilium generale diffiniret aliquid contra fidem, tota ecclesia dei exponeretur periculo heresis et erroris, respondetur per distinccionem de periculo. Est enim quoddam periculum tantummodo imminens seu circumstans, et est periculum involvens seu prosternens. Periculo imminenti

---

44 quod] Ly S: *omitted* MF Pz **46** in] ipsa *added* Ed **48** summi] simul MF **13.6** sicut] in *added* MF **7** id est] et MF | ecclesie dei] *omitted* Ed **12** erraret] erret Ed | tamen] *omitted* MF **13** per quas] quibus Ed **15** diffiniret] diffinire Pz | non] *omitted* Mz **18** quod] *omitted* Ed

---

44 glossa] s.v. membranas, col. 80 **13.2** primum] 12.3 **18** accipitur] 12.10

seu circumstanti totam ecclesiam dei exponi negari non debet sed concedi. Hoc enim fatetur ecclesia ipsa cum in quadam collecta dicit, “Deus qui nos in tantis periculis constitutos” et cetera, a quibus liberari deposcit cum alibi dicit, “A cunctis nos mentis et corporis defende periculis”. Talibus periculis expositus fuit apostolus Paulus, sicut ipse fatetur, 2ª ad Corinthios 2º, et a quolibet se liberatum fuisse dicit c. 1º, cum ait, “De tantis periculis nos eripuit”. In tali periculo eciam aliquando fuit tota ecclesia dei que erat sub veteri testamento, Deuteronomii 20º: “Dominus deus vester in medio vestri est, et pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculis”. Tali eciam periculo se exponere ex causa racionabili est laudabile iudicandum. Unde eciam in laudem preliancium contra infideles dixit Debbora, ut habetur Iudicum 5º, “Sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum”. Periculum involvens seu prosternens est duplex, scilicet corporale et spirituale, sed neutri umquam exponetur tota ecclesia dei, licet corporaliter multi ex fidelibus involvantur non numquam. Spirituale autem finaliter nullus electus incurret, et de tali periculo videtur intelligere sapiens cum Ecclesiastici 3º ait, “Qui amat periculum in illo peribit”.

Si itaque concilium generale diffiniret aliquid contra fidem, poterit tota ecclesia dei exponi periculo heresis et erroris primo modo accipiendo periculum, quemadmodum aliquando, quia non potuit generale concilium convocari, Christianitas quoad multos fuit periculo heresis involuta et quoad alios impugnata, teste Isidoro, qui, ut legitur dist. 15ª, c. 1º, ait, “In precedentibus namque annis persecucione fervente docendarum plebium minime dabatur facultas. Inde Christianitas in diversas hereses scissa est”. Posset tamen contingere quod quamvis concilium generale diffiniret aliquid contra fidem ecclesia dei non exponeretur periculo, quia posset contingere quod congregati in concilio generali essent pauci et viles, tam in re quam in hominum reputacione, respectu illorum qui ad illud concilium minime convenissent; et tunc illorum error leviter extirparetur per multitudinem meliorum et sapienciorum et famosiorum illis, quibus eciam multitudo simplicium adhereret, magis quam scilicet decem vel duodecim aut quindecim per quos posset generale concilium celebrari —

23 ipsa] *omitted* MF **25** Talibus periculis] *omitted* Pz **26** et] *omitted* MF | quolibet] qualibet MF **30** ut] et Ed | eruat] eruet Ly | periculis] periculo S | eciam] enim Ly **34** umquam] *omitted* Ed **36** incurret] incurreret Ly **40** convocari] convocare MF **41** Christianitas] christianos MF involuta] convoluta Ed **42** ait] enim *added* Fr Ed **43** annis] S: donis W **45** non] *omitted* MF **48** concilium] generale *added* Ed **49** famosiorum] Ly: famosorum W **51** posset] possit Ed

23 dicit] *Missale Romanum* (Turin, 1906), p. 44 (Oratio, Dominica 4ª post Epiphaniam); cf. PL, vol. 78, col. 48 **24** dicit] ibid, p. 47 (Oratio, Dominica in Septuagesima); cf. PL, vol. 217, col. 917 **26** 2 ad Corinthios] 2:4 **27** c. 1] 2 Cor. 1:10 **28** Deuteronomii] 20:4 **32** Iudicum] 5:2 **37** Ecclesiastici] 3:27 **42** c. 1] C.15 c.1, col. 34

quemadmodum aliquando, scilicet in concilio Arelatensi, tantummodo undecim patres fuerunt (dist. 16ª, *Sexta*), quamvis tunc multiplicati fuerunt Christiani et plures occupaverunt provincias quam diebus nostris. Periculo autem involventi seu prosternenti nequaquam exponeretur tota ecclesia dei, quamvis concilium generale diffiniret aliquid contra fidem, quia remanerent aliqui, vel multi vel pauci, qui tali diffinicioni erronee minime consentirent, sed pro loco et tempore contradicerent manifeste.

Discipulus: Saltem multitudo Christianorum, maxime laicorum et simplicium, prosternenti exponeretur periculo, potissime si papa esset presens in tali concilio vel errori huiusmodi consentiret, et papa cum consencientibus sibi potencior esset aliis; quod tamen pro inconvenienti debet haberi.

Magister: Respondetur quod in tali casu magis timendum esset de periculo clericorum, in sacris literis peritorum et aliorum, quam de multitudine laicorum, id est simplicium, presertim quando multitudo clericorum, per avariciam, ambicionem, simoniam et alias vias pravas, ad ordines, dignitates et beneficia ecclesiastica pervenisset, et aliis esset criminibus irretita. Quia plura et maiora temporalia amitteret quam simplices laici si pape temporaliter prevalenti perseveranter resisteret, et ab obtinendis dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis clericos repelleret papa, non laicos. Propter quod procliviores essent clerici ad assenciendum errori pape et concilii generalis, quia, ut testatur Iohannes papa, prout legitur 16ª, q. 2ª, c. 1º, “Humani moris est illum vereri cuius iudicio et voluntate nunc erigitur, nunc deprimitur”. Clerici eciam, propter maiorem literarum sacrarum noticiam quam habent, vel habere tenentur, et quia questio fidei, licet spectet ad laicos (dist. 96ª, c. *Ubinam*), principalius tamen pertinet ad clericos, magis peccarent et gravius quam laici; et ideo magis verendum esset ne deus eos permitteret ruere in errorem. Multitudo insuper Christianorum, dum tamen aliqui vel saltem unus fidelis remaneat, potest involventi periculo heresis et erroris, aliis exigentibus peccatis, ipsorum exponi; quibus in hereticam pravitatem labentibus, valeret ille qui de lapidibus potest suscitare filios Abrahe, vel de aliquibus ipsorum aut de aliis, quando voluerit numerum Christianorum augere.

---

52 aliquando scilicet] *omitted* Ed **54** occupaverunt] Ly: occupantes Mz, occupaciones Pz **55** seu] eciam *added* Ed **61** vel] atque Ly **63** esset] est Ed **69** resisteret] Fr: resisterent W **78** tamen] cum MF | aliqui] Scott: alio MF, alii Ed **80** valeret] Fr: valent Mz, valet Ed

---

53 Sexta] D.16 c.11, col. 48 **72** c. 1] C.16 q.2 c.1, col. 786 **75** Ubinam] D.96 c.4, col. 338
80 ille…Abrahe] Cf. Mat. 3:9

Discipulus: Indica breviter qualiter respondetur ad allegaciones sequentes, quibus probatur concilium generale non posse errare contra fidem.

Magister: Ad istam qua accipitur quod ecclesia dei induceretur in temptacionem gravissimam si concilium generale aliquid contra fidem diffiniret, respondetur quod totam ecclesiam dei induci in temptacionem dupliciter intelligi potest: vel ut temptacioni succumbat — et ne hoc accidat petitur in oracione Dominica, et numquam eveniet, nec eveniret quamvis generale concilium contra fidem erraret — vel ut temptacione impugnetur qua graviter infestetur. Hoc poterit evenire, teste beato Iacobo, qui c. 1º sue canonice ait, "Omne gaudium existimate fratres mei, cum in temptaciones varias incideritis".

Ad allegacionem sequentem, tenentem quod generale concilium recipiendum est sicut sanctum evangelium secundum Gregorium, respondetur quod hoc intelligendum est de generali concilio rite, iuste et catholice celebrato, secundum quod dicitur omnes apostolice sedis sancciones debere accipi sicut si voce Petri essent firmate, secundum Gracianum, dist. 19ª. Hoc autem intelligi debet de illis sanccionibus vel decretalibus epistolis in quibus nec precedencium patrum decretis nec evangelicis preceptis aliquid contrarium invenitur, ita tamen quod hoc vocabulum "sicut" omnimodam similitudinem nequaquam importet, sicut nec Matthei 5º, cum dicit Christus, "Estote perfecti, sicut et pater vester celestis perfectus est", nec illud c. 22º, "Diliges proximum tuum sicut teipsum", nec illud Iohannis 20º, "Sicut misit me Pater, et ego mitto vos". Quamvis enim generale concilium aliquid rite ac catholice diffiniat et determinet, et ideo sit sicut sanctum evangelium suscipiendum, sanctum tamen evangelium cum maiori reverencia et devocione suscipiendum est quam concilium generale quodcumque.

Ad aliam autem allegacionem, accipientem quod diffinicio generalis concilii tamquam diffinicio universalis ecclesie debet haberi, respondetur quod generale concilium non debet regulariter occulte seu secrete aut paucis scientibus celebrari, sed vulgandum est per universalem ecclesiam — hoc est, per omnes regiones in provincia [seu provinciis] in qua (seu in quibus) catholici commorantur — generale concilium congregari debere, quatenus omnes catholici tacite vel expresse consenciant et quasi auctoritatem tribuant, ut ad concilium profec-

85 istam qua] Kilcullen: ista quibus W | accipitur] Scott: accipit W **90** erraret] errare Pz infestetur] et *added* Ed **92** mei] charissimi Ed | temptaciones varias] temptacionibus variis Ed **95** secundum] sicut MF **100** importet] reportet MF **112** provincia…provinciis] Scott: provincia W **113** congregari] convocari Ed

85 istam] 12.16 **91** Iacobo] 1:2 **93** allegacionem sequentem] 12.21 **97** dist. 19] D.19 c.2, col. 60 **101** Matthei] 5:48 **102** c. 22] Mat. 22:39 **103** Iohannis] 20:21 **108** aliam] 12.26

turi eorum nomine circa ordinanda et diffinienda in generali concilio canonice et catholice atque rite procedant, ut merito quicquid licite et catholice statuerint vel diffinierint universali statuatur et diffiniatur assensu. At vero si quid indigne aut illicite et non canonice vel non catholice statuerint vel diffinierint, universalis ecclesie nullatenus statutum vel diffinitum probetur assensu. Talis enim assensus ad nichil illicitum potest extendi, quia talis assensus universalis ecclesie est secundum intencionem assenciencium interpretandus, quemadmodum iuramentum secundum intencionem iurantis interpretari debet, ut notat glossa, Extra, *De iureiurando*, super capitulum *Quintavallis*. Quando igitur concilium generale rite convocatur et in omnibus catholice et sancte procedit, quicquid fecerit ab universali ecclesia fieri est putandum, et ideo de tali concilio generali loquuntur Gregorius et Gelasius. Si autem aliquid fecerit illicite et non catholice, minime universalis ecclesie probatur assensu, quia universalis ecclesia, quamvis consenserit quod convocaretur concilium generale, non tamen putanda est, nec expresse nec tacite, in aliquod illicitum consentire.

Aliter respondetur quod postquam acta generalis concilii per universos populos catholicos fuerunt promulgata, si nullus contradicens aut impugnans apparet, sunt putanda ab universali ecclesia approbata, et de talibus conciliis generalibus loquuntur Gregorius et Gelasius. Si autem acta generalis concilii non fuerint apud omnes populos catholicos diligenter exposita, non est dicendum quod tale concilium sit explicite ab universali ecclesia approbatum, licet, si sancte et catholice fuerit celebratum, possit dici implicite ab universali ecclesia approbatum.

Discipulus: Istud est calumpniabile, ut videtur, nam non minus ligat quicquid statuitur vel diffinitur per concilium generale quam statutum apostolice sedis, sed illud universalem ligat ecclesiam (Extra, *De constitucionibus*, *Quoniam*), nec oportet ad hoc ut liget quod omnium auribus inculcetur (Extra, *De postulacione*, *Ad hec*). Ergo et quicquid statuitur vel diffinitur a concilio generali universalem ligat ecclesiam, et per consequens pro approbato ab universali ecclesia est habendum.

---

115 concilio] ac *added* MF Pz **117** At…aut] atque non indigne universalis ecclesie probetur assensus aut aliquid MF **126** loquuntur] loquitur Ed **127** assensu] assensus MF **129** in] *omitted* Ed **131** promulgata] provulgata Pz **133** generalibus] *omitted* Ed **134** fuerint] fuerunt Ed **135** concilium] generale *added* Ed

---

120 illicitum] See gloss to c. *Quintavallis*, X 2.24.23, casus, col. 816: “cum aliquis simpliter iurat stare mandato alicuius, licitum debet esse mandatum, alioquin mandatum non ligat”.
123 Quintavallis] Rather, see gloss to X 2.24.16, s.v. prescivisset, col. 808. **140** Quoniam] X 1.2.13, col. 16 **142** Ad hec] X 1.5.1, col. 43

Magister: Respondetur quod statutum apostolice sedis eciam post duos menses non ligat nisi illos ad quos ipsius noticia poterat pervenire, quia ignorantes, presertim ignorancia invincibili, minime ligat, (Extra, *De constitucionibus*, *Cognoscentes*). Sic eciam quod statuitur vel diffinitur in concilio generali non ligat universalem ecclesiam nisi per universalem ecclesiam fuerit legitime divulgatum, et ideo non est censendum explicite approbatum ab universali ecclesia antequam taliter publicetur. Non oportet autem taliter diffinitum singulorum auribus inculcare, sed sufficit taliter publicare quod nullus se possit, si in contrarium venerit, per ignoranciam excusare.

Capitulum 14

Discipulus: Nunc superest tractare ista que obiecta sunt contra dicta superius, c. 12°, quibus videtur ostensum quod omnium contentorum in scripturis divinis verus intellectus et primus est omni tempore necessarius ad salutem. Narra igitur quomodo opinantes illi respondent ad ipsa.

Magister: Ad primum illorum, cum dicitur quod frustra esset positum in scriptura illud cuius verus intellectus non est omni tempore necessarius ad salutem, respondetur quod falsum assumitur, quia ad hoc, quod aliquid non frustra ponatur in scriptura divina, sufficit quod aliquando, licet non omni tempore, eius verus intellectus et primus sit necessarius ad salutem, quemadmodum Veritas ipsa multa dixit et protulit, nequaquam frustra, quorum tamen verus intellectus non erat tunc necessarius ad salutem. Mater enim sua sanctissima numquam aliquo necessario ad salutem extitit destituta, et tamen quando Christus dixit sibi et patri putativo, Luce 2°, "Quid est quod me querebatis? Nesciebatis quia in hiis que patris mei sunt oportet me esse?", ipsa verum intellectum et primum illorum verborum Christi non concepit, cum immediate subiungatur ibidem, "Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad illos". Que tamen, sicut ([ubi] prius) habetur, mater eius conservabat in corde suo, verum intellectum ipsorum postea habitura. Christus eciam dixit apostolis, ut legitur Luce 18°: "Ecce ascendimus Ierosolimam et consummabuntur omnia que scripta sunt per prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur, et postquam flagellaverint, occident eum, et tercia die resurget". Quorum tamen verborum verum intellectum tunc minime habue-

---

14.2 que] secundo *added* Ly **4** est] *omitted* Ly **18** sicut ubi] Kilcullen: sicut W **23** tamen] *omitted* Ed

---

148 Cognoscentes] X 1.2.2, col. 8. Cf. gloss, s.v. Ante prohibitionem, col. 16: "Nisi probaret se extra provinciam tunc fuisse, vel alias impeditum". **14.6** primum] 12.40 **14** Luce] 2:49-51 **18** habetur] Lk. 2:51 **20** Luce] 18:31-4

runt, quia immediate subiungitur, “Et ipsi nichil horum intellexerunt. Erat enim verbum istud absconditum ab eis et non intelligebant que dicebantur”. Eisdem eciam dixit Christus, ut habetur Iohannis 16º, “Modicum et iam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem”. Quorum tamen verborum verum intellectum non habuerunt, quia de ipsis scribitur ibidem, “Dixerunt ergo ex discipulis eius ad invicem, ‘Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum et non videbitis me’”, et post, “‘Nescimus quid loquitur’”. Ex quibus aliisque quampluribus colligitur manifeste quod plura dixit Christus apostolis quorum tamen verum intellectum minime tunc habuerunt. Ex quo concluditur quod verus intellectus illorum tunc non erat apostolis necessarius ad salutem. Cum igitur tunc essent in statu salutis, nichil defuit eis quod tunc erat eis necessarium ad salutem. Et tamen constat quod tunc Christus non dixit talia frustra. Ergo, a simili, poterunt in scripturis divinis aliqua contineri quamvis eorum verus intellectus et primus non sit omni tempore necessarius ad salutem.

Discipulus: Forte diceretur ad ista quod non est inconveniens aliqua in scripturis divinis haberi quorum verus intellectus non est omni tempore omnibus catholicis necessarius ad salutem, quemadmodum illa que dixit matri et apostolis non erant eis necessaria ad salutem. Verus tamen intellectus omnium que in scripturis divinis habentur semper est aliquibus, etsi non omnibus, necessarius ad salutem.

Magister: Ut videtur aliis hoc non valet, quia qua racione plurium que dixit Christus matri sue et apostolis tunc nulli fideli eorum erat intellectus necessarius ad salutem, racione consimili non est inconveniens aliqua reperiri in scripturis divinis quorum verus intellectus nulli pro aliquo tempore est necessarius ad salutem; et tamen illa non sunt frustra posita in scripturis, nec frustra membranas occupant, quia verus intellectus ipsorum pro aliquo tempore erit aliquibus necessarius ad salutem, quo tempore idem intellectus aliquibus aperietur, vel per investigacionem humanam ex scripturis, vel per miraculosam revelacionem, si verus intellectus ipsorum humana invencione vel erudicione haberi non potest. Propter idem eciam nullum verbum in scriptura divina vacat nec aliquid est superflue positum, quia quamvis multa sint in ea quorum verus intellectus non est semper necessarius ad salutem, aliquibus tamen aliquando necessarius erit.

---

24 Erat enim] et erat S **31** quod] *omitted* Mz **32** tamen] *omitted* Ed **35** dixit] dixisset Ed **36** quamvis] quantum Mz, quamquam Fr **38** diceretur] dicerent Ed **42** divinis] non *added* Pz **44** plurium] intellectus *added* Ed **45** fideli] fidelium Ly | eorum] *omitted* Ly | intellectus] ullatenus Ed **47** divinis] *omitted* MF **49** occupant] Ly: occupat W **51** miraculosam] *omitted* Ed **52** invencione] intencione Ly **53** idem] quod Ed **54** sint] sunt Fr Ed

---

26 Iohannis] 16:16-18 **48** membranas occupant] cf. 12.43 **53** vacat…54 positum] cf. 12.45

Cum autem postea accipitur quod verus intellectus eorum que in lege nova traduntur fuit necessarius ad salutem illis qui fuerunt sub veteri testamento, respondetur quod aliquorum, puta incarnacionis et trinitatis, et non omnium, erat verus intellectus literalis explicitus necessarius ad salutem, quia multa continentur in lege nova quorum verus intellectus literalis nulli in veteri testamento extitit revelatus. Quod Veritas ipsa videtur asserere, cum dicit, ut habetur Matthei 13°, "Multi prophete et iusti cupierunt videre que videtis, et non viderunt, et audire que auditis, et non audierunt", et sentencia eadem habetur Luce 10°.

Capitulum 15

Discipulus: Unum in premissis invenitur quod improbabile omnino videtur, quod scilicet aliqua in sacris literis continentur quorum verus intellectus et primus solummodo per revelacionem divinam haberi potest. Quia quamvis posset alicui videri quod aliqua in scripturis divinis non essent superflue posita quorum verus intellectus per studium et meditacionem in scripturis haberi possit, omnino tamen improbabile videtur quod ea in scripturis non essent superflue posita quorum verus intellectus per studium et meditacionem in scripturis haberi non possit, sed per solam revelacionem divinam, quia ita posset deus revelare verum intellectum ipsorum si non essent scripta sicut postquam sunt scripta. Cum igitur ex scripturis nulla capiatur utilitas nisi intelligantur, sequitur quod illa quorum intellectus per solam revelacionem valet haberi prius inutiliter omnino scribuntur.

Rursus, non solum talia inutiliter sed eciam periculose essent scripta, quia ista scriptura que non potest intelligi, ad cuius tamen intellectum capiendum possunt niti legentes et circa quam si non intelligatur periculose contingit errare, videtur esse periculosa legentibus. Sed ad capiendum intellectum quorumcumque que in scripturis divinis habentur possunt niti legentes, circa que, si erraverint, periculose errabunt, quia, ut ait Ieronimus, et habetur 24ª, q. 3ª, c. *Heresis*, "Quicumque aliter scripturam intelligit quam sensus Spiritus sancti flagitat, a quo scripta est, licet ab ecclesia non recesserit, tamen hereticus appellari potest". Ergo periculose talia essent scripta. Volentes enim ad verum intellectum ipsorum pervenire, et non valentes, laberentur faciliter in errorem.

---

56 postea] *omitted* Ed **15.2** Unum] utrum Mz | invenitur] innuitur Ed; scilicet c. 14 *added* Ly improbabile] probabile Ed | omnino] non *added* Ly **3** continentur] habentur Ed **7** possit…9 haberi] Frm: *omitted* W **9** sed] quod *added* Ly | divinam] haberi possit tamen hoc [tamen hoc *omitted* Pz] non videtur probabile *added* Ed **16** contingit] contigit Mz **21** scripta] S: scriptura W recesserit] recessit Ed

---

56 postea] 12.47 **61** Matthei] 13:17 **63** Luce] 10:24 **15.2** invenitur] Above, 14.51 **19** Heresis] C.24 q.3 c.27, col. 998

Hec inter alia sunt quibus predicta assercio posse improbari videtur. Tu narra quomodo respondetur ad ipsa. Primo tamen nitere pro opinione illa allegare.

Capitulum 16

Magister: Quod plura contineantur in scripturis divinis quorum verus intellectus et primus virtute humani ingenii ex scripturis sacris colligi nequeat, sed per revelacionem divinam solummodo possit haberi, videtur posse probari. Nam verus intellectus et primus proferentis oracionem ambiguam habentem multos sensus haberi non potest nisi proferens oracionem eandem quem intellectum habeat aperte declaret. Si quis dixerit, “Iohannes cantat missam”, cum plures appellentur hoc nomine, audiens non sciet de quo loquens intelligit nisi ipse sibi revelet. Unde et propter hoc videtur ut nititur declarare quedam opinio quam tractavimus prima parte istius dialogi, libro 7º, quod quando lex aliqua vel constitucio habet plures sensus, a conditore est interpretacio requirenda. Nemo enim alius potest scire intellectum quem habuit legis conditor in condendo. Plures autem oraciones ambigue in scripturis divinis habentur, nam secundum doctrinam sanctorum patrum non solum voces que in oracionibus ponuntur sunt signa, sed eciam res significate per voces sunt signa aliarum rerum. Unde et Veritas ipsa, ut refert Gregorius in omelia super parabolam seminantis, insinuavit aperte quod “semen” verbum, “ager” mundum, “volucres” demonia, “spine” divicias signant. Una autem res et eadem plures alias res, eciam contrarias, in scripturis sacris signat. “Leo” enim aliquando signat Verbum, ut ibi, “Vicit leo de tribu Iuda”, aliquando diabolum, ut ibi, “tamquam leo rugiens”, et cetera, aliquando virum fortem, aliquando crudelem. Ergo oracionum ambiguarum, quarum non parva invenitur in sacris literis multitudo, cum res signant, verus et primus intellectus haberi non potest nisi ipse revelet, scilicet deus, qui oraciones huiusmodi revelavit.

Hec allegacio et conclusio principalis declaratur et confirmatur per aliam in exemplis fundatam apertis. Nam plura revelata fuerunt prophetis ac viris contemplativis in sapiencia sublimissimis divinorum, vel aliis per quos ad prophetas et viros illuminatos a deo pervenerunt, ad quorum intellectum verum et primum ipsi prophete, antequam fuit revelatus eisdem, non poterant pervenire. Ergo, racione consimili et multo maiori, intellectus verus et primus illorum

25 nitere] niteris Pz, nitaris Ly | allegare] *omitted* MF **16.3** scripturis] literis Ed **6** quem] quod MF **8** appellentur] appellantur Ed | sciet] sciendum Mz **16** refert] testatur Ed **18** eciam] *omitted* Mz **19** signat[1]] significat Ed | enim] Kilcullen: etiam W **22** signant] significant Ed **28** pervenerunt] pervenerint Pz **29** fuit] fuerit Ed

16.10 tractavimus] 1 Dial., 7.4 **16** Gregorius] *Homilae in evangelia*, XV, CCSL, vol. 141, p. 104 **19** ibi] Apoc. 5:5 **20** ibi] 1 Pet. 5:8

que solummodo enigmatice et sub similitudinibus et figuracionibus rerum in scripturis divinis revelata sunt a deo haberi non potest nisi deus revelet eundem. Consequencia aperta videtur. Antecedens multis probatur exemplis.

Iohannes enim evangelista, singulariter illuminatus a deo, plura sibi in Apocalypsi revelata minime intellexit antequam intellectus eorum sibi revelaretur a deo, unde et exposicione multorum indiguit. Postquam enim vidit, ut legitur Apocalypsis 17º, "mulierem sedentem super bestiam… ebriam de sanguine sanctorum", dixit ei angelus, "Quare miraris? Ego dicam tibi sacramentum mulieris et bestie". Minime tamen intellexit antequam angelus ei dixit, et ita ad verum intellectum et primum illius revelacionis ante aliam non pervenit. Sic eciam mysterium septem stellarum et septem candelabrorum, de quo legitur c. 1º, antequam Christus revelavit sibi, ipse Iohannes minime intellexit. Unde et Christus dixit eidem post visionem predictam, "Scribe ergo que vidisti, et que sunt, et que oportet fieri post hec. Mysterium septem stellarum quas vidisti in dextera mea et septem candelabra aurea, septem stelle, angeli sunt septem ecclesiarum, et candelabra septem, septem ecclesie sunt". Idem eciam Iohannes cum, ut habetur 7º c., interrogaretur ab uno de senioribus, "Hii qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? et unde venerunt?", respondit, "Domine mi, tu scis", quasi diceret, "Quamvis ego viderim eos, tamen nescio qui sunt et unde venerunt, sed tu scis". Et ita ad verum et primum intellectum visionis illius Iohannes antequam sibi ille senior revelavit non pervenit.

Ioseph eciam, de quo habetur Genesis 41º, verum et primum intellectum sompnii quod sibi Pharao enarravit per revelacionem accepit. Unde et Pharao dixit eidem, "Ostendit tibi deus omnia que locutus es". Sic eciam interpretacionem veram sompniorum pincerne et pistoris Pharaonis per revelacionem accepit. Nequaquam enim virtute humani ingenii poterat scire quod tres propagines et tria canistra in sompniis illis plus signabant tres dies quam tres ebdomadas vel tres menses vel tres annos. Per revelacionem ergo solummodo, postquam fuerunt sibi predicta sompnia recitata, interpretacionem veram agnovit. Unde et ipse, ut habetur 40º c., dixit, "Numquid non dei est interpretacio?", quasi dicat, "Ille qui vos fecit sompniare, et quid vera significarent sompnia vobis minime indicavit, michi interpretacionem poterit revelare".

---

31 et[2]] *omitted* MF | figuracionibus] signacionibus Mz, significacionibus Fr **44** Mysterium] sacramentum S **45** aurea] et *added* MF Pz **47** cum] *omitted* Ly | interrogaretur] interrogavit Ed **48** albis] S: *omitted* W **56** quod] que Mz **59** recitata] *omitted* Ed **61** vos] *omitted* Mz

---

37 Apocalypsis] 17:3-7 **42** c. 1] Apoc. 1:12-16 **43** dixit] Apoc. 1:19-20 **47** 7 c.] Apoc. 7:13-14 **54** dixit] Genesis 41:39 | interpretacionem] Cf. Gen. 40:9-19 **60** 40 c.] Gen. 40:8

Item, Daniel plurium visionum quas viderat verum et primum intellectum antequam doceretur non accepit. Capitulo enim 7º, post visionem quatuor ventorum et quatuor bestiarum, subiungitur: "Horruit spiritus meus; ego Daniel territus sum in hiis, et visiones capitis mei conturbaverunt me. Accessi ad unum de assistentibus, et veritatem querebam ab eo de omnibus hiis. Qui dixit michi interpretacionem sermonum et docuit me". Capitulo eciam 8º, post aliam visionem, subiungitur: "Cum ego Daniel quererem intelligenciam, ecce stetit in conspectu meo quasi species viri. Et audivi vocem viri inter Ulai; et clamavit, et ait: Gabriel, fac intelligere istam visionem".

Ex hiis aliisque quampluribus evidenter colligitur, ut videtur, quod prophetis et illuminatissimis viris, omnique sapiencia divina et humana peritis, plura revelata fuerunt que tamen, antequam docerentur a revelante, non intellexerunt. Unde et sepe prophetis plures visiones ostense fuerunt quarum postea interpretacio extitit revelata, sicut Ieremie 1º et 13º et Ezechielis 17º et Isaie 5º et aliis locis quampluribus, sicut eciam Christus parabolas quas loquebatur turbis apostolos docebat, ut legitur Marci 4º. Si ergo prophete et viri illuminatissimi plurium que viderunt non poterant nisi per novam revelacionem verum ac primum accipere intellectum, multo magis alii enigmaticarum visionum non possent ad verum et primum intellectum pertingere nisi reveletur alicui qui aliis manifestet eundem. Cum igitur in scripturis divinis quamplures visiones et parabole enigmatice et obscure — immo obscuriores quam sint quedam per revelaciones exposite — que adhuc nequaquam sunt exposite habeantur, sequitur quod plura in scripturis divinis habentur ad quorum verum et primum intellectum nemo valet absque revelacione pertingere.

Amplius, sensus verus et primus oracionis habentis plures sensus catholicos, quam ad quemlibet illorum potest quilibet trahere sicut vult, haberi non potest nisi indicaverit ille qui protulit eam, quia, ex quo trahi potest ad diversos sensus maxime vocis, non potest sciri quem illorum intenderet proferens nisi ipse exprimat, presertim si non potest elici aliquis sensus nec ex verbis antecedentibus nec consequentibus proferentis. Multa autem verba plurium visionum et parabolarum et enigmaticarum locucionum in sacris literis conscriptarum habere possunt diversos sensus catholicos, ad quorum quemlibet potest quilibet prout

---

69 quererem] S: inquirem W **70** Ulai] S Ly: *gap* Mz, *omitted* W **71** Gabriel] daniel Ed intelligere] virum *added* MF **78** docebat] dicebat MF **79** verum] Kilcullen: *illegible* MF, novum Ed **81** possent] posset MF **84** que…exposite[2]] *omitted* Ed **86** valet] valeat Ed **87** plures] *omitted* Ed **88** vult] voluit Mz **92** proferentis] verba *added* Ed

---

64 7] Dan. 7:15-16 **68** 8] Dan. 8:15-17 **76** Ieremie] 1:14-16, 13:9-11 | Ezechielis] 17:12-18 Isaie] 5:7 **78** Marci] 4:10 ff

voluerit trahere ea. Unde et diversi sancti talia verba quamplura diversimode exponunt. Alii eciam absque omni periculo eadem verba aliter quam sancti ad diversos sensus traxerunt, et adhuc alii ad alios trahent. Quod eciam patet ex hoc quod secundum beatum Clementem, ut habetur 37ª dist., c. *Relatum*, "Multa verba sunt in divinis scripturis que possunt trahi ad eum sensum quem sibi unusquisque elegerit"; ergo multo magis possunt trahi ad diversos sensus catholicos. Ex quo concluditur quod de ipsis verus et primus intellectus dei revelantis absque nova revelacione haberi non potest.

Amplius, multa sunt in scripturis divinis que mistice solummodo debent intelligi, sicut docet Gregorius in *Moralibus* in diversis locis; immo, secundum eundem, plura, si intelligerentur literaliter, generarent errorem. Sensus autem misticus qui potest accipi ex verbis divinis virtute ingenii humani absque revelacione speciali non est ita approbandus a catholicis ut coequetur illis que habentur in biblia, vel recipiatur ad aliquid in fide catholica confirmandum, nisi alibi in scripturis divinis habeatur expresse. Quod Augustinus, eciam Ieronimus et Gregorius, sentire videntur. Nam secundum Augustinum, ut habetur dist. 9ª, in diversis capitulis, scriptura divina est literis et exposicionibus omnium episcoporum et aliorum preponenda, ita ut solis scriptoribus biblie deferendus sit hic timor et honor ut non credentur errare in aliquo. Qualis honor et timor nulli deferendus est post ipsos. Secundum Ieronimum eciam in prologo in libris Proverbiorum et Gregorium in *Moralibus*, liber Iudith, Tobie et Maccabeorum ac Ecclesiastici atque liber Sapiencie non sunt recipiendi ad confirmandum aliquid in fide. Dicit enim Ieronimus, sicut Gregorius, "Sicut Iudith et Tobie et Maccabeorum libros legit quidem ecclesia, sed inter canonicas scripturas non recepit, sic et hec duo volumina", scilicet Ecclesiastici et Sapiencie, "legit ad edificacionem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam". Sed exposiciones episcoporum et aliorum qui fuerunt post scriptores canonicarum scripturarum non sunt maioris auctoritatis quam libri predicti; ergo sensus quicumque quem colligunt ex scripturis divinis, nisi alibi habeatur ex scripturis divinis, non est cum illa reverencia suscipiendus ut debeat allegari ad

95 voluerit] voluit Mz **96** exponunt] exponuntur MF **100** unusquisque] unusquique Pz | elegerit] sponte presumit S **102** haberi] sciri Ed **108** recipiatur] recipiantur Ed **113** credentur] credantur Ed **115** et[1]] 8 MF, c. Pz **116** ac] *omitted* Ly **117** Sicut] S: *omitted* W **118** legit] leget Pz quidem] eos *added* W **119** recepit] recipit S **120** confirmandam] confirmanda MF **121** post] pre MF **124** ut debeat] *omitted* MF

98 Relatum] D.37 c.14, col. 139; the writer comments: sed non oportet. **105** plura…errorem] Cf. Gregory, *Moralia*, CCSL, vol. 143, pp. 4, 341 **111** diversis capitulis] Cf. D.9 c.5 and c.8, col. 17 **115** Gregorium] Not found. **117** Ieronimus] *Praefatio Hieronymi in libros Salomonis*, *Biblia Sacra*, vol. 11 (Rome, 1957), p. 5

confirmandum aliquid in catholica fide. Sensus autem verus et primus cuiuscumque revelati a deo in scripturis valet ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Ergo multorum in scripturis divinis sensus verus et primus absque revelacione divina haberi non potest.

Adhuc, non magis virtute ingenii humani potest haberi sensus verus et primus aliquorum misticorum divinorum quam parabolarum humanarum. Sed multarum parabolarum et locucionum misticarum seu enigmaticarum humanarum primus sensus proferentis virtute ingenii humani sepe haberi non potest nisi proferens manifestet. Quomodo enim uxor Sampsonis, quamvis subtilissima extitisset, pervenisset ad sensum primum sui problematis, nisi forte a casu, quando dixit, “De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo”, nisi ipse revelasset eidem? Ita enim potest per “comedentem” et eciam per “fortem” significari ursus vel elephas aut draco vel cete maris aut alia bestia forcior leone, vel minus fortis, sicut leo. Per “cibum” eciam et per “dulcedinem” non solum mel sed eciam alie res dulces comestibiles significari possunt. Alia eciam res per “comedentem” et alia per “fortem”, et rursus alia res per “cibum” et alia per “dulcedinem” convenienter significari potest. Cum igitur, ut testatur Apostolus, 1ª ad Corinthios 2º, nemo sciat hominum “que sunt hominis nisi spiritus hominis qui in ipso est”, nullo modo uxor Sampsonis virtute humani ingenii, quantumcumque fuisset instructa, scivisset quod Sampson intelligebat per “comedentem” et “fortem” leonem, et per “cibum” atque “dulcedinem” mel, nisi ipse sibi dixisset. Ergo multo forcius verus et primus intellectus visionum et revelacionum divinarum haberi non potest virtute humani ingenii, quia, sicut dicit Apostolus, 1ª ad Corinthios 2º, “Que dei sunt nemo cognovit nisi spiritus dei”.

Preterea, primus intellectus minus obscuri non potest haberi virtute ingenii humani, ergo multo forcius primus intellectus illorum que sunt magis obscura virtute humani ingenii haberi non potest. Consequencia videtur probacione minime indigere. Antecedens videtur posse probari auctoritate beati Gregorii, secundum quem, ut videtur, primus intellectus quem habuit Christus in parabola seminantis, que est minus obscura et minus enigmatica quam multe visiones et revelaciones que non sunt exposite per revelacionem in scripturis, virtute ingenii humani haberi non potuit. Dicit enim super parabolam illam, “Quis michi umquam crederet si ‘spinas’ divicias interpretari voluissem?”, quasi diceret, “Nullus”. Et tamen absque illa interpretacione primus intellectus parabole haberi

127 confirmandam] confirmandum MF Ly **131** enigmaticarum] enigmaticus Mz **137** ursus] visus Mz **139** eciam[1]] *omitted* MF

135 dixit] Jud. 14:14 **142** 1 ad Corinthios] 2:11 **148** 1 ad Corinthios] 2.11 **156** Dicit] Gregory, *Homilae in Evangelia*, XV, CCSL, vol. 141, p.104

non potuit, quia Christus exponendo predictam parabolam sic interpretatus est. Ergo primus intellectus aliarum parabolarum, visionum et revelacionum que per deum revelantem non sunt exposite virtute humani ingenii haberi non potest.

Capitulum 17

Discipulus: Deduxisti raciocinaciones fundatas in scripturis ad probandum conclusionem predictam. Nunc ipsam per auctoritates nitere confirmare.

Magister: Nonnullis apparet quod auctoritatibus tam scripturarum canonicarum quam aliarum potest ostendi, de quibus adducam paucas. Hoc enim videtur Daniel dixisse, c. 12º, ubi sic legitur: "Tu autem, Daniel, claude sermones et signa librum usque ad tempus statutum". Ex quibus verbis potest colligi, ut videtur, quod quidam sermones revelati Danieli ita sunt clausi ut nemo possit absque revelacione ad primum eorum intellectum pertingere.

Item, ut legitur Actuum 8º, dixit Philippus eunucho legenti Isaiam prophetam, "'Putasne intelligis que legis?' Qui ait, 'Quomodo possum, si non aliquis ostenderit michi?'", quasi diceret, "Nullo modo". Ex quibus verbis habetur quod ex verbis illis scripture que legit eunuchus non potest aliquis primum intellectum ipsorum colligere nisi ab alio doceatur. Ergo racione consimili aliorum que eque vel magis obscura sunt non potest primus intellectus haberi nisi revelatus appareat.

Item, psalmista ait, "Da michi intellectum", et cetera, quasi diceret: "Ad primum intellectum multorum legis tue scrutando pervenire non potero nisi tu reveles, ideo da michi intellectum primum illorum". Plura enim sunt in lege antiqua statuta quorum nulla racio potest per hominem assignari quare precepit illa deus filiis Israel, sicut illa "Non arabis in bove et asino. Non indueris vestimento quod ex lana linoque contextum est", et similia. Et per consequens primus intellectus talium contentorum in lege absque revelacione haberi non potest. Hinc Ieronimus in prologo biblie ait, c. 7º, "Quis enim digne exprimit tria et quatuor scelera Damasci, Gaze et Tiri et Idumee"? et cetera. Ex quibus verbis colligitur quod prophecia Amos prophete digne explicari non potest nisi per revelacionem divinam. Hoc eciam beatus Gregorius, super Ezechielem,

---

17.5 Hoc] Scott: hec W **6** sermones] S: sermonem W **7** colligi] intelligi Ly **11** intelligis] intelliges MF **13** illis] *omitted* Ed **21** bove] simul *added* S **24** exprimit] exprimat

---

17.3 predictam] 16.1 **6** c. 12] Dan. 12:4 **10** Actuum] 8:30-1 **17** psalmista] 118(119):34 **21** illa[2]] Deut. 22:10-11 **24** ait] Jerome, *Synopsis Divinae Bibliothecae*, PL, vol. 28, col. 143-4, taken from *Epistula* LIII, CSEL, vol. 54, p. 457–8

omelia 15ª, videtur asserere, dicens, “scriptura sacra tota quidem propter nos scripta est, sed non tota intelligitur a nobis. Multa quippe in illa ita aperte scripta sunt ut pascant parvulos, quedam vero obscurioribus sentenciis ut exerceant fortes, quatenus cum labore intellecta plus grata sint. Nonnulla autem ita in ea clausa sunt ut, dum ea non intelligimus, agnoscentes infirma nostre cecitatis, ad humilitatem magis quam ad intelligenciam proficiamus”. Ex quibus verbis habetur aperte quod aliqua sunt in scripturis sacris que intelligere non valemus; loquitur enim beatus Gregorius in persona omnium viatorum, et forcium qui obscuriores noverunt elucidare sentencias. Constat quod per revelacionem quecumque scripta sunt possunt intelligi et eorum potest primus intellectus haberi. Idem eciam Gregorius, pro se et pro omnibus aliis catholicis, 3º libro *Moralium* c. 17º, loquens de amicis Iob, ait, “Utrum continuis septem diebus et septem noctibus cum afflicto Iob sederint, an certe diebus septem et noctibus totidem instancia ei crebre visitacionis adhererent, ignoramus. Sepe enim rem quamlibet tot diebus agere dicimur, quamvis non eisdem diebus ad eam continue vacemus. Sepe vero scriptura sacra sic totum pro parte sicut pro toto partem ponere consuevit”. Ex quibus verbis colligitur quod, cum scriptor libri Iob determinate intenderit loqui de septem diebus et septem noctibus continuis vel non continuis, quia de hiis vel de illis scriptura illa fuerit vera et non de utrisque, sequitur quod nos ad primum intellectum verborum illorum determinate non possumus pervenire.

Capitulum 18

Discipulus: Nolo plures allegaciones audire pro assercione prescripta, sed cupio scire quomodo respondetur ad allegaciones in contrarium superius c. 15º inductas. Ideo narra aliquas responsiones ad ipsas.

Magister: Ad primam, que consistit in hoc, quod talia essent superflue posita in scripturis divinis si primus intellectus ipsorum (antequam essent impleta) absque revelacione divina haberi non posset, respondetur quod non superflue posita sunt, quia scripta sunt ad exercitacionem, quia in talibus verbis multiplices latent sensus preter primum sensum revelantis, quos dum illi qui in exponendis scripturis divinis allegorice [et] tropologice delectant ex huiusmodi enigmatice

28 nos] vos Ed **29** nobis] vobis Ed **31** sint] sunt MF **32** ea] S: *omitted* W | non] *omitted* Ed agnoscentes] S: agnoscentis W **34** aperte] *omitted* Ly **35** omnium] omniumque MF **38** et pro] in Mz Pz **40** septem[2]] *omitted* S **41** adhererent] adheserint S **45** intenderit] intendit Pz | septem[2]] *omitted* Mz **46** vel[2]] nichil Mz **47** utrisque] utriusque Pz **48** pervenire] provenire Pz
18.10 allegorice et] Scott: allegorice W | delectant] *omitted* Ly

28 dicens] *Homiliae in Hiezechihelem Prophetam*, II.v, CCSL, vol. 142, p. 277 **39** ait] CCSL, vol. 143, III.xiii.22, p. 128 **18.5** primam] 15.2

revelatis eliciunt, utiliter occupantur, quemadmodum beatus Gregorius in *Moralibus* sibi profecit et aliis verba beati Iob diversimode exponendo, et tamen ad illum intellectum quem habuit Iob in pluribus verbis absque revelacione (nisi forte a casu) non potuit pervenire. Verba enim plura Iob modis innumeris a beato Gregorio et aliis poterant exponi, quibus tamen modis beatus Gregorius ipsa nequaquam exposuit. Et ita verba Iob plures sensus possunt habere preter illum quem habuit Iob. Quis ergo scit si beatus Gregorius sensum quem actualiter in mente Iob habuit in proferendo verba illa expressit? Non videtur quod ipsemet beatus Gregorius hoc scivit, et ideo forte aliquando beatus Gregorius ad illum sensum quem actualiter Iob intendebat verba Iob exposuit et tamen ipse hoc nescivit. Sic eciam verba Iohannis in Apocalypsi et aliorum prophetarum multos sensus possunt habere, teste beato Ieronimo, qui in prologo biblie ait: "In verbis singulis", scilicet Apocalypsis, "multiplices latent intelligencie". Sed quem intellectum habuit beatus Iohannes in eis vel Christus revelans, hoc nullus exponens Apocalypsin certitudinaliter scit, nisi cui deus revelavit.

Discipulus: Contra istud obici potest, quia verba scripture divine eodem Spiritu, scilicet Spiritu sancto, exposita sunt quo sunt scripta. Ergo eundem sensum quem habuit revelans habuerunt et exponentes. Quare exponentes verba divine scripture ad primum intellectum ipsorum pervenerunt.

Amplius, omnes sensus catholici eorundem verborum sunt eque primi, quia non est racio quod unus sit primus magis quam alius. Sed omnes sensus secundum quos beatus Gregorius exposuit verba queque Iob sunt catholici. Ergo quilibet eorum est eque primus, et ita beatus Gregorius pervenit ad primum intellectum omnium verborum Iob. Et consimili racione alii sancti exponentes Apocalypsin et alias prophecias atque queque obscura scripture divine ad primum intellectum pervenerunt.

Magister: Ad primum istorum respondetur quod, quia omne verbum est a Spiritu sancto et "omnis sapiencia a domino deo est", ut legitur Ecclesiastici 1º, ideo scripture divine, quando non erronee exponuntur, aliquo modo eodem Spiritu exponuntur quo sunt tradite; tamen quando fuerunt tradite, a solo deo fuerunt, et nequaquam virtute ingenii humani invente fuerunt. Exposiciones autem non erronee sanctorum, saltem sepe, virtute ingenii humani, assistente

17 Iob] *omitted* Ly | si] Fr: quod W | sensum] Fr: sensit W | quem[2]] Fr: quam Mz Pz, quod Ly **18** expressit] expresse Ed **22** biblie] ita *added* Ly **24** in eis] omitted Ed **25** scit] scivit Ly; *omitted* Pz **27** quo] que MF **39** aliquo…40 exponuntur] *omitted* Ly **40** tamen] Fr: sed Ly, tum W | quando] Kilcullen: quia Ly, quia quando W | fuerunt] *omitted* Ly **41** fuerunt[2]] sunt Ed

22 ait] Jerome, *Synopsis Divinae Bibliothecae*, PL, vol. 28, col. 145–6, taken from *Epistula* LIII, CSEL, vol. 54, p. 463. **26** Contra…27 scripta] Cf. 1.27 **37** primum] 18.26 **38** Ecclesiastici] 1:1

divina influencia generali, ex scripturis et racione infallibili fuerunt invente. Ideo non omnino eodem modo verba scripture divine eodem Spiritu sancto sunt scripta et a viris sanctis exposita. Propter quod exposiciones sanctorum non sunt tante auctoritatis quante sunt illa que scripta sunt in scripturis canonicis. Si tamen exposiciones huiusmodi eciam per certitudinem primum exprimerent intellectum verborum scripture divine, eiusdem essent auctoritatis, non quia ab expositoribus sunt expresse, sed quia in canone biblie reperiuntur. Sic eciam, si plures, puta 10 vel 20, magistri, lectores vel predicatores verbi dei, aut alii, hiis temporibus sacras literas exponentes, eandem auctoritatem enigmaticam et obscuram in Apocalypsi vel prophecia alia scriptam secundum diversum exponerent intellectum non erroneum sed verum et sanum, posset aliquo modo concedi quod quilibet istorum eodem Spiritu eandem auctoritatem exponeret, quia omnis sensus verus et sanus est a Spiritu sancto, a quo inspirati locuti sunt scriptores literarum sanctarum; [non tamen] eodem modo esset quelibet exposicionum huiusmodi a Spiritu sancto quo ab ipso scripture divine sunt tradite. Si eciam quilibet sensuum predictorum inveniretur sentencialiter in biblia, quamvis unus eorum in uno loco et alius in alio, quilibet eorum esset tante auctoritatis quante sunt alia que scripta sunt in biblia, non quia ab aliquo istorum exprimitur, sed quia sentencialiter in biblia reperitur; et tamen non omnis, immo forte nullus, talium sensuum esset primus intellectus et verus illius textus quem tales exponentes exponerent. Si autem nullus istorum reperiretur sentencialiter, nec implicite nec explicite, in canone biblie, tamen quilibet illorum esset verus et sanus; certum esset quod nullus esset primus sensus auctoritatis exposite a quolibet istorum, vel hoc non constaret, et tamen quilibet illorum esset aliquo modo a Spiritu sancto, cum omnis doctrina sana et que secundum pietatem est sit aliquo modo a Spiritu sancto.

Ad secundum dicitur quod primus intellectus verborum scripture divine quantum ad illa que a solo deo revelata fuerunt est ille propter quem fuerunt principaliter revelata: sicut illorum verborum que angelus dixit Danieli vel beato Iohanni vel aliis prophetis, et que eciam in propheciis inspirata fuerunt, et que

---

43 influencia] affluencia MF | invente] *omitted* MF **44** omnino] cum MF **47** eciam] *omitted* Ed primum] *omitted* Ed **49** sunt] simpliciter *added* Ed **50** dei] divini Ed **52** exponerent] exponent Pz **55** omnis] enim *added* MF **56** sanctarum…tamen] Kilcullen: sanctarum *gap* Mz; sanctarum W **57** quo] modo *added* Ed **60** ab] Ly: *omitted* W **62** textus] Ly: sensus W **64** et] omitted MF **65** sanus] Ly: et primus *added* Mz Pz; et purus et primus [et primus *deleted*] *added* Fr **66** vel] saltem *added* Ly **72** et[2]] Ly: *omitted* W

---

52 secundum…53 intellectum] This must mean "to a variety of different understandings", i.e. in the plural —as "quilibet istorum" in the next line implies. Cf. *Oxford Latin Dictionary*, "diuersus" 4b.
69 secundum] 18.30

Christus dixit discipulis suis, primus sensus est ille propter quem inspirata vel prolata fuerunt. Unde primus sensus parabolarum Christi est ille quem Christus postea discipulis suis expressit, quia propter illum principaliter protulit eas; et tamen multos alios sensus possunt habere. Quantum autem ad illa verba scriptu-re divine que homines, sive boni sive mali, dixerunt, primus intellectus est ille quem in mente habuit ille qui protulit, sicut primus intellectus probleumatis Sampsonis fuit ille quem actualiter cogitavit. Quod tamen probleuma sub eisdem verbis potuisset, et adhuc posset, alius proponere et alium intellectum habere, qui intellectus esset primus intellectus eiusdem proferentis. Et ita alius esset intellectus probleumatis Sampsonis in quantum prolatum fuit ab ipso, et alius esset intellectus eorundem verborum si alius eadem verba sub alio intellec-tu proferret: quemadmodum istorum verborum non variatorum, “Rex precepit fures suspendi”, alius communiter est intellectus primus eorum qui proferunt ea in Francia, et illorum qui proferunt ea vel scribunt in Anglia, et illorum qui proferunt ipsa in Castella, quia Franci communiter intelligunt ipsa de rege Francie, Anglici de rege Anglie, et alii de rege Castelle, et audientes ipsa in diversis regnis diversum ex eis capiunt intellectum. Si autem eadem verba proferuntur in civitate vel patria que, secundum veritatem vel secundum opinio-nem hominum, nulli regi est subiecta, audiens ipsa ex ipsis verbis precise ad primum intellectum proferentis pervenire non posset, quia non posset scire an intelligeret de rege Castelle vel alio, propter hoc quod ista verba proferens potest intelligere de uno rege vel de alio secundum quod sue fuerit placitum voluntati, cuius voluntas ab alio sciri non potest nisi deus vel ipsemet sibi voluerit revela-re. Et si duo vel plures proferant verba predicta et de diversis regibus ipsa intelligant, alius erit intellectus primus istorum verborum inquantum proferuntur ab uno et inquantum proferuntur ab alio.

Capitulum 19

Discipulus: Adhuc dupliciter obiciam contra predicta. Non enim videtur bene dictum quod beatus Gregorius non pervenerit ad primum intellectum verborum beati Iob, quia de multis verbis Iob que non debent ad literam sed mistice dumtaxat intelligi — sicut de illis, “Pereat dies in qua natus sum”, et de multis aliis — asserit manifeste quod Iob ipsa intellexit sicut ipse exponit, quod non fecisset nisi scivisset illum fuisse primum intellectum Iob, quia secundum predicta ille est primus intellectus verborum alicuius quem proferens actu habet in mente.

---

87 intelligunt] intellexerunt Pz, intelligerent Ly **94** sue] *omitted* Ly **19.2** predicta] predictam Pz

---

19.3 dictum] 18.11 **5** illis] Job 3:3 **8** predicta] 16.4 ff.

Rursus, secundum predicta multa essent verba in scriptura divina que — quamvis legi possint et debeant ad edificacionem plebis et convertendo ipsa in sensus morales et alios qui ab eis ab ingeniosis hominibus accipi valent, quemadmodum fabule poetarum et aliorum fingencium bruta fuisse locuta et multa tractasse, atque alie, utiliter applicari possunt ad mores informandos — tamen ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam, et ad roboranda illa que in contencionem veniunt et ad firmandam fidem in re dubia essent nullatenus alleganda, cum primus intellectus ipsorum haberi non possit, et alii intellectus eorum authentici minime sint putandi nisi per alias scripturas vel asserciones que refelli non debeant valeant demonstrari. Cuius tamen contrarium sanctos patres fecisse cognovimus. Augustinus enim ad Bonifacium, et habetur 23ª, q. 6ª, c. *Scismatici*, per "vias et sepes", de quibus loquitur Christus Luce 14º, intelligit hereses et scismata, volens per eadem verba probare quod heretici et scismatici intrare ecclesiam sunt cogendi. Et tamen per vias et sepes ita possunt intelligi alia crimina sicut hereses et scismata; unde et alii criminosi sunt per severitatem ecclesiasticam coercendi. Nec habetur quod Christus ibi per vias et sepes intellexerit hereses et scismata. Innocencius eciam tercius, ut habetur Extra, *De maioritate et obediencia*, *Solite*, et alii plures, per illa verba dicta Ieremie, 1º, "Ecce constitui te hodie super gentes et super regna", probant quod imperium sacerdocio est subiectum, et tamen quod illa verba Ieremie, 1º, de papa respectu imperii debeant intelligi nequaquam revelatum est a deo.

Magister: Ad primum istorum respondent quidam dicentes quod quemadmodum literatus quidam in libro quem de prestigiis fortune composuit sepe tali exposicione et modo loquendi usus est, "contigit", id est contingere potuit, "quandoque eveniet", id est si quando evenire contigerit, sic eciam beatus Gregorius, cum sepe sentencialiter dixit "Iob dixit", "intellexit" vel "dicere voluit", nichil aliud dicere intendebat nisi quod Iob sic intelligere potuit, sed quod actualiter Iob sic intellexerit non intendebat asserere. Et ad hoc designandum sepe tali modo utitur beatus Gregorius, "Aliter possint verba Iob intelligi", per hoc insinuans quod sepe non intendebat asserere cum dixit "Sic intellexit Iob" quod tunc Iob in mente talem habuit intellectum, sed quod talem habere poterat intellectum. Sic eciam multi predicantes et exponentes sacras

11 et[2]] in Fr **12** ab[1]] Scott: absque W **14** possunt] Fr: possint W **20** et] ut Ed **21** sepes] scismaticos intelligit *added* Ed | quibus] Scott: huiusmodi W **22** intelligit] Kilcullen: inter W | et scismatici] *omitted* Ed **27** dicta] omitted MF **31** respondent] respondetur MF **32** quem] *omitted* MF **34** sic] si MF **38** modo] loquendi *added* Ly | possint] possunt Ed

21 Scismatici] C.23 q.6 c.1, §5, col. 948 | Luce] 14:23 **27** Solite] X 1.33.6, §3, col. 198 **28** Ieremie] 1:10 **31** primum] 19.2 **32** literatus…34 contigerit] Peter of Blois, PL vol. 207, col. 12B (Knysh).

scripturas de diversis sanctis viris et feminis vel alia determinata materia tali modo loquendi utuntur, “De hoc sancto prophetavit vel locutus est Isaias” vel Ieremias vel alius propheta aut alius scriptor alicuius partis scripture canonice, et tamen, si recte sapiunt, non intendunt quia tunc propheta vel alius in mente de tali sancto vel materia loqui volebat, sed quod intelligere poterat aut quod de tali materia talia verba possunt intelligi. Et ad hoc designandum intelligentes frequenter talibus verbis utuntur, “Talia verba scripture divine de hoc vel de hoc possunt exponi”.

Discipulus: Possuntne adduci aliqua exempla ex scripturis pro tali modo loquendi?

Magister: Videtur quibusdam quod sic. Unde Exodi 8º dicitur de magis Pharaonis, “Feceruntque similiter malefici incantacionibus suis, ut educerent sciniphes”, id est facere conati fuerunt. In Iob eciam dicitur, “Quis restitit” deo, id est resistere voluit, “et pacem habuit?” Si enim “restitit” ponitur pro “resistere voluit” et “fecerunt” ponitur pro “facere conati” fuerunt, videtur quod “intellexit” possit poni pro “intelligere potuit”.

Discipulus: Dic quomodo respondetur ad secundam obieccionem quam adduxi.

Magister: Nonnulli concedunt quod verba scripture de quorum primo intellectu per certitudinem non constat adduci ad probandum per illa sola que in contencionem veniunt <aliorum> non debent. Ad manuducendum tamen, et ad persuadendum vel aliquo modo declarandum aliquid de quo est contencio, sub aliquo sensu sano non erroneo adduci possunt, quemadmodum ad persuadendum aliquo modo articulos fidei et eciam ea que per solam revelacionem possunt cognosci raciones et argumenta a sanctis et aliis adducuntur, que tamen ad probandum huiusmodi sufficienter allegari non debent. Et ideo, quemadmodum sancti similitudines et naturales raciones assumunt ad declarandum quomodo tres persone sunt unus deus, et quomodo corpus Christi vere est in sacramento altaris, et similia, sic eciam sanctus Augustinus per verba Salvatoris de viis et sepibus voluit declarare quod heretici et scismatici intrare ecclesiam sunt cogendi. Si tamen de hoc esset apparens contencio, per illam solam auctoritatem Christi sufficienter probari non posset. Sic eciam per verba divina dicta Ieremie, ut allegatum est supra, declarari potest quod imperium est aliquo modo indignius sacerdocio et summo pontificatu, quod tamen per verba illa ostendi non

54 id est[1]] idem Ed **60** non] *omitted* MF | adduci] *omitted* MF | per[2]] *omitted* Ed **61** veniunt] Scott: veniunt aliorum W **67** sancti] sunt MF | et] *omitted* MF | assumunt] indigent MF **72** Sic] si MF

52 Exodi] 8:18 **54** Iob] 9:4 **58** secundam] 19.10 **73** supra] 19.28

posset nisi aliunde constaret, quemadmodum per quasque similitudines et raciones naturales a sancto Augustino et aliis quibusque adductas sufficienter declarari non posset quod tres persone sunt unus deus, eciam apud Christianos, nisi per alium modum certitudinem ipsius acciperent. Propter quod, ut quidam putant, per illa verba Ieremie non potest ostendi quod imperium est a papa vel quod imperator aut alius rex quicumque est vasallus pape, nec aliquid aliud, nisi quod per alias vias potest sufficienter ostendi. Sic generaliter aliqui arbitrantur quod per nullum sensum misticum cuiuscumque auctoritatis scripture divine potest aliquid sufficienter ostendi nisi constet quod idem sensus misticus est primus intellectus scribentis aut revelantis vel docentis, vel nisi alibi in scriptura sacra tamquam sensus primus sentencialiter habeatur, aut per viam aliam manifestam irrefragabiliter possit ostendi. Ex quo videtur posse concludi quod de stulta temeritate excusari non possint qui per solos sensus misticos scripture divine, quos nec ex aliis locis scripture possunt argumento evidenti inferre, nec per racionem irrefragabilem possunt concludere, nec per certam et specialem ac miraculosam revelacionem certificati sunt de ipsis, aliqua futura contingencia audent predicere, vel quando futura evenient que absque determinacione temporis in sacris literis sunt predicta asserere non formidant, vel queque alia non metuunt affirmare que per aliam viam indubiam et apertam manifestare non possunt. Cuilibet enim tali videtur Iohannes Apocalypsis ultimo comminari cum dicit, “Si quis apposuerit ad hec, apponet deus super illum plagas”. Cui Salomon videtur alludere cum ait, Proverbiorum 30º, “Ne addas quidquam verbis illius, et arguaris inveniarisque mendax”. Tales enim, temerarii et pravitati heretice propinqui, credentes se ad omnium contentorum in scripturis sacris primum posse pertingere intellectum, minime imitantur humilitatem beati Augustini, qui, quamvis fuerit in scripturis supra alios eruditus, fatetur se non omnia intelligere que in scripturis diligentissime legit. Unde pertractans, 20º *De civitate dei*, verba beati Pauli Apostoli 2ª ad Thessalonicenses 2º, ubi dicitur, “Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore” et cetera, ait: “Quid autem ait, ‘Et nunc quid detineat scitis’, id est quid sit in mora, que causa sit dilacionis eius, ‘ut reveletur in suo tempore’, scitis: quoniam hoc scire illos dixit, aperte hoc dicere noluit. Et ideo nos, qui nescimus quod illi sciebant, pervenire cum labore ad id

75 quasque] quasdam Ed | et] *omitted* MF **77** apud] *omitted* MF **87** possint] Scott: possit W **90** certificati] specificati Mz **95** super] semper Pz **96** Ne] nec Ly | addas] cadas Pz | quidquam] Ly S: quicquid W **103** Quid] quod S **104** scitis] Ly S: scies W | in mora] S: *omitted* W; *gap added* Mz | dilacionis] dileccionis Pz **105** hoc[1]] *omitted* S **106** noluit] S: voluit W

81 aliqui arbitrantur] Cf. Brev. 5.3, p. 223 ff; Thomas Aquinas, Summa, 1 q.1 a.10 ad 1; John of Paris, c. 14, p. 144.25-7, c. 18, p. 167.19-23. **94** Apocalypsis] 22:18 **96** Proverbiorum] 30:6 **102** 2 ad Thessalonicenses] 2:6-8 **103** ait[1]] *De civitate dei* XX.xix, CCSL, vol. 48, p. 731

quod sensit Apostolus, cupimus non valemus; presertim quia et illa que addidit hunc sensum faciunt obscuriorem. Nam quid est, 'Iam enim mysterium iniquitatis operatur. Tantum qui modo tenet teneat, donec de medio fiat; et tunc revelabitur iniquus'? Ego prorsus quid dixerit me fateor ignorare". Quod in epistola ad Ieronimum, et habetur dist. 9ª, c. *Ego solis*, insinuare videtur dicens, "Si aliquid in eis", scilicet scripturis canonicis, "offendero quod videatur contrarium veritati, nichil aliud <existimo> quam mendosum esse codicem, vel non esse assecutum interpretem quod dictum est, vel me minime intellexisse, non ambigam".

Discipulus: Verba predicta de apponentibus et addentibus aliqua contraria verbis scripture divine debent intelligi, non de apponentibus et addentibus que ex aliis locis scripture nequeant extrahi evidenter. Aliter enim sancti patres quamplura verba scripture mistice exponendo graviter deliquissent. Immo videtur quod per verba Salvatoris possit ostendi quod verba huius[modi] scripture aliter quam per revelacionem miraculosam possint intelligi, cum ait discipulis suis, Matthei 24º, "Cum videritis abominacionem desolacionis, que dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto: qui legit, intelligat". Ex quibus verbis colligitur quod Christus insinuavit aperte intellectum primum prophetie Danielis de qua ibi fit mencio aliter quam per revelacionem miraculosam posse haberi.

Magister: Ad hoc respondetur quod quadrupliciter potest aliquid addi scripturis divinis. Quia potest addi aliquod falsum; potest eciam eis apponi verum, non tamen tamquam primus intellectus scripture; potest eciam eis addi verum tamquam primus intellectus ipsarum possibilis haberi ex sola meditacione scripturarum, supposita influencia divina; potest eciam eis addi verum tamquam primus intellectus haberi possibilis per revelacionem vel per alicuius facti novi exhibicionem apertam.

Qui primo modo aliquid apponit vel addit scripturis divinis quandoque pertinax hereticus est censendus, quandoque vero errans solummodo, est putandus, secundum diversitatem falsi quod additur et eciam secundum varietatem adhesionis addentis.

---

107 non] nec S **110** Quod] quid Ed **111** ad Ieronimum] Scott: ad romanos Ed, contra ad solum MF | et] ut Ed **112** offendero] S: ostendere MF, ostenderetur Ed **113** existimo] *omitted* S | quam] vel *added* S | codicem] comitem MF **114** vel] S: quod W **117** que] *omitted* MF **119** quamplura] complura Ly **120** huiusmodi] Scott: huius W **123** stantem] S: stante W **124** prophetie] Scott: prophete W **125** qua] quo Ly **127** potest'] Ly: aliquid *added* W **133** apponit] apponet Mz Pz

---

111 Ego solis] D.9 c.5, col. 17 **116** predicta] 19.95 ff. **122** Matthei] 24:15; cf. Dan. 9:27, 12:11

Si vero apponatur eis aliquod verum quod non est primus intellectus scriptu-re, non tamquam primus intellectus sed solummodo tamquam verum, nequa-quam scripture contrarium sed tamquam edificans ad salutem vel aliquo modo ad declaracionem catholice veritatis, laudabiliter addi potest, et sic sancti verita-tes plurimas sacris literis addiderunt.

Tercio modo potest addi aliquid scripturis tamquam primus intellectus possibilis haberi ex meditacione scripturarum. Et si vere sic potest haberi, laudabiliter addi potest, quia sic addere non est aliud quam dicere explicite et aperte quod scriptura dicit implicite et latenter. Si autem talis intellectus vere ex scripturis haberi non potest et tamen apponitur tamquam primus intellectus, falso apponitur et aliquando apponens tantummodo errans, aliquando hereticus est censendus. Asserere enim pertinaciter aliquod verum esse primum intellec-tum scripture divine qui non est, sapit heresim manifestam, quia, quamvis verum quod apponitur non sit falsum nec contrarium catholice veritati, tamen assercio qua dicitur esse primus intellectus scripture est erronea atque falsa.

Quarto modo potest aliquid addi scripturis tamquam primus intellectus dummodo habeatur per revelacionem vel per exhibicionem apertam novi facti, ut sancti apostoli per revelacionem novam plurium parabolarum Christi a Christo exponente ipsas acceperunt primum intellectum. Sic eciam discipuli videndo statuam Cesaris poni in templo poterant accipere primum intellectum prophecie Danielis. Sic eciam discipuli, ut habetur Iohannis 2º, videntes Christum resurrexisse a mortuis, ceperunt intellectum illorum verborum Christi, “Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud”. Post hec enim verba ibidem subiungitur, “Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius quia hoc dicebat, et crediderunt scripture et sermoni quem dixit Iesus”.

Capitulum 20

Discipulus: Ut expediamus nos de ista materia, narra quomodo respondetur ad secundam obieccionem quam c. 15º induxi.

Magister: Respondetur ad ipsam quod, sicut scriptura sacra, et in locis planis et aliis obscurioribus (quorum tamen primus virtute ingenii humani potest accipi

143 potest haberi] *omitted* Pz **144** potest] ad ea *added* Ed **147** apponens] est *added* Ed **148** pertinaciter] Ly: est *added* W | aliquod verum] aliquid Ed **149** qui] quod Ly | est] *omitted* Pz | sapit] sapere Mz **154** ut] et Mz, eciam Fr **159** verba] verbis MF **160** Cum] dum Ly **161** resurrexisset] S: resurrexit W

156 videndo…157 Danielis] Cf. 19.122 **157** Iohannis] 2:19 **160** ibidem] 2:21-2 **20.3** secundam] 15.14

intellectus), pie legentibus fructuosa existit, licet aliis occasio sit errandi (unde et communiter omnes heretici hereses suas in scripturis divinis fundare conati sunt), sic eciam illa quorum primus intellectus absque revelacione haberi non potest salubria sunt et utilia legentibus ea non ad capiendum primum intellectum ipsorum sed ad humilitatem et alios sensus misticos capiendos, licet periculosa et mortifera sunt superbis atque stultis, qui alciora se querunt et temere investigant que minime apprehendere valent.

Capitulum 21

Discipulus: Quia opinio supra 1º c. huius tercii recitata, quamvis concedat quod scripturis canonicis et determinacionibus generalium conciliorum sit certa credulitas adhibenda, tamen hoc generaliter negat de scripturis aliis quibuscumque, ideo videamus an illa sit consona veritati. Primo autem pone opinionem cum motivis eiusdem.

Magister: Opinio predicta ponitur et probatur in hec verba:

> Quod autem scripturis aliis, que scilicet humano spiritu revelate sunt et tradite, nemo certam credulitatem aut veritatis confessionem prebere teneatur, apparet. Quoniam nulli scripture falsum signare potenti tenetur quis firmiter credere aut ipsam tamquam veram simpliciter confiteri. Hoc autem paciuntur scripture innitentes humane invencioni singularis persone aut collegii parcialis. Possunt enim a veritate deficere, ut experiencia palam, et habetur in Psalmo 115º, "Ego autem dixi in excessu meo: omnis homo mendax". Scripture vero canonice non sic, quia non sunt ab humana invencione, sed immediata dei tradite inspiracione, qui non potest falli nec fallere vult.
>
> Hanc autem sentenciam et differenciam humanarum et divinarum scripturarum aperte confirmat Augustinus, 13ª epistolarum ad Ieronimum, cum dixit, "Ego enim fateor caritati tue, solum omnium scripturarum libris que iam canonice appellantur didici hunc honorem timoremque deferre, ut nullum earum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offeratur literis quod videatur

20.11 temere] *omitted* Ed **21.2** huius tercii] *omitted* Ed **4** tamen] cum MF **5** illa] necessaria *added* MF **7** Opinio predicta] *omitted* MF **8** revelate] revelante Ed | et] S: *omitted* W **10** apparet] aperiet MF | signare] Mz Pz: significari Fr, signari Ly, significare **14** experiencia] experienciam Ly | palam] est *added* Ed | et] S: *omitted* W | habetur] eciam *added* Ed **16** immediata] S: immediate W | qui] Ly S: que MF Pz **17** non] nec S **18** autem] S: enim W; quam diximus *added* S **20** Ieronimum] S: iohannem W | tue] omnino *added* Ed | solum] solis eis Augustine; ex *added* Ed | omnium] enim S **21** canonice] canonici Augustine **22** earum] eorum Augustine | auctorem] auctorum Augustine **23** aliquid] *omitted* Ed | offeratur] offendero Augustine

11 alciora…querunt] Cf. Ecclesiasticus 3:22 **21.2** supra] 1.19 **8** Quod…51 ibidem] Marsilius, II.xix.4-7 **14** Psalmo] 115(116):11 **20** dixit] Augustine, *Epistola* lxxxii, CSEL, vol. 34, p. 354

contrarium veritati, nichil aliud quam vel mendosum esse codicem vel interpretem non assecutum esse quod dictum est vel me minime intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego ut, quantacumque sanctitate doctrinaque prepolleant, non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia michi vel per illos auctores canonicos vel probabili racione quod a vero non aberret persuadere potuerunt". Hoc idem replicat et admonet in prologo 3ii *De Trinitate,* cum dixit, "Noli", lector scilicet, "meis literis quasi scripturis canonicis inservire; sed in illis et quod non credis, cum inveneris, incunctanter crede. In istis autem quod certum non habeas, nisi certum intellexeris, noli firmiter tenere". Idem quoque dixit in epistola ad Fortunacianum et aliis plerisque libris. Id quoque videtur sensisse Ieronimus in *Exposicione Catholice Fidei* cum dixit, "Novum et vetus testamentum recipimus in eo librorum numero quem sancte catholice ecclesie tradidit auctoritas".

Augustinus ergo scripturas proprias a canonicis separavit; nec ipse, qui tante fuit sanctitatis, auctoritatis et sciencie, suas tradiciones canonicas appellare presumpsit. Hoc enim impium est et sacrilegii modus quidam, quoniam in humana tradicione dicta vel scripta error et falsum contingere potest, quod in canone secundum veritatem dicto aut eiusmodi, quam per generale concilium canonice scripture interpretacionem factam diximus, nullatenus evenire contingit.

Propter quod eciam ex concilio Carthaginensi 3o prohibitum reperitur racionabiliter valde, ne sub nomine harum, canonicarum scilicet, alie quevis scripture legantur. Unde legitur ibidem, et in Isidori codice continetur series hec: "Item placuit ut preter scripturas canonicas nichil in ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum. Sunt autem canonice scripture: Genesis" et cetere que de volumine biblie numerantur ibidem.

Capitulum 22

Discipulus: Primo contra istam assercionem nitere allegare.

---

26 quantacumque] quanta libet Augustine **27** verum] verbum MF | putem] prime Fr Mz? | ipsi] S: ipsum MF, *omitted* Ed **28** senserunt] Ly S: censerunt W **29** aberret] S: haberent Mz, habuerunt Fr, abhorrent Ed, abhorreat Augustine | potuerunt] poterant sed Ed **30** 3] S: libri Ly, libro W scilicet] sic Ly **31** illis] id est canonicis *added* S **32** credis] credebas Augustine | quod] scilicet meis *added* Ly **33** habeas] habebas Augustine **36** quem] S: quod MF Pz, quot Ly **38** scripturas] sacras *added* Pz **40** et] *omitted* Pz **41** in] S: *omitted* MF; circa Ed **42** aut eiusmodi] et eidem modi MF | aut…43 diximus] *omitted* Ed **46** racionabiliter] S: *gap* Mz, *omitted* Fr Ed

---

30 dixit] *De Trinitate,* III Prooem., CCSL, vol. 50, p. 128 **33** dixit] Cf. D. 9 c. 10, col. 18, and Augustine, CSEL, vol. 44, p. 344-5 **35** Ieronimus] Ps.-Hieronymi *Symboli explanatio ad Damasum*, Opera, vol. 5, c. 122 (Paris 1706) (Previté-Orton) **47** Isidori] Ps-Isidore, *Decretals*, ed. Hinschius, pp. 297, 301 (Previté-Orton)

Magister: Nonnullis apparet quod ex ipsa possint plures absurditates inferri, quarum prima est quod ex quo scriptores scripture canonice de hoc seculo migraverunt, nullorum mortalium scripturis credulitas est prebenda, et ita nulli mortales essent ad ferendum testimonium admittendi in quocumque casu. Quante autem et quot absurditates ex ista sequuntur nullus sane mentis ignorat. Quod autem ista absurditas ex assercione prescripta sequatur manifestum apparet, nam quorum scripturis quibuscumque non est prestanda certa credulitas, ipsorum in verbis minime est credendum, quia qui potest falsum asserere in scripto, in solo verbo falsum asserere potest.

Secunda absurditas: quod nulli historie, nulli legende cuiuscumque sancti, nullis gestis de summis pontificibus, aliis clericis, imperatoribus, regibus et aliis hominibus, fidelibus vel infidelibus, que non in scripturis canonicis sed in aliis scripturis habentur est credendum. Ex quo ulterius concludetur quod dubitare licet an (preter episcopos, imperatores et reges in quibuscumque partibus orbis terrarum de quibus in scriptura divina et conciliis generalibus fit mencio, et preter illos quos scimus nunc et vidimus presidere) umquam fuerint alii quemcumque fidelem vel infidelem populum gubernantes; vel saltem dubitare de quolibet in speciali non erit illicitum, cum de aliquibus ipsorum validiori testimonio quam per scripturam non canonicam constare non possit. Sequitur eciam quod nulli esset illicitum credere quod, postquam scripta est scriptura canonica, deus nullum fecit miraculum quod ipse non vidit vel non cognoverit per se ipsum, quia forciori testimonio quam per scripturas sanctorum patrum, que tamen non sunt canonice, sibi liquere non potest. Ex quo concluditur ulterius quod dubitare licet an quicumque canonizati per Romanam ecclesiam sint legitime propter vitam et miracula cathalogo sanctorum adscripti, quia potissime de hoc liquet per legendas ipsorum.

Alia absurditas sequitur, quod videlicet libris antiquis, instrumentis productis ex archivis publicis, et scripturis que facte sunt calumpniis et aliis quibuscumque que non reperiuntur in biblia, fides esset nullatenus adhibenda, cuius contrarium in sacris canonibus et legibus imperialibus reperitur expresse. Ex hac enim absurditate infertur aperte quod per huiusmodi libros, instrumenta et scripturas numquam esset ferenda sentencia, quia per illas scripturas quibus non est adhibenda fides sentencia ferri non debet, sicut nec est ferenda sentencia per testes quibus credere non oportet.

22.5 mortalium] moralium MF | scripturis] *omitted* MF | credulitas] incredulitas MF **6** mortales] morales MF **8** manifestum] manifeste Ed **12** quod] que MF **14** canonicis] continentur *added* Ed **15** habentur] *omitted* Ed **20** quolibet] Fr: alio *added* W | de aliquibus] aliquis MF | ipsorum] fuerit *added* MF **21** non[1]] *omitted* Ed **22** canonica] divina Ed **24** quia] nec Ed **25** non[2]] *omitted* Ed | ulterius] *omitted* Ed

Capitulum 23

Discipulus: Iste allegaciones contra prescriptam assercionem ad presens sufficiant. Nunc dic quomodo respondetur ad motiva eius.

Magister: Ad primum, cum dicitur quod nulli scripture falsum significare potenti tenetur quis firmiter credere aut ipsam tamquam veram simpliciter confiteri, respondetur quod si ista proposicio intelligeretur de scriptura <vel de scriptore> posset concedi aliquo modo, quia scripture false, presertim postquam constiterit quod ipsa est falsa, adhibere fidem non debet hoc sciens. Sed multe sunt scripture non canonice que hoc minime paciuntur, nec quod hoc paciantur per experienciam constare potest. Multe enim sunt scripture non solum sanctorum patrum sed infidelium philosophorum et aliorum, immo et hereticorum, in quibus nullum falsum poterit reperiri. Quamvis enim heretici in quibusdam scripturis erraverint, quidam tamen eorum in quibusdam aliis nullatenus erraverunt. Unde et Origines, licet (ut fertur) turpissime erraverit, sicut recitat beatus Augustinus, 11º *De civitate dei*, tamen in multis scripturis eius nullus error apparet. Et ideo multis scripturis infidelium licet adhibere fidem.

Sed si intelligatur de scriptore — ut videlicet quamvis alicui scripture alicuius non scriptoris scripture canonice adhibenda sit fides, non quia a tali scriptore est scripta, sed quia per scripturas canonicas aut per racionem naturalem potest ostendi quia nullam contineat falsitatem, tamen ipsi scriptori potenti falsum asserere seu significare non tenetur quis firmiter credere, et ideo scripturam eius non est necesse tamquam veram simpliciter confiteri nisi possit aperte probari quod est consona scripturis canonicis vel racioni evidenti naturali — maiorem apparenciam habere videtur. Et tamen sic intellecta a veritate aliena videtur.

Ad cuius declaracionem dicitur esse sciendum quod, sicut secundum iura canonica et alia, alia est presumpcio in cuius contrarium est aliqua probacio admittenda, et alia in cuius contrarium nulla probacio est admittenda, ita potest aliquis alii homini vel assercioni credere et ipsam confiteri tamquam veram dupliciter, quia vel credulitate tam certa ut nullam velit in contrarium probacionem admittere vel audire, aut credulitate firma non tamen tam certa quin reputet

---

23.4 significare] significari Ed **6** scriptura] Kilcullen: scriptura vel de scriptore W **7** false] aliquo modo *added* Ed **8** ipsa est] potest esse MF **9** hoc[2]] minime *added* Ed **18** alicuius] scilicet *added* Ly **21** scripturam] scriptura MF **22** eius] Ly: quamquam *added* W | possit] posset MF **27** alia[2]] aliqua Ed

---

23.4 primum] 21.10 **15** Augustinus] *De civitate dei*, XI.xxiii, CCSL, vol. 48, pp. 341-2
27 presumpcio] On presumption see above, 9.76.

quod sit probacio in contrarium audienda, si quis fide dignus offerat se contrarium probaturum.

Primo modo nulli scriptori cuiuscumque scripture non canonice in omnibus dictis aut scriptis eius est credendum. Alicui tamen assercioni eius taliter credere licet et oportet in quatuor casibus: puta, si assercio eius patenter et aperte per scripturas canonicas, per assercionem universalis ecclesie, per racionem naturalem evidentem (presertim consonam catholice fidei vel bonis moribus), aut per apertum miraculum possit ostendi.

Secundo modo pluribus aliis quam scriptoribus scripture canonice in multis aliis quam in predictis quatuor casibus est credendum, quia summis pontificibus, conciliis generalibus, et aliis sanctis episcopis et doctoribus atque fide dignis viris et ab ecclesia probatis, quantum ad ea que facti sunt — que videlicet per se ipsos vel per alios fide dignos quibus credere tenebantur potuerunt cognoscere. Et peccat qui eis non credit, quia reverenciam quam deus tantis viris adhibuit denegare presumit; qui enim eis et huiusmodi non crederet dubitaret an scienter in huiusmodi mentirentur, et ita sine causa ipsos non crederet esse veraces. In huiusmodi ergo credendum est eis. Propter quod non solum per testes sed eciam per libros antiquos et instrumenta que de falsitate convinci non possunt et per scripturas antiquorum licite iudex fert sentenciam, et peccaret si non ferret. Quantum autem ad illa que pure sunt sciencie et non facti, scripturis sanctorum patrum et auctorum ac consiliorum est reverencia exhibenda, quia doctrina eorum minime est spernenda sed sollicite attendenda et cum diligencia audienda, presertim cum de aliquo pertinente ad fidem vel mores queritur veritas de quo in scripturis suis tradiderunt quod senserunt; et qui doctrinam eorum (cum posset) negligeret legere, si erraret de temeritate plectibili esset merito arguendus, quia, contra preceptum Salomonis, prudencie seu pericie proprie convinceretur inniti. Doctrina insuper eorundem, si in aliqua sui parte videatur contraria veritati, pie et sane exponenda est, si potest, et ad verum intellectum trahenda. Et quamvis ad sanum intellectum trahi non possit, non sunt statim de heretica pravitate notandi, licet errantes debeant reputari.

Nonnullis apparet tamen quod, quantum ad decretales et constituciones ac diffiniciones sollempnes summorum pontificum et aliorum episcoporum ac generalium provincialium et episcopalium conciliorum, et eciam capitulorum et collegiorum quorumcumque, intendencium alios ad suam assercionem firmiter

35 scriptis] scripturis Ed **47** mentirentur] mentiretur MF **49** que de] de qua Mz **56** erraret] et *added* MF

57 preceptum] Cf. Prov. 3:5

defensandam cogere et artare, et quantum ad alias scripturas eorundem et aliorum, est discrecio facienda. Quia si in primis scripturis invenitur aliquid catholice veritati contrarium, statim auctores eorum sunt heretici reputandi, quia de pertinacia ex hoc ipso quod cogunt alios suo errori pertinaciter adherere possunt manifeste convinci. Si in aliis error aliquis reperitur cuius contrarium tenens vel scribens eundem errorem non tenetur explicite credere, non est statim auctor huiusmodi scripture erronee hereticus iudicandus, sed est de pravitate heretica excusandus, nisi per alios modos, de quibus multa diximus in prima parte istius dialogi, libro 4º, de pertinacia convinci valeat apertissimis documentis.

Porro licet viri huiusmodi venerabiles in aliquo aperte convincantur errare, et ideo liceat eis qui de hoc sunt certi ipsos quantum ad hoc negare et improbare, in aliis tamen quibuscumque de quibus non est certum ipsos errare presumendum est pro dictis eorum, ita ut absque temeritate culpari non possint, neque in genere neque in specie, et quanto plures virorum huiusmodi in aliqua sentencia concordaverint tanto magis presumendum est pro eadem, non tamen sic quin in contrarium valeat audiri probacio. Et quamvis in hiis que pure sunt sciencie seu pericie presumendum sit pro huiusmodi scripturis ipsorum, tamen forcius presumendum est pro scripturis eorundem quantum ad illa que facti sunt, quia forcius presumendum est ipsos nolle mentiri quam per raciocinaciones non esse deceptos. Et ideo in hiis que facti sunt, presertim de hiis que per se ipsos se insinuant cognoscere, tenetur quilibet credere ipsis, nisi per fide digniores de contrario certus existat.

Discipulus: Contra predicta obici potest, quia non est necesse credere alicui testimonio per quod infallibilis certitudo haberi non potest. Sed per humanum testimonium non potest haberi infallibilis certitudo, eciam cum de aliquo testimonium perhibet multitudo, teste Moyse, immo deo per Moysen, Exodi 23º, qui ait, “Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sentencie, ut a vero devies”. Ergo non est necesse credere humano testimonio cuicumque, et per consequens non est necesse credere quibuscumque scripturis illorum quorum testimonium est humanum tantummodo reputandum, cuiusmodi sunt scriptores omnes preter illos qui scripturas scripsere divinas.

Magister: Ad hoc respondetur quod sepe necesse est credere testimonio quamvis per ipsum infallibilis certitudo haberi non possit, saltem credulitate illa contra quam, non obstante quod dubitacione careat, debeat aut possit admitti

70 aliis] illis Ed **74** documentis] ostendi *added* Mzb Fr **82** sit] est Ly **98** credulitate] credulitas MF

91 Exodi] 23:2

probacio. Alioquin in nullo negocio quibuscumque testibus qui non sunt confirmati in gracia universali ecclesie esset credendum. Quare propter testimonium huiusmodi numquam esset a iudice contra aliquem ferenda sentencia. Sepe igitur testimonio fide dignorum omni excepcione maiorum, qui reprobari aut convinci de falsitate non possunt, est credendum, quamvis per ipsum certitudo infallibilis haberi non possit. In huiusmodi enim sufficit certitudo possibilis et sufficiens quamvis non sit infallibilis. Cum autem accipitur quod per testimonium humanum certitudo infallibilis haberi non potest, respondetur quod quamvis per humanum testimonium precise, excluso omni testimonio speciali divino, infallibilis certitudo haberi non possit, tamen concurrente divino testimonio per humanum testimonium certitudo infallibilis potest haberi, et nonnumquam per divinum testimonium possumus esse certi quod humanum testimonium debet infallibile reputari. Si enim humanum testimonium per divinum miraculum approbetur, de infallibilitate eius debemus esse certi. De quo eciam infallibiliter possumus esse certi si ab universali ecclesia, presertim in hiis que sunt necessaria ad salutem, fuerit approbatum, propter promissionem Christi, ex qua colligitur quod Christus numquam deficiet ecclesie in hiis que sunt necessaria ad salutem.

Capitulum 24

Discipulus: Sufficiant ista ad presens de allegacione prescripta. Ideo dic qualiter ad auctoritates sequentes opinio memorata respondet.

Magister: Quantum ad auctoritates Augustini et Ieronimi, primo respondet quoad hominem, dicens quod contrarium opinantes ipsos nequaquam allegare deberent, cum teneant quod non est necesse credere aliis scripturis quam canonicis que in biblia continentur. Quare vel frustra predictas auctoritates allegant, vel opinionem propriam facto negant, cum allegando Augustinum et Ieronimum pro opinione sua firmanda facto ostendant quod auctoritatibus Augustini et Ieronimi, qui non fuerunt scriptores alicuius partis biblie, est credendum.

Ad rem autem respondet dicens primo ad auctoritatem Augustini ad Ieronimum quod intencio Augustini ibidem est quod universaliter, absque omni

100 probacio] eciam *added* MF **101** gracia] plus quam *added* Ly **102** numquam] non Ed **103** qui] Ly: que Mz Pz, que qui Fr **104** possunt] potest Mz Pz **107** infallibilis] *omitted* Ed **109** tamen] cum MF **110** per…testimonium] *omitted* Ly **24.4** respondet] respondetur Ly **8** et] *omitted* MF **9** et Ieronimi] *omitted* Ed **11** respondet] respondetur Ly | dicens] *omitted* Ed | ad[2]] aut Ly | Ieronimum] hieronymi Ly

101 universali ecclesie] Dative of agent? **103** omni…maiorum] For a discussion of the meaning of this expression see on the website 31TextProblems.html **115** promissionem Christi] cf. Mat. 28:20 **24.3** opinio memorata] i.e. that of c. 4 **4** auctoritates] 21.19–37

excepcione, solis scriptoribus biblie ille timor deferatur et honor ut, eo ipso quod ibi aliquid invenitur, credatur, absque omni probacione in contrarium audienda, esse verum. Alii autem multi ita legendi sunt ut quamvis in multis, precipue in hiis que facti sunt, debeant esse creditum, tamen non in omnibus que facti sunt vel sciencie seu pericie eo ipso debeat aliquid reputari verum tam certitudinaliter quod nulla probacio in contrarium possit admitti quia ipsi ita senserunt, cum errare potuerunt, licet non semper erraverunt et aliqui eorum in nulla scriptura aliquod falsum protulerunt assertive. Et ideo asserciones eorum in hiis que sunt sciencie seu pericie nec sunt taliter necessario recipiende a legentibus nisi <easdem> — vel per scripturas sacras vel per irrefragabilem racionem vel approbacionem universalis ecclesie vel per operacionem miraculi — possint ostendere quod sint consone veritati. In hiis autem que facti sunt que asserunt vel per se ipsos vel fide dignorum relacione legitima cognovisse, ipsis tamquam fide dignis est credendum, nisi per alios credibiliores possit contrarium probari (quia in huiusmodi non est inconveniens quod plus credatur uni quam alteri, quemadmodum secundum quosdam in historiis et translacionibus plus credendum est Ieronimo quam Augustino). Verumptamen dicitur, sicut tactum est supra, quod pro assercionibus omnibus doctorum approbatorum ab ecclesia presumendum est quousque de contrario constet, quemadmodum presumitur pro assercione iudicis et eciam multitudinis antequam constiterit contrarium. Notatur autem quod Augustinus in auctoritate illa, loquens de scriptoribus aliis a scriptoribus canonis biblie, inter hos scriptores et illos non distinguit. Et ideo sive fuerint summi pontifices sive alii, sive scripserint aliquid in concilio generali sive extra, consimile de eis iudicium est habendum, ut in hiis que sciencie sunt vel iuris non ideo aliquid putetur certitudinaliter modo predicto esse verum quia ipsi ita scripserunt, nisi id aliquo predictorum modorum — scilicet per scripturas canonicas vel raciones irrefragabiles aut operacionem miraculi aut per approbacionem universalis ecclesie — persuadere valuerint.

Consimiliter ad aliam auctoritatem Augustini dicitur quod scripture sue non sunt tante auctoritatis quante sunt divine. Cum hoc tamen stat quod in quibus-

---

14 aliquid] *omitted* MF **15** Alii] aliquando MF **16** debeant] Scott: debeat W | esse creditum] eis credi Ed | tamen] *omitted* MF **19** erraverunt] erraverint Ed **22** nisi] Scott: nisi easdem W **23** universalis] universalem Pz | per operacionem] participacionem MF **26** possit] Ly: posset W **27** credatur] cedatur Pz **33** Notatur] notandum Ly **34** canonis] canonum Ly | hos] homines MF **36** ut] et Pz **39** scripturas] scripturam Ly | canonicas] divinas Pz, divinam Ly

---

22 nisi easdem] See on the website 31TextProblems.html **30** supra] 23.75 **42** aliam] 21.30

dam sit ei credendum et quod non est negandus nisi ab illo qui certus est ipsum a veritate recedere.

Et eodem modo dicitur ad auctoritatem Ieronimi quod solum novum et vetus testamentum recipi debent inter scripturas canonicas, et tamen pluribus scripturis aliis quoad multa est credendum et in multis negari non debent.

Et eodem modo respondetur ad concilium Carthaginense, quod ipsum solummodo prohibet, preter scripturas canonicas que sunt Genesis et cetere que de biblia numerantur, alias legi "sub nomine divinarum scripturarum", cum quo stat quod legende sunt et quod alicuius auctoritatis sunt, ita ut quoad multa negari non debeant et in multis sit credendum eisdem.

Capitulum 25

Discipulus: Nunc secundum prescriptam opinionem supra c. 4º recitatam narra quomodo respondetur ad illa que supra 2º c. ostenduntur, quod decretis et decretalibus summorum pontificum et canonibus apostolorum, qui in biblia non habentur, et dictis doctorum ab ecclesia approbatorum est fides absque dubitacione aliqua adhibenda.

Magister: Opinio illa concedit quod canonibus apostolorum, quamvis non inserantur in biblia, est adhibenda certa credulitas, quia quamvis non sint inserti in scripturis canonicis, scriptores tamen scripturarum canonicarum fuerunt auctores earum, et ideo recipi debent cum reverencia et credulitate firma, ita ut non liceat credere quod aliquid contentum in eis sit falsum aut perversum.

Discipulus: Licet teneamur credere quod nullus scriptorum biblie in scribendo quamcumque partem biblie errare potuerit, sicut nec potuit errare predicando vel verbis asserendo aliquid quod tunc fuit scriptum vel post fuit scribendum in quacumque parte biblie, tamen non artamur credere quod nullus eorum potuerit errare in scripturis aliis a biblia, sicut nec cogimur credere nullum eorum potuisse errare alia asserendo que non erant scripta nec scribenda in biblia. Cum ergo nequaquam credere astringamur quod semper quilibet eorum in verbis et factis tenuerit veritatem (nam et beatus Petrus princeps aliorum apostolorum aliquando ad veritatem minime ambulavit), non tenemur ergo credere quod in aliis scripturis a canone biblie numquam dimiserit veritatem.

---

44 ei] eis Pz **50** cetere] ceteris Pz **25.9** fuerunt] et *added* Ly **12** Licet] *omitted* MF (*gap* Mz, licet Frm) **20** credere] cedere Pz **21** dimiserit] dimiserint Pz

---

46 auctoritatem Ieronimi] 21.35 **49** concilium Carthaginense] 21.45 **25.7** concedit] 2.6

Magister: Ad hoc respondetur dupliciter, uno modo quod quamvis quilibet apostolorum per se a veritate deviare potuerit, sicut et Petrus, tamen collegium apostolorum errare non potuit. Unde et quando Petrus erravit, nequaquam erravit collegium apostolorum, sed unus eorum, scilicet Paulus, ipsum correxit. Unde videtur quod illa promissio Christi Matthei ultimo, "Vobiscum sum usque ad consummacionem seculi", non tantum debeat intelligi de universali ecclesia sed eciam de collegio apostolorum pro tempore eorundem, quia ipsis immediate fuit dicta promissio et in ipsis fuit facta universali ecclesie. Cum igitur canones apostolorum dicuntur fuisse tocius collegii apostolorum, videtur quod non sit dubitandum quin quicquid continetur in eis nullo modo sit falsum aut perversum. Aliter dicitur quod canones apostolorum per universalem ecclesiam, que tunc parvi numeri fuit, approbati fuerunt. Ecclesia autem universalis errare non potest, et ideo nichil erroneum aut iniquum continetur in eis.

Discipulus: Quomodo respondetur ad allegaciones quibus ostenditur quod decretis et decretalibus summorum pontificum adhibenda est fides?

Magister: Ad illas datur responsio Graciani dist. 19ª, *Hoc autem*, quod videlicet illis adhibenda est fides in quibus nec precedencium patrum decretis nec evangelicis preceptis aliquid contrarium invenitur. Si autem aliquid illicite et non canonice scripserint, repudiandum est ab illo qui hoc cognoscit. De illis que sunt consona veritati intelligunt Nicolaus papa et Agatho papa et alii sancti patres qui de hoc loquuntur.

Discipulus: Quid faciendum esset de decretalibus summorum pontificum que continerent aliquid erroneum aut perversum si catholici hoc nescirent?

Magister: Pro hac materia potes recurrere ad librum septimum prime partis istius dialogi, ubi de hoc multa discussimus.

Discipulus: Hoc non obstante, dic breviter quid de hoc sentit opinio supra c. 4º recitata.

Magister: Illa opinio tenet quod si aliqua decretalis summi pontificis in rei veritate est contraria fidei aut bonis moribus, illi qui hoc ignorant presumere debent pro ipsa, non tamen sic quin possint, et in casu teneantur, probacionem in contrarium admittere. Si vero aliqui, precipue literati et sciencie excellentis vel eciam mediocris, se offerant probaturos decretalem summi pontificis esse

31 continetur] contineatur Ed **33** fuit] sunt Pz **37** illas] illos Ed **40** scripserint] scripserit MF, scripserunt Ly | illis] vero *added* Ly **41** et[2]] Ly: aut W **43** que] Scott: qui W **47** 4] 2 W

26 Matthei] 28:20 **35** allegaciones] 2.24 **37** Hoc autem] D.19 d.p.c.7, col. 62
41 Nicolaus…Agatho] cf. 2.24 **51** probacionem…52 admittere] See above, 9.76

contrariam fidei vel bonis moribus aut non esse recipiendam inter scripturas authenticas, alii eorum probaciones audire tenentur, presertim si periculum fidei aut morum aut eciam personarum immineat, quia in hoc casu quilibet Christianus salutem fidei, bonorum morum et personarum catholicarum erronee decretali summi pontificis et honori temporali ipsius preferre tenetur, et quicumque commode potest audire raciones monstrantes decretalem pape esse erroneam seu hereticalem, et noluerit, si ipsam defenderit vel eciam pro ipsa presumpserit, credens et fautor pravitatis heretice est censendus, quia ignorancia talem non excusat, eo quod talis ignorancia est affectata vel crassa et supina, que non excusat.

Discipulus: Videtur quod probaciones contra decretales summorum pontificum sunt minime audiende, quia racione consimili audiende essent probaciones contra sacram scripturam, et ita doctor vel literatus alius qui commode posset et non legeret libros hereticorum et philosophorum contra scripturam sacram peccaret, quod tamquam inconveniens est habendum.

Magister: Ad hoc respondetur quod non est simile de sacra scriptura et de decretali summi pontificis, quia firmiter est tenendum quod scriptura sacra errare non potest; ideo, nisi aliqua causa moveat specialis, non oportet legere vel audire aliquam probacionem contra ipsam, qualescumque et quotque affirment se posse probare aliquid contra eam. Sed de papa firmiter catholici — literati precipue et intelligentes ac racione vigentes — credere obligantur quod potest errare, et per consequens quod contra quamcumque scripturam ipsius, presertim in hiis que sciencie seu pericie sunt, de qua in speciali non constat quod est consona scripture sacre vel racioni evidenti vel assercioni universalis ecclesie vel per divinum miraculum confirmata, debet audiri probacio. Et ideo nolentes audire probaciones contra decretales pape cum possunt, si errant, per ignoranciam nullatenus excusantur, sed de quolibet illorum verificaretur illud Apostoli, ignorans ignorabitur.

Discipulus: Qualiter respondetur ad allegaciones quibus ostenditur quod dictis doctorum ab ecclesia approbatorum est credendum?

Magister: Respondetur ad eas quod dictis doctorum ab ecclesia approbatorum taliter est credendum et presumendum pro ipsis si non constet aperte quod

---

58 tenetur] Scott: tenentur W **68** tamquam] *omitted* MF **72** quotque] quodcumque Fr Pz **74** vigentes] vigente Ed **80** verificaretur] verificabatur Mz, verificantur Fr **84** ab…approbatorum] *omitted* Ed

---

62 ignorancia] On supine, crass and affected ignorance see *Digest* 22.6.6, p. 329, and Thomas Aquinas, Summa, 1-2 q.6 a.8 **80** illud Apostoli] 1 Cor. 14:38 **82** allegaciones] 2.29

obviant veritati. Et ideo opuscula eorum recipienda sunt cum reverencia, non tamen sic quin liceat credere quod aliquid poterat reperiri in eis contrarium veritati, quia de facto unus contrariatur alteri et per consequens aliquis eorum erravit, quia contraria non possunt simul esse vera. Iste tamen honor deferendus est eis ut nullus credatur fuisse pertinax in assercione false sentencie, et ideo nullus eorum de pravitate heretica est notandus, sed presumendum est de quolibet quod tanta sollicitudine quanta potuit quesiverit veritatem, quamvis non semper invenerit.

Ad illud quod accipitur quod assercionibus summorum pontificum, et in exposicione scripturarum sanctarum, est credendum, quibus tamen preferuntur exposiciones doctorum, respondetur quod assercionibus huiusmodi summorum pontificum credendum est modo preexposito. Et ideo eodem modo credendum est dictis doctorum ab ecclesia approbatorum.

Ad illud autem Hormisde pape respondetur quod intelligit de illis que a sede apostolica sunt catholice constituta seu diffinita, pro quibus presumendum est nisi probacio evidens in contrarium asseratur.

Et eodem modo dicitur ad canonem Nicolai pape.

Capitulum 26

Discipulus: Restat secundum opinionem sepe dictam ut narres quomodo respondetur ad allegaciones inductas c. 3º, quibus ostenditur quod eciam doctoribus ab ecclesia minime approbatis, quoad ea in quibus omnes vel plures eorum et precipue magis famosi concordant, alii fidem adhibere tenentur.

Magister: Ad primam illarum allegacionum, cum accipitur quod, teste Leone papa, non credere doctoribus est iniquum, respondetur quod intencio Leonis ibidem est quod non credere doctoribus ab ecclesia approbatis quoad ea que sunt consona pietati est iniquum, impia sapiendo. Et ideo premittit ibidem, “Quid est iniquius quam impia sapere”, et cetera. Sed non credere doctoribus qui se mutuo reprobant, eis qui non sunt ab ecclesia approbati, non est iniquum.

Discipulus: Secundum hoc non aliter credendum est doctoribus approbatis ab ecclesia quam non approbatis, quia sicut iniquum est, impia sapiendo, non

---

92 quanta potuit] *omitted* MF | quesiverit] que fuerunt MF **101** asseratur] affirmetur Ed **26.3** ostenditur] *omitted* Ly **4** omnes] Ly (cf. 3.6): unus Fr; *omitted* Mz Pz **9** sapiendo] sapiendum MF **10** impia] ipsa MF **11** eis…approbati] *omitted* Ed **12** Discipulus Secundum] *omitted* MF; discipulus sequitur ex Frm | hoc] quod *added* Frb **13** sapiendo] sapiendum MF

---

94 illud] 2.32 **99** illud] 2.37 **102** canonem] 2.43 **26.2** opinionem] cf. c. 4 **6** primam] 3.11

credere doctoribus ab ecclesia approbatis, ita iniquum est, impia sapiendo, non credere aliis doctoribus qui sunt ab ecclesia minime approbati. Et ita non aliter credendum est istis quam illis.

Magister: Respondetur quod impia sapere contingit dupliciter, scilicet impie seu pertinaciter, vel non impie et non pertinaciter, quemadmodum eciam in hiis que fidei sunt contingit errare pertinaciter et non pertinaciter, et ita contingit errare impie et non impie. Numquam autem vel raro discreditur doctoribus ab ecclesia approbatis, quando dicta eorum possunt haberi, impia sapiendo, nisi impie, quia raro, et eorum quidam in nullis penitus, erraverunt. Sed sepe contingit impia sapiendo, non impie tamen, non credere doctoribus ab ecclesia minime approbatis: cum eciam, sapiendo impia, contingat in multis non credere eis, cum in multis errent, quod ex contrarietate inter ipsos perpenditur evidenter, propter quam contrarietatem tam crebram et fantasticorum assercionem pro assercionibus eorum est minime presumendum. Et ideo aliter credendum est doctoribus ab ecclesia approbatis quam aliis. Propter sanctitatem enim et veritatem ac utilitatem doctrine doctorum ab ecclesia approbatorum reverencia tanto merito debetur eisdem ut nemo qui non est certus eos (vel eorum aliquem) defecisse debeat quodcumque dictum eorum (vel alicuius ipsorum) negare, contrarium sapiendo, aut aliquam assercionem alicuius eorum ad falsum aut perversum trahere intellectum antequam mentem et motiva eorum (vel alicuius eorum), si potest, viderit diligenter. Sed tantam reverenciam non tenemur doctoribus ab ecclesia minime approbatis necessario exhibere, presertim cum studere in libris eorum, propter diversas opiniones inutiles et fantasticas ac vix opinabiles assertive vel opinative insertas in eis, impedimentum maximum prestet sciencie necessarie et utili ecclesie dei.

Discipulus: Dic qualiter respondetur ad allegacionem sequentem.

Magister: Respondetur quod scripture divine principaliter discende sunt a doctoribus ab ecclesia approbatis et ab illis qui sunt veritatis et non propriarum opinionum amatores, qui in docendo in divinis literis et aliis scripturis authenticis ac racionibus irrefragabilibus, solam veritatem — non inanem gloriam aut favorem cuiuscumque — querentes, se fundare nituntur, parati opiniones proprias revocare, si eas per se vel per alios doctores vel discipulos (excellentes vel

---

14 doctoribus…15 credere] *omitted* Ed | sapiendo] Kilcullen: sapiendum MF **17** scilicet] sed Mz **21** sapiendo] sapiendi Fr, sapiendum Mz **23** sapiendo] sapiendum MF **24** sapiendo] sapiendum MF, sapiendi Pz **25** perpenditur] Ly: propenditur W **36** inutiles] indociles Ed **40** discende] docende Ed **44** querentes] querentis Ly

---

17 impia sapere] See on the website 31TextProblems.html **39** sequentem] 3.17

parum intelligentes) cognoverunt veritati quomodolibet adversari: non autem ab illis qui opiniones vel asserciones proprias vel sui ordinis, collegii, nacionis, amicorum vel adherencium aut favencium vel cuiusque persone qualitercumque coniuncte, relictis aut spretis opinionibus seu asserciones aliorum verioribus vel probabilioribus, tenent aut defendunt, vel teneri cupiunt aut defendi.

Discipulus: Quid si aliquis superior vel prelatus voluerit cogere sibi subiectos approbare et tenere opiniones seu doctrinam alicuius doctoris ab ecclesia minime approbati?

Magister: Dicitur quod talis prelatus peccaret mortaliter et omnes consencientes sibi et faventes.

Discipulus: Numquid secundum opinionem istam artantes sibi subiectos ad defendendum opiniones doctoris vel doctorum huiusmodi sunt inter hereticos computandi, si inter opiniones illas aliqua in rei veritate scripture divine repugnat, quamvis non patenter sed latenter?

Magister: Respondetur quod tales sunt heretici reputandi, licet doctor tales opiniones inveniens possit a pravitate heretica excusari — quia deceptus absque pertinacia opinionem suam, que est in rei veritate heretica, quamvis hoc nesciat, poterit divulgare. Sed penis et statutis aut minis vel terroribus aut persecucionibus quibuscumque artantes seu cogentes sibi subiectos ad tenendum opinionem huiusmodi, et tali artacioni seu coaccioni consencientes, de pertinacia excusari non valent. De taliter enim artantibus seu consencientibus intelligi debet illud Urbani pape, quod habetur 24ª, q. 3ª, c. *Qui aliorum*, cum ait, “Qui aliorum errorem defendit multo amplius est dampnabilior illis qui errant, quia non solum ille errat sed eciam aliis offendicula erroris preparat et confirmat”, quantum in eo est cogendo alios per huiusmodi artacionem seu obligacionem errori pertinaciter adherere; “unde quia magister erroris est”, per compulsionem huiusmodi, “non tantum hereticus sed eciam heresiarcha dicendus est”.

Discipulus: Alias allegaciones prosequere.

Magister: Ad aliam, que accipit quod pro multitudine et maxime sapientum presumendum est, respondetur quod non est semper pro multitudine sapientum taliter presumendum ut in illis que sciencie sunt aliquis multitudini insipientium qui non sunt ab ecclesia approbati credere teneatur antequam invenerit (per

46 cognoverunt] cognoverint Ed **57** inter hereticos] heretici Ed **58** repugnat] Mz: repugnant Ed **64** artantes] arcentes Fr Ed **67** pape] *omitted* Ed **68** amplius] *omitted* S **69** eciam] in MF **76** insipientium] sapientum Ly **77** per] quia MF

67 Qui aliorum[1]] C.24 q.3 c.32, col. 999 **74** aliam] 3.22

scripturas sacras aut racionem evidentem vel operacionem miraculi aut per assercionem universalis ecclesie) quod eorum assercio sit consona veritati, licet pro eis taliter presumere liceat ut eorum assercio minime reprobetur aut negetur nisi constiterit quod obviat veritati.

Ad aliam, cum accipitur quod ille prudencie sue innititur qui ea que sibi credenda vel tenenda videntur doctorum assercionibus presumit preponere, secundum quod innuit Ieronimus, Extra, *De constitucionibus*, c. *Ne innitaris*, respondetur quod Ieronimus ibidem loquitur de decretis patrum qui fuerunt scriptores scripture divine et de pluribus ab ecclesia approbatis, non autem de aliis qui se invicem reprehendunt et reprobant, quia ad illos non oportet regulariter recurrere — licet in casu aliquis teneatur quid senserint indagare: si enim dicant se opiniones suas a scripturis accepisse divinis, non sunt opiniones huiusmodi reprobande seu spernande vel negande ab eo qui non est certus eas esse contrarias veritati, antequam motiva earum viderit diligenter; si enim opiniones eorum fuerint catholice et in sacris fundate scripturis, qui eas negaverit, presertim assertores earum persequendo vel persequentibus in hoc favendo, nolens motiva eorum catholica, quamvis commode possit, legere vel audire attente, non potest de pravitate heretica excusari, quia talis errans non querit cauta sollicitudine veritatem quando tenetur; quare est inter hereticos computandus, prout insinuat Augustinus, ut habetur 24ª, q. 3ª, c. *Dixit Apostolus*. Et ita in casu non solum illi "in insipienciam" dampnabilem "cadunt" — secundum Leonem papam, ut habetur 24ª, q. 3ª, c. *Quid autem iniquius* — "qui, cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas voces, non ad apostolicas literas, nec ad evangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt", sed eciam illi qui ad dicta aliorum, qui eciam non sunt ab ecclesia approbati vel eciam sunt ab ecclesiasticis et clericis reprobati erronee et iniuste, non recurrunt, et in casu qui sic ad alios non recurrunt, eorum motiva legere negligentes, sue prudencie, vel forsitan aliorum prudencie, erronee innituntur. Non autem illi qui scripturas sacras et doctrinam sanctorum patrum et aliorum opiniones scrutantur sollicite, cum eas possunt habere, sue prudencie reprehensibiliter innituntur, licet invenciones proprias validis munitas racionibus quorum-

88 teneatur] tenetur Ed **93** earum] eorum Ed **94** motiva] noticiam Ed | catholica] catholicam Ed **95** attente] attendere Ly | errans] qui *added* Ed **96** quare] querere Ed **99** iniquius] quam *added* Ed | cum] *omitted* Ed **100** cognoscendam] cognoscendum MF | impediuntur] impeditur Ed | non] nec MF **101** non] nec MF | nec] non Ed **104** et…recurrunt[2]] *omitted* Ed **105** innituntur] Ly: nituntur MF, innitantur Pz

82 aliam] 3.26 **97** Dixit Apostolus] C.24 q.3 c.29, col. 998 **99** Quid autem] C.24 q.3 c.30, col. 998

cumque et quotcumque doctorum aliorum opinionibus qui non sunt ab universali ecclesia approbati preponant.

Ad aliam allegacionem, cum accipitur quod fide dignorum testimonio est credendum, respondetur quod fide dignorum testimonio in hiis que facti sunt omnes credere debent, nisi sint aliqui qui sciant eos a veritate declinare. Sed in hiis que sciencie sunt aut iuris aut pericie non est necesse omnes credere testimonio fide dignorum, eciam qui nesciunt eos errare, nec quoad omnia in quibus non errant: et hoc quia notum est quod vacantes scienciis, eciam doctiores, qui nullum falsum scienter assererent, errant in hiis que sciencie sunt et arcium, cum eciam peritissimi erraverint et multa in huiusmodi ignoraverint.

Ad ultimam dicitur per predicta quod non omni experto in aliqua arte est credendum in omnibus, eo quod multorum non habet experienciam neque periciam que tamen spectant ad artem, et ideo potest in multis errare et sophisticis racionibus decipi.

---

110 preponant] proponant Pz **117** errant] erant Pz **118** in] *omitted* Ed **119** experto] experimento MF

---

111 aliam] 3.33 **119** ultimam] 3.38

LIBER 4

Capitulum 1

Discipulus: Postquam conferendo quesivimus que scripture recipiende sunt ad ecclesiastica dogmata confirmanda, ad principale revertamur intentum, an videlicet Christus de facto constituerit beatum Petrum principem et prelatum aliorum apostolorum et universorum fidelium. Circa quod diversas opiniones studeas recitare.

Magister: Una est opinio quod Christus de facto beatum Petrum non constituit principem et prelatum aliorum apostolorum et universorum fidelium, quod multis modis videtur posse probari.

Et primo quidem ostenditur quod nullus apostolus ex Christi ordinacione ceteris apostolis, nec quantum ad dignitatem sacerdotalem essencialem nec quantum ad aliquam aliam potestatem, fuit superior. Quod videtur convinci ex Luce 22º c.

> Nam tribuens Christus apostolis potestatem ad eucharistie sacramentum, inquit ad eos, "Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemoracionem", id est, hoc faciendi potestatem habete, proferendo tamen verba consimilia, quando actum hunc exercere debetis, videlicet, "Hoc est enim corpus meum". Nec dixit hec verba plus ad beatum Petrum quam ad alios. Non enim dixit ei Christus, "Fac et aliis apostolis sic faciendi potestatem tribuas", sed dixit "Facite" in plurali et omnibus indifferenter.
>
> Item, idem quoque per omnia senciendum de clavium potestate, sive hiis eisdem verbis tradita fuerit apostolis sive aliis aut alio tempore, ut hiis que habentur Iohannis 20º. Postquam enim Christus dixit apostolis, " 'Sicut misit me Pater, et ego mitto vos', insufflavit, et dixit eis, 'Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt' ". Dixit ergo Christus, "Mitto vos, sicut Pater me misit". Nec dixit Petro aut alteri apostolo singulariter, "Mitto te sicut Pater, et cetera, et tu alios mitte". Nec rursum dicitur, Christus insufflavit "ei", sed dixit "eis", non uni per alterum. Nec dixit Christus ad Petrum, "Accipe Spiritum sanctum et aliis postmodum tribue", sed dixit "accipite" in plurali ut indifferenter omnibus loquens.

1.14 ad] *omitted* Ed | sacramentum] S: consecrande Ly, *omitted* W **18** enim] *omitted* Ed **19** ad[1]] *omitted* Pz | ei] *omitted* S **22** idem] quod hoc MF | senciendum] S: sciendum MF, faciendum est Ed **23** tradita] tradite Ly | fuerit] fuerint Ed | ut] de *added* Ed **32** ut] et S

1.14 Nam…32 loquens] cf. Marsilius, II.xvi.2 (On the meaning of indentation, see above, note to 3.20–26.) **15** inquit] Lk. 22:19 **24** Iohannis] 20:21-3

Item, Apostolus ad hanc questionem diffiniendam, ut videlicet nemo credat aliquem apostolorum habuisse prerogativam seu auctoritatem super alios, eam expresse removet Petro (e quo fortasse videbatur hoc magis propter aliqua sibi a Christo singulariter dicta, et quia senior ceteris erat). Unde 2º ad Galatas inquit sic: "Michi enim qui videbantur esse aliquid, nichil contulerunt, sed econtra, cum vidissent quod creditum est michi evangelium prepucii, sicut Petro circumcisionis (qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et michi inter gentes), et cum cognovissent graciam que data est michi, Iacobus et Cephas et Iohannes, qui videbantur columpne esse, dexteras dederunt michi et Barnabe societatis", et cetera. Qui ergo operatus fuit Petro in apostolatum, operatus fuit et Paulo; hic autem fuit Christus; ergo huiusmodi officium non suscepit a Petro, et similiter nec apostoli reliqui. Ubi eciam glossa secundum Augustinum hoc amplius exprimens, inquit: "Illi 'qui videbantur esse aliquid', scilicet Petrus et alii qui fuerunt cum Domino, 'nichil contulerunt', id est, addiderunt, 'michi'. In quo patet quod non illis inferior sum, quia a Domino adeo perfectus sum ut nichil esset quod in collacione perfeccioni mee adderent". Ecce quod Paulus non fuit inferior Petro nec aliis. Consequenter ad hanc intencionem subiungit glossa, "'Cum vidissent quod evangelium prepucii creditum est michi' ut fideli, 'sicut Petro circumcisionis'". Ecce quod eque principaliter missus fuit Paulus quemadmodum et Petrus, et non a Petro aut apostolorum aliquo sed a Christo immediate. Quod amplius exprimens Apostolus, eadem, 1º c., sic ait, "Paulus apostolus non ab hominibus neque per hominem sed per Iesum Christum et deum patrem". Ubi glossa secundum Ambrosium: "'Paulus apostolus non' electus vel missus 'ab hominibus', scilicet ab Anania, ut quidam dicebant, vel ab aliis, ut quidam ab apostolis electi et missi fuerunt". Denique parum infra subdit secundum Augustinum: "Ceteri enim apostoli videbantur esse maiores quia priores, iste minimus quia novissimus. Sed inde apparet dignior, quia priores constituti sunt per Christum adhuc ex parte hominem, id est mortalem, novissimus vero Paulus per Christum iam totum deum, id est ex omni parte immortalem, et deum patrem qui hoc fecit per Filium. Atque ut aperiret cur dixerit 'neque per hominem',

34 credat] crederet S | apostolorum] hanc *added* S **35** removet] removens S **37** Unde] *omitted* S **40** est[2]] *omitted* Mz | et] omitted Fr Ed **42** columpne] alumpni MF **45** suscepit] susceperit Mz **47** scilicet] sed Mz Pz **48** est] *omitted* Ly | patet] S: *omitted* W **49** quia] qui S | adeo] S: deo W nichil] michi Mz Pz **50** mee] *omitted* Ed **51** aliis] Ly S: alius W **53** fideli] ita principaliter *added* S | sicut] et *added* S | Petro] evangelium *added* S **56** eadem] eodem Ed **58** vel] neque Ed **64** Paulus] *omitted* Ed **65** et] ut Pz, ut *added* Ly **66** cur] S: cum W

33 Apostolus…68 mortalem] cf. Marsilius, II.xvi.3 **37** ad Galatas] 2:6–9 **46** glossa] *Collectanea*, vol. 192, col. 107D (Previté-Orton) **52** glossa] ibid., col. 108 **56** ait] Gal. 1:1 **58** glossa] *Collectanea*, PL, vol. 192, col. 95B (Previté-Orton) **61** subdit] ibid., col. 95C; attributed to Ambrose (Previté-Orton)

subdit ‘qui suscitavit eum a mortuis’. Et ita dignius constituit me per immortalem Christum quam alios per mortalem”.

Rursum, confirmans hoc, Apostolus eodem c. ait: “Notum enim vobis facio evangelium, fratres, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud neque didici, sed per revelacionem Iesu Christi”. Ubi glossa secundum Augustinum: “Notum enim vobis facio evangelium, fratres, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem’ docentem me vel mittentem. Et vere non est ab homine. ‘Neque enim accepi illud ab homine neque didici ab homine’, ut homo eligeret me ad evangelizandum vel michi iniungeret, ‘neque didici’ ab homine docente me, ‘sed per revelacionem Iesu Christi’”. Ecce quod neque Petrus neque alius apostolorum aut homo quisquam elegit, misit aut iniunxit Paulo ministerium evangelii. Idem quoque iudicandum est de apostolis reliquis. Nullam ergo potestatem, eoque minus coactivam iurisdiccionem, habuit Petrus a deo immediate super apostolos reliquos, neque instituendi eos in officio sacerdotali, neque segregandi eos seu mittendi ad officium predicacionis; nisi quod hoc sane concedi potest, ipsum fuisse priorem aliis etate vel officio, fortasse secundum tempus aut apostolorum eleccione, qui eum propterea reverebantur merito, quamvis hanc eleccionem ex scriptura nemo convincere possit.

Adhuc ergo per signum ostenditur, quia beatum Petrum nullam sibi assumpsisse singulariter auctoritatem supra reliquos apostolos invenimus ex scriptura, sed magis cum ipsis equalitatem servasse. Non enim sibi assumpsit auctoritatem determinandi que dubia erant circa evangelii predicacionem, quod pertinet ad doctrinam; sed que dubia fuerunt in hoc, ex communi deliberacione apostolorum et aliorum fidelium magis doctorum determinabantur, non Petri aut alterius apostoli seorsum determinacione. Unde Actuum 15º, dissensione orta inter predicatores evangelii an oporteret circumcidere incircumcisos fideles ad salutem eternam consequendam, quibusdam dicentibus oportere, Paulo vero et Barnaba reclamantibus contra hoc, “convenerunt apostoli et seniores videre de verbo hoc”. Super quo locuti sunt Petrus et Iacobus non oportere, quorum sentencie seniores et reliqui consenserunt apostoli. Unde

70 quod] S: *omitted* W | est[1]…74 est[1]] S: *omitted* W **74** secundum] S: per W **75** ab homine[2]] *omitted* S **76** ut] S: ubi W **77** neque] S: non W **78** neque[1]] W: *omitted* S | apostolorum] *omitted* Ed **79** ministerium] S: mysterium W **80** iudicandum] S: videndum W **85** aut] in *added* Ly **88** beatum Petrum] W: beatus Petrus S **90** equalitatem] equalem MF **91** circa] S: *omitted* W **92** predicacionem] predicacione Ed **94** determinabantur] S: determinabant W **96** fideles] Ly S: fide W **97** oportere] oporteret Fr Pz **99** quo] quod Ed

69 Rursum…87 possit] cf. Marsilius, II.xvi.4 | ait] Gal. 1:11–12 **72** glossa] *Collectanea*, PL, vol. 192, col. 99CD; attributed to Ambrose (Previté-Orton) **88** beatum…110 potestatis] cf. Marsilius, II.xvi.5 **95** Actuum] 15:6–28

subditur infra: “Tunc placuit apostolis et senioribus cum omni ecclesia eligere viros et mittere Antiochiam”, et cetera, “scribentes per manus eorum”. Et fuit modus scribendi modo deliberandi conformis, et talis: “Apostoli et seniores fratres hiis qui sunt Antiochie et Sirie et Cilicie fratribus ex gentibus, salutem”, et cetera. Simile eciam habetur infra continuata sentencia, cum dicitur: “Placuit ergo nobis collectis in unum eligere viros et mittere ad vos”. Et parum infra: “Visum est enim Spiritui sancto et nobis nichil ultra imponere vobis oneris”. Non ergo determinavit Petrus supradicta dubia circa fidem de plenitudine potestatis.

Deliberavit ergo, dubium determinavit, elegit et scripsit fidelium doctorum congregacio; et hac auctoritate validum fuit sic determinatum atque mandatum. Congregacio enim apostolorum amplioris fuit auctoritatis quam solus Petrus aut alter apostolus. Unde ab ipsa Petrum legimus missum in Samariam, ut apparet Actuum 8º: “Cum igitur audivissent apostoli quia recepit Samaria verbum dei, miserunt ad eos Petrum et Iohannem”. Petrus ergo servavit equalitatem cum ceteris apostolis iuxta preceptum Christi, dicentis (Matthei 23º), “Nolite vocari rabbi. Unus est enim magister vester”, Christus, “omnes autem vos fratres estis”. Confirmatur autem sentencia hec per Apostolum ad Galatas 2º, ubi ait, “Ascendi autem secundum revelacionem, et contuli cum illis evangelium quod predico in gentibus”. Ubi glossa secundum Augustinum: “Et non didici ab illis tamquam maioribus”, a Petro scilicet, nec aliis principalioribus apostolorum, de quibus infra dicetur, “sed ‘contuli cum eis’ tamquam amicis et paribus”. Idem rursus infra eodem, cum dixit Apostolus: “Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat”, et cetera. Ubi glossa secundum Ieronimum: “Ipsi nichil michi contulerunt, sed ego contuli Petro”; et subiungit consequenter, “Ego restiti ei tamquam par. Hoc enim non auderet facere nisi sciret se non imparem fore”. Ecce ergo quod Paulus fuit par officio et dignitate Petro, non inferior, licet Petrus fuerit etate senior et tempore prior pastor.

---

102 cetera] eciam MF **103** modo] modus MF | talis] Ly S: tales W **105** Simile] similiter Ed eciam] *omitted* Ly | habetur] hoc *added* Ly | infra] eodem *added* S **106** in] ex Ed | unum] S: nobis W **107** parum] post *added* Ed **111** determinavit] S: *omitted* W **116** apostoli] qui erant Ierosolymis *added* Mz **119** vos] *omitted* Ly **120** autem] *omitted* Ed **124** dicetur] dicitur MF tamquam] cum *added* Ed **125** et paribus] S: operibus MF, *omitted* Ed **127** nichil] *omitted* MF **130** par] pari MF

---

115 Actuum] 8:14 **118** Matthei] 23:8 | Deliberavit…131 pastor] cf. Marsilius, II.xvi.6 **120** ad Galatas] 2:2 **122** glossa] *Collectanea*, PL, vol. 192, col. 103C (Previté-Orton) **125** dixit] Gal. 2:11 **127** glossa] *Collectanea*, PL, vol. 192, col. 108D (Previté-Orton)

Item Augustinus, *De questionibus novi et veteris testamenti*, q. 94ª, ait, "Eodem die, id est Pentecosten, lex lata est quo et Spiritus sanctus decidit in discipulos, ut auctoritatem caperent, ac scirent evangelicum ius predicare".

Amplius, sicut Petrus Antiochie legitur electus in episcopum per multitudinem, aliorum apostolorum confirmacione vel consecracione non indigens, sic et apostolorum reliqui prefuerunt in aliis provinciis absque Petri sciencia, institucione vel consecracione aliqua; fuerant enim per Christum consecrati sufficienter. Propter quod similiter opinandum, horum apostolorum successores non indiguisse aliqua confirmacione successorum Petri; quinimo multi successores aliorum apostolorum fuerint electi et instituti episcopi rite, ipsorumque provincias sancte rexerunt, absque institucione vel confirmacione de ipsis facta per successores Petri. Et extitit hoc sic legitime observatum usque quasi ad tempora Constantini imperatoris, qui quamdam preeminenciam et potestatem tribuit episcopis et ecclesie Romanorum super ceteras mundi ecclesias.

Item equalitatem Petri et apostolorum signavit Apostolus ad Galatas 2º, cum dixit: "Dexteras dederunt michi", et cetera, Iacobus, Petrus atque Iohannes "ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem". Dexteras societatis, ergo et equalitatis, ut ex glossa secundum Augustinum satis ostensum est supra, quamvis in hoc dictum Apostoli sic sit apertum ut glossa non egeat. Quod eciam ex epistola Ieronimi ad Evandrum patet cum dicit omnes episcopos "sive Rome sive" alibi "eiusdem sacerdocii atque meriti" seu potestatis a Christo collate immediate.

Si autem beatus Petrus a quibusdam sanctorum princeps apostolorum scribatur, dictum est large ac improprie sumendo vocabulum principis, et, nisi sic, aperte contra Christi sentenciam et oraculum, ubi Matthei 20º et Luce 22º inquit, "Principes gencium dominantur eorum", "vos autem non sic". Ideoque dicendum, sic sanctos locutos fuisse, non propter potestatem aliquam a Christo super apostolos sibi datam immediate, sed

---

133 lata] data Augustine **136** per] fidelium *added* S **138** prefuerunt] profuerunt MF **139** fuerant] fuerunt Ed **143** provincias] rite et *added* Ed **144** absque] aliqua *added* S **145** quasi] *omitted* Ly **149** signavit] significavit S **152** ut] *omitted* Ed **153** in] *omitted* Ed **154** eciam] cum MF **159** sic] Ly : sit W | oraculum] est *added* Ly | ubi] S: ut W **161** dicendum] est *added* Ly | sic[2]] sit MF | fuisse] S: *omitted* W

---

132 Augustinus] Ps-Augustine, *Quaestiones veteris et novi testamenti*, q. 95, CSEL, vol. 50, p. 168 Augustinus…135 predicare] cf. Marsilius, II.xvi.8 **136** Amplius…148 ecclesias] Marsilius II.xvi.9 | legitur] Ps-Clement, *Recognitiones*, X.71, PG, vol. 1, col. 1473 (Previté-Orton, p. 503) [rather, col. 1453]. Cf. OQ, 4.8.44, with Offler's note. **146** Constantini] Donation of Constantine, D.96 c.14, col.343 **149** equalitatem…156 immediate] cf. Marsilius, II.xvi.9 | ad Galatas] 2:9 **153** supra] 1.122 **157** beatus…169 fuerunt] cf. Marsilius, II.xvi.10 **159** Matthei] 20:25-6 **160** Luce] 22:25-6

fortasse quia etate senior, aut quia Christum prius confessus est fuisse verum dei consubstancialem filium, vel quia fortasse fuit in fide fervencior atque constancior, aut quia cum Christo conversatus et frequencius vocatus in consiliis et secretis. Unde Apostolus ad Galatas 2º: "Iacobus et Cephas", id est Petrus, "et Iohannes videbantur columpne esse", ubi glossa secundum Ambrosium: "Quia honoraciores erant in apostolis, quia semper in secretis cum Domino fuerunt".

Item, quod Petrus super apostolos nullam a Christo habuerit potestatem probatur auctoritate Christi potestatem huiusmodi interdicentis, et dicentis Matthei 23º: "Vos autem nolite vocari rabbi. Unus est enim magister vester, vos autem fratres estis omnes".

Capitulum 2

Preter predictas allegaciones occurrunt alie ad probandum quod Petrus non erat caput princeps et prelatus aliorum apostolorum. Eusebius enim Cesariensis talem superioritatem videtur negare a Petro et asserere quod fuerit inferior Iacobo fratre Domini. Dicit enim in *Ecclesiastica historia*, lib. 2º, c. 1º, "Iacobum, qui et Iustus cognominatus est ab antiquis, virtutum merito et insignis vite privilegio, primum historie tradiderunt suscepisse ecclesie que in Ierosolimis est sedem, sicut Clemens in sexto *Disposicionum* libro asserit dicens, 'Petrus enim et Iacobus et Iohannes post assumpcionem Salvatoris, quamvis ab ipso fuerint pene omnibus prelati, tamen non sibi vindicant primatus gloriam, sed Iacobum qui dicebatur Iustus episcopum apostolorum statuerunt'". Ex quibus verbis colliguntur duo. Primum est quod Petrus non fuit prelatus a deo omnibus aliis apostolis, cum in verbis contineatur <et scripturis> quod Petrus et Iacobus et Iohannes prelati fuerunt a Domino "pene omnibus"; ergo saltem Petrus non fuit prelatus Iacobo et Iohanni. Secundum est quod Iacobus per eleccionem Petri et Iohannis fuit prelatus factus aliorum apostolorum, et per consequens Iacobus fuit superior Petro tamquam episcopus Petri et aliorum apostolorum.

Item, in eadem *Ecclesiastica historia*, lib. 3º, c. 21º, sic habetur: "In urbe Roma Clemens quoque tercius post Paulum et Petrum pontificatum tenebat". Ex

---

2.2 Preter] magister preter Fr, discipulus preter Ed | allegaciones] si *added* Ly | occurrunt] occurrant Ly **3** apostolorum] recita magister *added* Ly | enim] *omitted* Ly **7** historie] Ly S: historiam W | ecclesie] ecclesiam Ly | in] S: eciam W **8** sedem] S: *gap* Mz, *omitted* Fr Ed Disposicionum] S: disputacionum W **9** fuerint] fuerit Pz **11** statuerunt] statuunt S **13** contineatur] Scott: contineatur et scripturis W **14** Iohannes] post assumpcionem salvatoris *added* Ed **19** Roma] S: romana Ed

---

166 ad Galatas] 2:9 **168** glossa] *Collectanea*, PL, vol. 192, col. 108B; attributed to Augustine (Previté-Orton) **172** Matthei] 23:8 | Vos…173 omnes] cf. Marsilius, II.xvi.10 **2.5** Dicit] Eusebius, tr. Rufinus, p. 105 **18** c. 21] Eusebius, tr. Rufinus, p. 237

quibus verbis videtur haberi quod non plus erat pontifex in Roma Petrus quam Paulus. Idem videtur haberi lib. 4º, c. 5º, ubi sic dicitur: "Rome autem duodecimo anno memorati principatus, Xysto duodecim annis ecclesie gubernaculis functo, Thelesforus septimus ab apostolis subrogatur". Et lib. 5º, c. 11º, sic habetur: "Effloruit apud Alexandriam Clemens eodem vocabulo, quo et ille in urbe Roma apostolorum et successor et discipulus vocitatus". Clemens ergo fuit successor apostolorum, et per consequens uterque apostolus eodem fungebatur officio quo et Clemens. Ergo et Paulus fuit summus pontifex in urbe Roma.

Item, beatus Anacletus hoc sentire videtur, qui, ut legitur dist. 21ª, c. *In novo*, ait: "Hic ergo", scilicet Petrus, "ligandi atque solvendi potestatem primus accepit a Domino, primumque ad fidem virtute sue predicacionis populum adduxit. Ceteri vero apostoli cum eodem pari consorcio honorem et potestatem acceperunt, ipsumque eorum principem esse voluerunt". Item, beatus Cyprianus, ut habetur 24ª, q. 1ª, c. *Loquitur*, ait: "Hoc erant utique ceteri apostoli quod Petrus fuit, pari consorcio prediti et honoris et potestatis". Ex quibus verbis tam Anacleti quam Cypriani videtur quod ceteri apostoli tam quantum ad honorem quam quantum ad potestatem pares fuerunt beato Petro. Ergo non fuit princeps eorum nec superior eis quoad officium et potestatem.

Capitulum 3

Discipulus: Si alia est opinio circa istam materiam, ipsam cum suis motivis non differas pertractare.

Magister: Alia est opinio tenens quod Christus constituerit beatum Petrum caput, principem et prelatum aliorum apostolorum et quod Petrus fuit ipsis superior, quod multis modis ostenditur. Hoc enim ex verbis Christi que recitantur Iohannis ultimo videtur posse probari.

> Ad Petrum enim Christus singulariter dixit, "Pasce oves meas", "Pasce agnos meos", ter replicans eandem sentenciam, et per consequens, cum Christus non distinxerit inter has oves et illas, primus et universalis omnium pastor, eciam apostolorum, immediate a Christo beatus Petrus

21 duodecimo] S: vicesimo primo W **22** duodecim] S: 21 W **25** successor] successorum MF **27** et[2]] Ly: *omitted* W **29** atque] S: *omitted* W **30** accepit] illa *added* Pz, ille *added* Ly | a] omitted Pz | primumque] primusque S **31** adduxit] verboque instituit *added* MF, verbo instituit *added* Ed | Ceteri vero] ceterique Ed | apostoli] apostolici Ed | cum eodem] S: *omitted* W **3.9** ter] S: *omitted* W | eandem sentenciam] idem verbum S **11** omnium] S: *omitted* W | eciam apostolorum] *omitted* S

21 c. 5] Eusebius, tr. Rufinus, p. 307 **23** c.11] Eusebius, tr. Rufinus, p. 453 **28** In novo] D.21 c.2, col. 69 (cf. Hinschius, p. 79) **33** Loquitur] C.24 q.1 c.18, col. 972 **3.7** Iohannis] 21:15–17 **8** Christus…15 fratrum] cf. Marsilius, II.xxvii.2

institutus fuisse videtur. Quod ibidem Chrysostomus expresse videtur asserere cum ait, "Eximius enim apostolorum erat Petrus, et os discipulorum, et vertex collegii. Unde et negacione deleta, committit ei prelacionem fratrum".

Discipulus: Ex hiis que legi tam in historiis authenticis quam eciam in scripturis sanctorum patrum, quorum nonnulle sentencie in decretis habentur, michi videtur quod omnium Christianorum, presertim obediencium Romane ecclesie, fuerit communis sentencia beatum Petrum fuisse institutum a Christo caput et principem apostolorum et eciam omnium fidelium. Que tamen sentencia hiis temporibus impugnatur, et ad motiva que in scriptura divina fundari videntur ex intencione seriosius respondetur. Ideo ut michi et aliis prebeatur occasio subtilius intuendi an priores fuerunt in hoc decepti, motiva precedencium cum responsionibus modernorum quorumdam propono tecum discutere diligenter. Responsiones eorum non truncate sed integre recitabo, et tunc indicabis quomodo vere et realiter aut apparenter seu sophistice valeant reprobari.

Dicitur igitur ad motivum prescriptum quod sensus secundum glossam preallegatorum verborum Christi, scilicet "Pasce oves meas", et cetera, est quod

"'pascere oves' est credentes ne deficiant confirmare, terrena subsidia, si necesse est, subditis providere, exempla virtutum prebere, adversariis obsistere", fide scilicet, "peccantes corrigere". Et subditur in glossa, "Et cum tercio audit a Petro se diligi, iubet pascere oves. Trine negacioni redditur trina confessio, ne minus amori lingua serviat quam timori." Ex hoc autem non aliud convincitur nisi quod ipsum pastorem ovium Christus instituit. Non tamen ex hoc sequitur quod ipsum super reliquos apostolos pretulit ad auctoritatem vel dignitatem priorem; nec rursum sequitur ex hoc alios apostolos non fuisse institutos pastores. Oppositum enim utriusque consequentis iam dicti stat cum antecedente, videlicet cum sermone Christi predicto. Testatur autem dictis quod ecclesia catholica cantat de omnibus apostolis indifferenter: "Vere dignum et iustum est, equum et salutare, te Domine suppliciter exorare ut gregem tuum,

13 Eximius] S: ex MF Pz, rex Frm; *gap added* Mz Pz; ex numero Ly **14** deleta] S: debita W committit] S: mittit W **20** apostolorum…eciam] *omitted* Ed **21** que in] Kilcullen: in quibus W videntur] Kilcullen: videtur W **23** fuerunt] fuerint Ed **24** quorumdam] quorum Ed **25** indicabis] recitabis Ed **26** valeant] Scott: valeat W **27** Dicitur] magister dicitur Ly **29** confirmare] confortare S **31** fide] fidei S **32** Trine] terne Fr Ed **34** ovium] Ly S: omnium W **36** pretulit ad] MF (cf. 5.35): pretulerit quoad Ed; *omitted* S **39** dictis] predictis Ly **41** Domine] quidem omni tempore S

12 Chrysostomus] Cf. *Catena Aurea*, on John 21:15–17 (Previté-Orton) **21** que…videntur] See on the website 31TextProblems.html **27** glossam] Cf. *Catena Aurea*, on John 21:17 (Alcuin) (Previté-Orton) **29** pascere…47 Christum] cf. Marsilius, II.xxviii.8 **40** cantat] Roman Missal, Preface *de apostolis* (Previté-Orton)

pastor eterne, non deseras, sed per beatos apostolos tuos continua proteccione custodias, ut eisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti presse pastores". Ecce "apostolos" in plurali, "rectores", "vicarios" et "pastores" per Christi collacionem immediatam; non autem solum aliquem rectorem, vicarium aut pastorem constitutum per Christum.

Interroganti vero cur Christus hoc Petro singulariter dixerit, dicendum utique quod Christus quandoque sermonem dirigebat ad hominem in persona propria, ut in remissione peccatorum, sanacione infirmorum et suscitacione mortuorum. Quandoque dirigebat sermonem ad alterum in persona omnium aut plurium, ut in Iohannis 5º, "Vade et amplius noli peccare", "ne deterius tibi contingat." Unde id officium Christus committendo Petro, illi loquebatur in persona omnium apostolorum, sicut met testatur hunc modum loquendi suum Marci 13º, cum dixit, "quod uni" (vel "vobis") "dico, omnibus dico". Specialiter tamen ad Petrum sermonem direxit quia senior erat, vel quia caritate ardencior, vel ut significaret ecclesie future quales debeant pastores institui, quoniam etate maturi, ex qua signatur prudencia seu sciencia, et caritate pleni, ex qua significatur cura et diligencia quas debent habere pastores; aut fortasse ne videretur abieccior relinqui, quia Christum negaverat, quod sapere videtur glossa cum dixit, "Trine negacioni redditur trina confessio, ne minus amori lingua serviat quam timori". Hoc enim certissime constat quod omnibus Matthei ultimo dictum est indifferenter, "Euntes ergo docete omnes gentes", nec dixit Petro, "Vade et alios mitte"; in quo signat omnibus auctoritatis equalitatem, sicut eciam ex Marci 13º predicto induximus, dum ad eos inquit Christus, "Nolite vocari rabbi", supple invicem aut unus super reliquum vel reliquos, "Unus enim est magister vester, vos autem omnes fratres estis".

Aut dicendum est valde probabiliter, atque secundum veritatem michi videtur, quod pro tanto dixit Petro, "Pasce oves meas", ut sibi specialiter propter sui constanciam committeret populum Israel, qui "dure cervicis populus" fuit versus deum, ut apparet Exodi 33º, et inducit Apostolus per Isaiam, Actuum ultimo, et quoniam propter hunc populum convertendum

44 eidem] eisdem Pz **49** ad hominem] S: *omitted* W **50** persona propria] personam propriam Ly **52** persona] S: personam W **53** id] S: idem W **54** illi] ille Ly | met] ipsemet Fr Ed **55** Marci] S: mathei W, also Marsilius MS H. | quod] autem *added* S **56** vel] S: ex W **59** signatur] significatur S **61** videretur] tamquam *added* Ed | abieccior] S: abieccioni Mz | relinqui] *omitted* S **66** signat] significavit S | ex] *omitted* Fr Ed | Marci] Kilcullen: Mathei S, W **67** predicto] pridem S **70** Aut dicendum] audiendum Ed **71** specialiter] S: simpliciter W; sicut et Moysi *added* Ly **73** et] ut Ly

48 Interroganti…69 estis] Marsilius, II.xxviii.9 **52** Iohannis 5] 8:11, 5.14 **55** Marci] 13:37 **62** glossa] above, this chapter, line 31 **64** Matthei] 28:19 **66** Marci] 13:37. Some manuscripts of the Vulgate read "uni", others "vobis": see below 21.22 **67** inquit] Mat. 23:8 **70** Aut…93 eo] Marsilius, II.xxviii.9 | michi] i.e. Marsilius **73** Exodi] 33:5 **74** Actuum] 28:25–8

et salvandum principaliter venerat Christus. Unde Matthei 15º: "Non sum missus nisi ad oves que perierunt domus Israel": "non sum missus" principaliter, supple. Ideoque huius populi curam beato Petro specialiter commisisse videtur cum dixit, "Pasce oves meas". Et videtur hec fuisse Apostoli aperta sentencia, cum ad Galatas 2º dixit, "Cum vidissent quod creditum est michi evangelium prepucii, sicut Petro circumcisionis", et cetera, ubi glossa secundum Augustinum: "'Cum vidissent quod evangelium prepucii' a Domino 'creditum est michi' ut fideli, ita principaliter 'sicut et Petro' evangelium 'circumcisionis'. Christus enim dedit Paulo ut ministraret gentibus, qui eciam Petro dederat ut ministraret Iudeis. Ita tamen dispensacio distributa est illis ut eciam Petrus gentibus predicaret, si causa fecisset, et Paulus Iudeis". Nec video quod aliunde Paulus vel alter sanctus assumere potuerit populum Iudaicum specialiter et principaliter fuisse Petro commissum nisi ex eo quod Christus illi dixit, "Pasce oves meas", cum dicat Paulus ad Galatas 2º sibi "creditum evangelium prepucii" quemadmodum "Petro circumcisionis". Si namque creditum erat evangelium universaliter Petro plus quam Paulo vel aliis apostolis, inconvenienter utique dixisset Paulus verba predicta; quinimo totus eius sermo predictus fuisset inanis et comparacio quam eciam fecit in eo.

Ad glossam autem ex Chrysostomo sumptam datur una responsio que generalis est ad illam et ad plures alias que idem sonant. Dicitur igitur quod

auctoritatem nullam essencialem (quam sacerdotalem isti vocant), neque accidentalem aliquam pastoratus preexcellenciam super reliquos apostolos Christus immediate beato Petro tradidit, sed ab illo et ceteris in invicem removit, ut alibi conantur ostendere per scripturas et exposiciones sanctorum doctorum. Propter quod, ut dicunt, Christum et Apostolum et ipsorum quorumdam (scilicet glossatorum) alibi dicta sequentes, declinant sentenciam quam super inducta scripture loca et alia quecumque similia dicere videntur de tali primatu seu principalitate, aliter quam alibi dicunt, scilicet 16º et 22º secunde diccionis sui operis, quoniam talis sentencia nec est canonica nec canonicam sequitur; quinimo ipsorum aliqui oppositum dixerunt alibi exponendo scripturam. Hic autem talia

75 Christus] *omitted* Ly **76** perierunt] S: perierant W **77** Ideoque] ideo Ly | huius] S: huiusmodi W **78** hec] S: hic W **81** glossa] *omitted* Ly **84** ministraret[2]] S: ministret Mz Ed **86** si] sic *added* Ly, sic ex *added* W | causa fecisset] causam exegisset Ly **87** potuerit] poterit Ed **94** datur] *omitted* Pz **95** illam] Kilcullen: illas W **97** accidentalem] S: auctoritatem Ly, actualem W **98** in] S: *omitted* W **101** scilicet] et Ed | sequentes] sequens S **102** declinant] declino S **104** diccionis] edicionis Ly **106** Hic…107 scripturam] S: *omitted* W; also *omitted* by MSS T and H of Marsilius

75 Matthei] 15:24 **79** ad Galatas] 2:7 **81** glossa] *Collectanea*, PL, vol. 192, col. 108A (Previté-Orton) **94** glossam] 3.12 **96** auctoritatem…108 scripture] Marsilius, II.xxviii.25, not entirely verbatim. | isti] i.e. Marsilius. The third person plural statements in this paragraph refer to Marsilius.

proferunt extra scripturam ex propria sentencia, sequentes consuetudinem et magis attendentes quedam dicta famosa quam verba scripture.

Quis enim non admirabitur, contendentibus apostolis quis eorum esset maior, Christum respondisse semper inter ipsos equalitatem et prioritatem auctoritatis ab ipsorum quocumque negasse, si intendebat beatum Petrum constituisse inter ipsos principaliorem et caput? Quid eciam Christus non dabat reliquis mandatum ut Petro subessent in officio pastorali, ne tantum ministerium lateret eos et ipsorum successores quantum erat caput ecclesie? Nusquam enim legitur in scriptura tale mandatum fuisse datum apostolis. Quomodo eciam dexteras dedit Petrus Paulo societatis? Immo mandatum dare debuit tamquam superior. Tota scriptura, ubi tangitur materia hec, huiusmodi sentencie oppositum clamat aperte.

Capitulum 4

Magister: In verbis prescriptis non solum habetur quomodo ad preadductam allegacionem tenentes sentenciam contrariam satagunt respondere, sed eciam plures allegaciones pro sentencia contraria continentur. Et ideo si vis nunc omnia discuti, oportet me non solum opponentis seu improbantis sed eciam respondentis personam assumere.

Discipulus: Et tu utrumque facias. Sic forsitan magnam partem istius materie disseremus.

Magister: In verbis istorum due responsiones principales habentur, quarum prima in hoc principaliter videtur consistere, quod Christus illa verba, “Pasce oves meas”, dirigebat ad Petrum in persona omnium apostolorum, licet aliqua alia quasi incidentaliter videatur adiungere. Ideo primo ante omnia aliquas allegaciones adducam quibus videtur posse probari quod Christus verba predicta dirigebat ad Petrum in persona propria et non in persona omnium apostolorum.

Quod ostenditur primo sic. Verba per que aliquis promovetur ad aliquam dignitatem vel officium ad illum cui dicuntur in propria persona, non in persona aliorum, diriguntur. Alioquin cum per verba aliqua aliquis instituitur in seculari vel ecclesiastica dignitate, omnes alii, presertim eiusdem condicionis vel meriti,

---

107 sequentes] S Ly: sequentis W **109** non…quis] S: *omitted* W **110** maior] S: inter se discipulis querentibus *added* Ly | equalitatem] esse debere *added* Ly **112** inter ipsos] S: ipsis W | Quid eciam] S: denique Ly, quod enim W **114** ministerium] S: mysterium W **115** quantum] S: quando tunc W **117** superior] quare *added* Ly | Tota…118 tangitur] S: *omitted* W **118** huiusmodi] W: huius S **4.5** solum] Ly: *omitted* W **8** disseremus] diceremus MF

---

109 Quis…119 aperte] Marsilius, II.xxviii.26 **4.10** prima] The second answer is discussed below, c. 8.

intelligerentur in eadem dignitate instituti; et ita si imperator [aliquem instituit] per literas vel ore proprio talibus verbis vel consimilibus, “Instituo aut facio te ducem, comitem, iudicem aut advocatum talis vel talis regionis aut civitatis”, omnes alii intelligerentur instituti in eadem dignitate, et eadem racione sic esset de institucione rectorum plebanorum et aliorum quorumcumque prelatorum ecclesie senciendum: quod quam sit absurdum nulli debet existere dubium, ut videtur. Sed per predicta verba fuit in dignitate et officio pastorali constitutus, sicut et predicti opinantes concedunt, cum dicunt quod ipsum pastorem omnium Christus instituit. Ergo illa verba dirigebantur ad beatum Petrum in persona propria et non in persona quorumcumque aliorum.

Amplius, si verba predicta dirigebantur ad beatum Petrum in persona aliorum, aut ergo dirigebantur ad beatum Petrum in persona omnium aliorum fidelium, aut omnium aliorum presbyterorum, aut omnium aliorum apostolorum, aut omnium aliorum solummodo qui erant presentes cum Christo et beato Petro. Primum non potest dici, quia tunc quilibet fidelis fuisset constitutus pastor ecclesie. Nec isti possunt dicere secundum, cum dicunt quod ista verba dirigebantur ad beatum Petrum in persona omnium apostolorum, de aliis presbyteris nullam facientes ibidem penitus mencionem. Nec possunt dicere tercium, quod tunc fuisset data aliqua auctoritas beato Petro et ceteris apostolis super alios presbyteros, quod isti negant. Nec possunt dicere quartum, tum quia tunc non fuisset data eadem potestas sive auctoritas omnibus apostolis, cum non omnes fuerunt tunc presentes (quia de apostolis solummodo erant presentes Petrus et Thomas et duo filii Zebedei), tum quia tunc fuisset data maior potestas aliquibus aliis quam quibusdam apostolis, quia tunc erant alii presentes, scilicet Nathanel et duo alii ex discipulis Christi, ut patet Iohannis 21º.

Rursus, quod de uno conceditur de alio negatur (dist. 45ª, *Disciplina*; 1ª, q. 1ª, c. *Per Isaiam*), sicut quod de uno negatur de aliis conceditur (dist. 25ª, *Qualis*; 15ª, q. 3ª, *De crimine*). Ergo, consimiliter, verba que dicuntur uni ad alios minime diriguntur. Sed verba premissa dixit Christus soli Petro. Ergo ad

---

19 imperator…instituit] Kilcullen: imperator W **22** instituti] institui Ed | et] sic idem *added* Ed sic] *omitted* Ed **25** officio] et *added* Ly **31** fidelium…aliorum[2]] *omitted* Pz; Christianorum aut in persona apostolorum et omnium presbyterorum aut tantummodo Ly **38** tum] *omitted* Ed **40** fuerunt] fuerint Ed **45** sicut] Ly: sic W | negatur] conceditur Pz | conceditur] negatur Pz **46** De crimine] Scott (cf. above, 2.24.100): decime W

---

43 Iohannis] 21:2 **44** Disciplina] D.45 c.9, col. 163; cf gloss, s.v. meus non est, col. 218 **45** Per Isaiam] C.1 q.1 c.98, col. 396; cf. gloss, s.v. non aliis, col. 547 **46** Qualis] D.25 c.4, col. 94; cf. gloss, s.v. negatur, col. 126 | De crimine] C.15 q.3 c.1, col. 751. Cf. gloss to 15 q. 3 c. 2, s.v. colligitur, col. 1074

alios minime diriguntur, et per consequens non dirigebantur ad Petrum in persona aliorum apostolorum.

Discipulus: Ista allegacio efficax non apparet, quia non est universaliter verum quod illud quod dicitur de uno de aliis negatur, cum secundum asserciones sanctorum patrum quod uni dicitur vel conceditur ad omnes extenditur (dist. 5ª, *Ad eius*; dist. 38ª, *Ignorancia*; 16ª, q. 1ª, *Predicator*). Ergo illa verba memorata a beato Petro ad alios debent extendi.

Magister: Respondetur quod verum est regulas predictas non esse universaliter veras quin aliquando fallant, tamen illa regula, "Quod de uno dicitur de aliis negatur" in casu isto de beato Petro non fallit sed tenet. Cuius racio assignatur, quia sicut quando conceditur unum, conceduntur omnia consimilia, ut innuit beatus Gregorius prout habetur dist. 4ª, *Denique*, et notat glossa ibidem, et consimiliter omnia conceduntur que sunt eiusdem censure (Extra, *De excepcionibus*, *Cum inter*), tamen uno concesso non conceduntur dissimilia nec illa que non sunt eiusdem censure: sic quod uni dicitur ad alios extenditur qui sunt eiusdem condicionis, et est eadem racio dicendi uni et aliis, et ita expedit ut dicatur aliis sicut uni, et ubi ad hoc quod aliquid intelligatur aliquibus dici non oportet ut illis explicite et nominatim aut equipollenter dicatur. Sed in proposito non fuit expediens ut in eadem dignitate constituerentur alii apostoli per illa verba Christi dicta beato Petro in qua constituebatur beatus Petrus, quia non fuit expediens ut essent plura capita universalis ecclesie. Ergo illa verba Christi nominatim dicta beato Petro non extendebantur ad alios.

Rursus, nullus (sicut tactum est supra) promovetur per verba aliqua ad aliquam dignitatem, nisi de ipso per ea fiat mencio specialis aut equipollens speciali quoad ipsum, quemadmodum, licet quod de iure communi conceditur uni intelligatur alii eiusdem condicionis esse concessum, tamen quod ex privilegio conceditur uni non intelligitur alii, eciam eiusdem condicionis et meriti, esse concessum nisi explicite hoc dicatur vel mencio eciam privilegii fiat de ipso (7ª, q. 1ª, *Petisti*, et 16ª, q. 1ª, *Hinc*). Sed per illa verba Christi tamquam per privilegium speciale fuit beatus Petrus ad dignitatem sublimatus. In ipsis autem nulla fit mencio de aliis apostolis. Ergo ad alios apostolos minime debent extendi. Ista

53 verba] *omitted* MF **56** aliis] alio Ed **61** conceduntur] omnia *added* Ed **65** aut] et Ly dicatur] dicantur Ed **66** per] ideo Ed **67** Petro] *omitted* Mz | in…69 Petro] *omitted* Ed

53 Ad eius] D.5 c.4, col. 8; cf. gloss, s.v. quod uni persone, col. 15 | Ignorancia] D.38 c.1, col. 141; cf. gloss, s.v. ad Timotheum, col. 188 | Predicator] C.16 q.1 c.64, col. 782; cf. gloss, s.v. multitudini, col. 1123 **59** Denique] D.4 c.6, col. 6; gloss, s.v. alioqui, col. 13 **61** Cum inter] X 2.25.5, col. 376; cf. gloss, s.v. legitima, col. 840 **70** supra] 3.15 **76** Petisti] C.7 q.1 c.17, col. 574 | Hinc] C.16 q.1 c.39, col. 771; cf. gloss, s.v. sigillatim, col. 1107

responsio colligi potest ex glossa, dist. 5ª, super capitulum *Ad eius vero concubitum*, que ait in hiis verbis, super verbo "uni": "Argumentum quod uni conceditur per consequens aliis videtur esse concessum, sicut supra dist. 4ª, c. *Denique*, et hoc verum est ubi de iure communi aliquid conceditur; secus est si ex privilegio, ut 16ª, q. 1ª, *Hinc* et 7ª, q. 1ª, c. *Petisti*". Ex predictis convincitur quod sancti, tractantes verba Christi premissa et sentencialiter et verbaliter asserentes per eadem verba specialiter soli Petro commissam esse Dominicarum ovium curam, rectum intellectum eorum et catholicum expresserunt, et quod alius intellectus ipsorum — nisi patenter distorqueantur, non solum contra ipsa sed eciam contra precedencia et sequencia, si inspiciantur omnia diligenter — haberi non potest.

Sed ut liquido pateat, quod nonnullis apparet, quod ista fuit sanctorum sentencia, de multis paucas eorum autoritates adducam. Ait itaque sanctus Maximus episcopus in sermone de Petro et Paulo qui incipit "Gloriosissimos": "Iam necessarium, carissimi, reor ut proprias eorum," scilicet apostolorum Petri et Pauli, "specialesque virtutes, prout ariditas nostre lingue ingeniique tenuitas patitur, immo ut misericors deus annuit, proloquamur." Et infra: "Hic est Petrus, cui Christus, ascensurus ad Patrem, pascendas oviculas suas agnosque commendat, ut quos ille pietatis miseracione redemerat hic fidei sue virtute servaret. Et recte sane ei arbiter occultorum, dei filius, pascendas oves suas tuendasque commisit, cui noverat in nutriendo grege Dominico nec studium deesse nec fidem". Ex quibus verbis datur intelligi quod, cum sanctus ille primo dicat se velle proloqui proprias specialesque virtutes apostolorum, et postea in speciali de beato Petro prescripta subiungat, ipse voluit quod oves Christi generaliter soli Petro pascende essent commisse per verba Christi premissa.

Item, Gregorius super illud Iohannis 21º, "Manifestavit se iterum Iesus ad mare Tiberiadis", ait: "Iam credo quod caritas vestra advertat quid est quod Petrus rete ad terram trahit. Ipsi quippe sancta ecclesia est commissa, ipsi specialiter dicitur, 'Simon Iohannis, amas me? Pasce oves meas'". Ex quibus

---

80 que] Ly: qui W | hiis verbis] Kilcullen: hec verba W | Argumentum] S: ergo W **81** dist. 4] S: *omitted* W **83** ut] et Ed **86** expresserunt] excesserunt Pz **89** potest] ut liquido pateat *added* MF **90** ut…pateat] *omitted* MF **93** carissimi] S: terminum W | scilicet] et Ed **95** annuit] annuerit S **96** Patrem] *omitted* MF | agnosque] S: ovesque W **97** pietatis] pietate Ed | miseracione] miseracioneque Ed **98** sane] *omitted* Ed **99** nutriendo] mittendo MF **100** verbis] *omitted* Ed **105** advertat] advertit S **106** trahit] S: *omitted* W

---

79 glossa] gloss to D.5 c.4, s.v. quod uni persone, col. 15 **92** Maximus] PL, vol. 57, cols. 392, 394. (Not by Maximus, according to Mutzenbecher, CCSL, vol. 23.) **104** Gregorius] *Homeliae in Evangelia*, XXIV, CCSL, vol. 141, p. 199 | Iohannis] 21:1

verbis colligitur quod Petro in propria persona, non aliorum, dixit Christus, "Pasce oves meas".

Item, sanctus Leo papa in quodam sermone de ascensione Domini qui incipit "Post beatam et gloriosam" ait: "Beato Petro apostolo supra ceteros, post regni claves, ovilis Dominici cura mandatur". Ex quibus verbis datur intelligi quod per illa verba, "Pasce oves meas", Petro erat commissa cura tocius Dominici gregis.

Item, Ambrosius in sermone qui legitur in festo sancti Petri ad vincula ait: "Cum tercio interrogaretur a Domino, 'Simon amas me?', respondit, 'Domine, tu scis quia diligo te', et ait Dominus, 'Pasce oves meas', et hoc tercio. Quod quidem dictum ad compensacionem prioris profecit erroris. Qui enim Dominum tercio negaverat tercio confitetur, et quociens culpam delinquendo contraxerat, tociens graciam diligendo conquirit. Videte ergo qualiter fletus profuerit Petro. Antequam fleret lapsus est, et postquam flevit electus est, et qui ante lachrimas prevaricator extitit, post lachrimas pastor assumptus est, et alios regendos accepit qui prius seipsum non rexit". Ex quibus verbis colligitur quod illa verba "pasce oves meas" dirigebantur ad beatum Petrum in persona propria, non aliorum, cum per ipsa ad regimen ecclesie assumptus est et rector aliorum effectus: nemo autem per verba que dicuntur alteri eligitur neque assumitur neque rector aliorum efficitur.

Predictis beatus Gregorius super illud Marci 16º, "Maria Magdalene, Maria Iacobi", et cetera, concordare videtur, prout habetur dist. 50ª, c. *Considerandum*, cum dicit, "Considerandum nobis est cur omnipotens deus eum quem cuncte ecclesie preferre disposuerat ancille vocem pertimescere et seipsum negare permisit. Quod nimirum magne actum esse pietatis dispensacione cognoscimus, ut is qui futurus erat pastor ecclesie in sua culpa disceret qualiter aliis misereri debuisset. Prius itaque ostendit eum sibi, et tunc preposuit ceteris". Ex quibus verbis colligitur quod Petrus post passionem Domini cuncte ecclesie preferebatur a deo, cum constet deum illud quod de eo disposuerat implevisse. Non

112 Ex…datur] *omitted* Ed **115** Petri] *omitted* Mz **116** respondit] tercio *added* S **118** quidem] S: ut *added* W | dictum] S: est *added* W | compensacionem] S: operacionem W **119** contraxerat] S: negaverat MF, incurrerat Ed **120** conquirit] conquerit Pz | qualiter] quantum S | profuerit] S: profuit W **121** et postquam] posteaquam S **122** pastor] S: *omitted* W **125** ipsa…ecclesie] *gap* Mz **132** esse] *omitted* S **134** ostendit] S: preposuit W **136** a] *omitted* MF

110 Leo] *Tractatus 73*, CCSL, vol. 138A, p. 451 **115** Ambrosius] Maximus, *Sermo* LXXVI, CCSL, vol. 23, p. 318 (ascribed to Ambrose in some MSS) **128** Marci] Mk. 16:1 **129** Considerandum] D.50 c.53, col. 198

autem legitur quod deus pretulerit eum cuncte ecclesie nisi cum dixit ei Christus, “Pasce oves meas”. Ergo illa verba dirigebat ad eum Christus in propria persona, et non in persona aliorum apostolorum.

Item, hoc Ambrosius, ut habetur dist. 50[a], c. *Fidelior*, testari videtur, cum dicit: “Fidelior factus est Petrus postquam se fidem perdidisse deflevit, atque ideo maiorem graciam reperit quam prius amisit. Tamquam bonus enim pastor tuendum gregem accepit”. Ex quibus verbis colligitur quod Petrus, postquam perdidit fidem, pastor gregis Dominici fuit effectus, sed non nisi tunc, vel tunc potissime, quando dixit sibi Christus, “Pasce oves meas”. Ergo tunc factus fuit pastor. Nemo autem fit pastor aut prelatus per verba que in singulari dicuntur alteri. Ergo esto quod Christus fecisset alios apostolos pastores equales Petro, saltem per illa verba que in singulari dixit Petro dicens, “Pasce” — et non “pascete” — “oves meas”, nullus alius apostolus fuit factus pastor ecclesie, neque equalis neque inferior Petro. Ergo illa verba dirigebat Christus ad Petrum in propria persona, non in persona aliorum.

Hoc eciam Bernardus ad Eugenium Papam affirmat aperte, sicut postea apparebit. Qui eciam idem sentire videtur in quodam sermone “De septem panibus”, dicens: “Testis est et Petrus, cui post trinam negacionem tocius ecclesie pastoralis cura commissa est”. Sed nonnisi quando dixit sibi Christus, “Pasce oves meas”. Ergo illa verba dirigebat ad eum Christus in persona propria, non in persona aliorum.

Quod ex canonibus Paschasii pape, Extra, *De eleccione*, c. *Significasti*, et Innocencii 3[ii], Extra, *De maioritate et obediencia*, c. *Solite*, patenter habetur.

Capitulum 5

Discipulus: Allegasti contra illud in quo prima responsio supra c. 3[o] recitata fundari videtur. Ideo nunc tracta alia que opinantes illi videntur asserere respondendo, per que argumentum adductum evacuare et suam responsionem declarare nituntur. Et primo incipias ab illo quod dicitur quod Christus tali modo loquendi usus est, quod scilicet aliquando aliqua verba dixit uni et tamen dirigebat ipsa ad

---

137 nisi] *omitted* MF | Christus] *omitted* Ed **142** prius] *omitted* S | amisit] et *added* MF | enim] S: *omitted* W **148** illa] *omitted* Fr Ed | et…149 pascete] Mz: *omitted* W **153** apparebit] patebit Ed **154** et] *omitted* Ed **156** verba] Christi *added* Ed | dirigebat] dirigebantur Ed | Christus] *omitted* Ed **5.3** videntur] videtur Mz **4** que] *omitted* MF

---

140 Fidelior] D.50 c.54, col. 198 **153** De septem panibus] PL, vol. 183, col. 342D
158 Significasti] X 1.6.4, col. 49 **159** Solite] X 1.33.6, col. 196 **5.2** supra] 3.33 **5** illo] 3.51

illum cui loquebatur in persona aliorum, quod ipse testatur cum dicit, Marci 13º, "Quod vobis dico, omnibus dico".

Magister: Nonnullis apparet quod, per illa que dicta sunt in precedenti capitulo, intelligentibus patet aperte quomodo illud ad propositum nichil facit, quia verum est quod Christus aliquando tali modo loquendi usus est, quia interdum loquendo uni dirigebat sermonem ad alios, sed hoc non fuit nisi quando fuit eadem racio dicendi aliquid uni et aliis. Quod accidit quando aliquis inducitur ad agendum vel non agendum aliquid, sive ad credendum vel non credendum aliquid, quod alii ita tenentur agere vel non agere, credere vel non credere, sicut ille cui dicitur in singulari et universaliter, ubi ille cui aliquid dicitur et alii consimiliter se habent, et habere debent sive tenentur se habere, ad illud quod dicitur. Quod veritatem habet in illo de quo precesserat sermo Christi cum postea dixit Marci 13º, "Quod autem uni dico, omnibus dico: vigilate". Ita enim indiguerunt et indigent alii viatores vigilare quando nesciunt quando Dominus veniet sicut apostoli. Sed quando alii non consimiliter se habent, vel non tenentur consimiliter se habere, ad illud de quo est sermo, tunc quod dicitur uni non propter hoc intelligitur aliis esse dictum. Non enim quando Dominus dixit Petro, "Vade ad mare et mitte hamum", et cetera, omnes alii discipuli et apostoli qui hoc audierunt currere cum Petro tenebantur ad mare. Sic quando Christus dixit Petro, Iohannis ultimo, "Sequere me", noluit ut Petrus intelligeret illud eodem modo esse dictum aliis sicut sibi. Propter quod interroganti Petro de Iohanne, "Domine, hic autem quid?" respondit <ei> Iesus, "Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere". Sic dico non semper quod dicitur uni intelligitur aliis esse dictum. Quod non videtur veritatem habere quando aliquid dicitur uni ut preficiatur aliis, sicut in proposito fuit.

Per predicta patet, ut videtur quibusdam, falsum esse, quod tamen post recitacionem verborum Christi et glosse dicunt opinantes prefati, quod "ex hoc non aliud convincitur nisi quod ipsum pastorem Christus instituit. Non tamen ex hoc sequitur quod ipsum super reliquos apostolos ad auctoritatem vel dignitatem priorem pretulit. Nec rursum sequitur ex hoc alios apostolos non fuisse institutos pastores". Errant aperte, quia eciam sequitur quod Christus Petrum pastorem instituit et quod constituit eum priorem auctoritate et dignitate apostolis aliis,

---

7 ipse] solus *added* Ed | Marci] mathei W **8** vobis] uni Ed **13** dicendi] docendi Ed | uni…aliis] unum et alios Ly **17** sive] cum MF **19** enim] *omitted* Ed **23** esse] *omitted* Ed **28** autem] Frb Ly S: *omitted* W | respondit] Scott: respondit ei W | Sic] si Ly **30** Quod] eciam *added* Ed **31** aliis] alteri Ed **32** falsum esse] *omitted* MF **33** quod] *omitted* MF **37** Errant] enim *added* Ed

---

7 Marci] 13:37 **19** Marci] 13:37. **23** dixit] Mat. 17:26 **26** Iohannis] 21.22 **27** interroganti Petro] Jn. 21:21-2 **33** dicunt] 3.33

quia per verba illa Christus non constituit aliquem alium quam Petrum pastorem, sicut videtur aliquibus demonstrative probatum. Et eciam non distinxit inter oves has Christi et illas, ergo eciam super alios apostolos, qui erant oves Christi, constitutus fuit per illa verba beatus Petrus. Cum autem dicitur "nec rursum sequitur ex hoc alios apostolos non fuisse institutos pastores", non errant si intelligantur verba sicut prima facie sonant, quia, non obstantibus verbis illis Christi, apostoli fuerunt constituti pastores per alia verba Christi; sed postea per illa verba dicta Petro singulariter, "Pasce oves meas", subiciebantur Petro, retenta auctoritate et dignitate aliis apostolis ante concessa a Christo.

Capitulum 6

Discipulus: Narrasti quomodo improbatur responsio antescripta. Nunc narra qualiter respondetur ad illa que in responsione eadem allegantur ad probandum equalitatem aliorum apostolorum Petri.

Magister: Ad evidenciam illarum allegacionum et multarum aliarum primo dicitur esse notandum quod Christus non sic commisit curam pastoralem Petro super apostolos omnes et cunctos fideles ut ea que ipse fecerat circa apostolos revocaret, vel potestatem revocandi, presertim absque causa iusta, Petro concederet, nec sic ut ab omni regimine et cura apostolorum et aliorum fidelium, eciam innotescente fidelibus, abstineret; quinimo voluit quod illa que fecerat servarentur, et fidelibus sepe innotuit ipsum, post ascensionem suam, et postquam fecit Petrum vicarium suum, plura fecisse miraculose et potestative erat fidelis per hoc.

Dicitur ad illud quod allegatur de prefacione que de apostolis legitur et cantatur, quod Christus apostolos in plurali rectores, vicarios et pastores constituit, non tamen per illa verba "Pasce oves meas" sed per alia: omnes tamen subdidit rectori, vicario et pastori supremo, scilicet Petro, quamvis hoc non dicatur in prefacione illa sed ex scriptura canonica, que maioris auctoritatis habetur. Aliter dicitur quod deus multa dicitur facere que tamen facit mediantibus aliis. Et ideo cum in prefacione prescripta non dicatur quod Christus nullo modo mediate apostolos constituerit operis sui vicarios, ex ipsa inferri non potest quod non constituerit eos mediante Petro, et per consequens multo minus

---

40 videtur] *omitted* Ed | probatum] videtur *added* Ly | non] *omitted* MF **42** verba] id est *added* MF **6.6** curam] eciam Ly **7** circa…8 vel] omitted Ed **8** presertim] *omitted* Ly **11** suam] suum esse vicarium *added* Ly **12** erat fidelis] *omitted* Ed **13** hoc] quod *added* MF **21** mediate] mediante MF

---

42 dicitur] 3.36 **6.3** eadem] 3.33 **5** Ad…13 hoc] See on the website 31TextProblems.html **14** allegatur] 3.40

potest ex ea concludi quod non constituerit eos rectores, vicarios et pastores sub supremo pastore, vicario et rectore, scilicet Petro.

Ad aliam cum dicitur quod "omnibus Matthei ultimo indifferenter dictum est, 'Euntes ergo docete omnes gentes', non dixit Petro, 'Vade et alios mitte'", respondetur quod auctoritas docendi data fuit omnibus apostolis immediate a Christo, nec alii apostoli eam habuerunt a Petro; sed ex hoc non sequitur quod non fuerint inferiores Petro. Constat enim quod in potestatibus secularibus multi inferiores imperatore aut rege dignitates obtinent seculares quas tamen ab isto imperatore aut rege minime habuerunt, sed a predecessore receperunt; quo tamen non obstante, isto imperatore aut rege sunt inferiores et eidem sunt subiecti. Sic eciam prelati inferiores nonnulli veras habent ecclesiasticas dignitates, et tamen non a superiori superstite sed a predecessore instituti fuerunt, nec alia institucione postea indiguerunt. Ergo multo forcius poterant apostoli alii auctoritatem docendi habere a Christo et non a Petro et tamen esse inferiores Petro. Et ideo, quamvis per illa verba que dixit Iesus apostolis, "Euntes ergo docete", et cetera, non possit probari quod Petrus fuit superior aliis apostolis, tamen ex hoc non sequitur quod Petrus non fuit superior sed par, quia superioritas eius ex aliis ostenditur, sicut probatum est. Quamvis ergo Christus non dixerit Petro, "Vade et mitte alios", scilicet quando dixit apostolis, "Euntes ergo docete", et cetera, tamen quando dixit sibi, "Pasce oves meas", implicite dixit, "Mitte saltem alios" quos non misit specialiter Christus, quia, concedendo sive imponendo sibi curam omnium generalem, iniunxit simul ea sine quibus eadem cura salubriter geri non potest, quemadmodum concesso principali omnia accessoria conceduntur, Extra, *De officio et potestate iudicis delegati*, *Preterea*. Non ergo cum dixit Christus, "Euntes ergo docete omnes gentes", significavit in omnibus auctoritatis equalitatem, sed solummodo docendi iniunxit officium, quod equalitatem auctoritatis inter doctores non requirit.

Ad aliam vero, cum dixit Christus apostolis, "Nolite vocari rabbi", et cetera, multipliciter respondetur. Uno modo quod hoc dixit apostolis et aliis antequam aliquem ex eis preficeret aliis in prelatum, quia hoc dixit ante passionem suam dum ipse et non alius erat prelatus fidelium. Aliter dicitur quod Christus verba sua ibidem de supremo et primo rabbi et magistro volebat intelligi, ut scilicet preter deum seu Christum nullus primus et supremus rabbi, pater et magister

30 aut] et Ly **32** imperatore…rege] imperatori aut regi Ly **33** ecclesiasticas] ecclesias et Ed **40** non dixerit] *omitted* MF **41** scilicet] *omitted* MF **46** accessoria] antecessoria Pz **49** quod] quia MF **55** et[1]] seu Ed

25 aliam] 3.63 | Matthei] 28:19 **46** Preterea] X 1.29.5, col. 159; cf. gloss, s.v. ex eo quod causa, col. 330 **50** aliam] 3.67

fidelium putaretur. Neque enim Christus voluit ut quilibet fidelium eum qui genuit ipsum non haberet pro patre vel ipsum recusaret vocare patrem, sed voluit ut deum superiorem patre carnali pro patre superiori et principaliori haberet. Sic proporcionaliter de rabbi et magistro dicendum videtur. Ad cuius evidenciam dicitur esse sciendum quod sepe moris est scripture aliquid negare ab aliquo cui primo et principalissime seu antonomastice non convenit, licet secundario et non principaliter [seu] antonomastice de ipso dicatur. Sic enim dixit apostolis, Matthei 10º, "Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini", et post, "Non enim vos estis qui loquimini sed spiritus patris mei qui loquitur in vobis", scilicet primo et principaliter, qui tamen secundario tamquam moti a principali erant qui loquebantur. Sic eciam dixit Christus, ut habetur Luce 18º, "Nemo bonus nisi solus deus", scilicet essencialiter et primo, et tamen angeli boni et beati in celo atque iusti omnes sunt boni. Sic dicitur in proposito quod Christus in verbis istis solummodo voluit ut deus et Christus principaliter et quasi antonomastice haberetur pro patre, rabbi et magistro et nullus alius.

Capitulum 7

Discipulus: Numquid potest probari quod verba illa Christi non debent intelligi sicut ipsa predicti opinantes intelligunt?

Magister: Videtur quibusdam quod sic. Dicunt enim quod ista allegacio et consimiles sunt similes illi allegacioni in qua se fundant quidam heretici, dicentes quod nulla ex causa licet iurare propter hoc, quod Christus dixit Matthei 5º, "Ego autem dico vobis, non iurare omnino". Quia sicut illi dixerunt quod nulli in quocumque casu licet iurare propter predictum preceptum Christi, sic isti videntur dicere quod nullo modo est concedendum Christum instituisse aliquem apostolum superiorem aliis propter predicta verba, quibus eis videtur equalitatem iniungere. Sed sicut, non obstantibus verbis Christi premissis de iuramento, licet in casu iurare, ita, non obstantibus verbis Christi illis quibus equalitatem quamdam fidelibus videtur imponere, licet vocari rabbi et magister et pater.

Primo igitur ostenditur quod intellectus quem predicti opinantes videntur habere de prefatis verbis Christi non potest stare. Secundo explicabitur verus et catholicus intellectus illorum verborum, ut nonnullis apparet. Quod igitur Christus non intenderit illis quibus loquebatur per illa verba sic equalitatem

60 aliquid] aliquod Ly **62** principaliter seu] Scott: principaliter W **65** mei] vestri S **66** qui loquebantur] *omitted* MF **67** scilicet] sed Mz **68** omnes] *gap* Mz, *omitted* Fr **69** ut] quod Ed **7.12** Christi] *omitted* Ed **15** potest] possit Ed

63 Matthei] 10:19-20 **67** Luce] 18:19 **7.2** verba illa] 3.67 **6** Matthei] 5:34

iniungere ut ab eis, presertim pro futuris temporibus, omnem superioritatem excluderet multis apparet modis. Nam Christus dirigebat verba illa non solum ad apostolos sed eciam ad omnes suos discipulos, immo eciam ad turbas. Sic enim ibidem premittitur, "Tunc locutus est Iesus ad turbas et ad discipulos suos dicens, 'Super cathedram'", et cetera; sed non intendebat ab omnibus, saltem pro futuris temporibus, omnem inequalitatem excludere: tunc enim numquam ex ordinacione Christi aliquis inter fideles fuisset superior aliis, et per consequens Petrus per ordinacionem Christi numquam fuisset superior quibuscumque, et ita non fuisset pastor quorumcumque constitutus a Christo, quod eciam opinantes predicti negant. Et ita Christus equalitatem omnimodam auctoritatis nec apostolis nec aliis tunc iniunxit.

Amplius, si Christus tunc apostolis equalitatem auctoritatis iniunxit, ergo non licuit apostolis postea, contra idem preceptum Christi, nec Petrum nec alium per se superiorem constituere, quod tamen isti negant, dicentes quod apostoli elegerunt et constituerunt Petrum superiorem se. Immo sequitur quod nec quibuscumque Christianis liceret aliquem super se eligere superiorem, cum Christus ibidem non ad solos apostolos sed eciam ad alios discipulos, presentes et futuros, intenderit verba predicta dirigere et utrosque instruere: tunc enim poterat Christus dicere illud quod dixit, Marci 13º, "Quod vobis dico, omnibus dico".

Discipulus: Forte dicerent isti quod, licet Christus tunc apostolis iniunxerit equalitatem auctoritatis, non tamen interdixit eis quin ex iusta causa possent postea aliquem super se constituere.

Magister: Istud quibusdam non placet. Nam si Christus non interdixit apostolis, et per consequens nec aliis, quin ex causa iusta possent supra se constituere superiorem, multo magis sibi ipsi non imposuit legem quin postea posset unum apostolum preferre aliis. Ergo per illa verba que dixit Matthei 23º non potest ostendi quod postea Christus non pretulit aliis apostolis beatum Petrum, licet posset ostendi quod per illa verba que recitat Matthei 23º non pretulerit eum aliis apostolis, quod conceditur a quibusdam.

Rursus, apostoli verba illa Christi sicut prima facie sonant non servabant quia sentencialiter et vocaliter se vocabant et reputabant se magistros et patres et

19 apparet] *omitted* MF **21** premittitur] promittitur Ed **23** inequalitatem] Frm Ly: equalitatem W; et superioritatem *added* Ly **25** et…26 quorumcumque] *omitted* Ly **38** tunc] sic Ly **42** possent] posset Ly; postea aliquem *added* Ed **44** 23] Kilcullen: 13 W **46** 23] 13 Ed **49** reputabant] Fr: reputaverunt W

21 ibidem] Mat. 23:1 **36** Marci] 13:37 **44** Matthei] 23:8

rabbi. Ait enim Apostolus 1ª ad Timotheum 2º, "Veritatem dico, non mencior, doctor gencium": si autem doctor et magister (unde et 2ª ad Timotheum 1º ait, "Ego predicator et apostolus et magister gencium"). Et in eadem epistola vocat Timotheum dilectum filium: si autem Timotheus fuerit filius, ipse reputavit se patrem. Et eidem scribit c. 5º, "Seniorem ne increpaveris sed obsecra ut patrem": ex quibus verbis colligitur quod licebat Timotheo vocare seniores patres, et tamen Christus dicit, "Patrem nolite vocare vobis super terram". Et beatus Iohannes, 1ª epistola sua, c. 2º, ait, "Scribo vobis, filioli", et infra, "Et nunc filioli manete in eo": ex quibus verbis colligitur quod licuit illis quibus scribebat beatus Iohannes vocare eum patrem. Sentencialiter ergo apostoli vocaverunt se magistros et rabbi, quod nequaquam fecissent si Christus interdixisset eis talibus vocabulis se vocare, quia, si "non dubium est committere in legem eum qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem" (C. de legibus, 1º) , non dubium multo magis committit in legem qui tam mentem quam verba legis transgreditur. Nequaquam igitur Christus omnimodam equalitatem auctoritatis tunc apostolis pro temporibus futuris iniunxit.

Oportet ergo alium quam predictum premissorum verborum Christi querere intellectum. Ad quorum evidenciam dicitur esse notandum quod Christus omnia verba illa, "Nolite vocari rabbi", "Patrem nolite vobis vocare super terram", "Nec vocemini magistri", dixit propter Phariseos et Scribas, qui ambiciosi dignitatum erant et honorum et vehementes inanis glorie amatores, qui propter huiusmodi omnia opera sua fecerunt. De quibus Salvator dicit ibidem, "Omnia vero opera sua faciunt ut videantur ab hominibus", ubi eos de inani gloria aperte notavit. Quos eciam de ambicione notavit cum dixit, "Amant autem primos recubitus in cenis, et primas cathedras in synagogis, et salutaciones in foro, et vocari ab hominibus rabbi". Dicitur igitur quod cum Christus, occasione viciorum Phariseorum et Scribarum, scilicet inanis glorie et ambicionis, post verba premissa de Phariseis et Scribis subiunxit, dicens discipulis suis omnibus, "Vos autem nolite vocari rabbi", et cetera, non equalitatem auctoritatis discipulis suis iniunxit, nec eciam tunc interdixit omnem superioritatem, sed ipsos volens ad humilitatem inducere ambicionem et inanem gloriam dissuasit, prohibendo vel consulendo ne extra casum necessitatis (que eciam utilitatem includit, ut notat

61 si] *omitted* Ed | eum] *omitted* Ed **62** verba…63 qui] *omitted* Ed **69** magistri] magister Fr Pz **70** honorum] bonorum Pz | vehementes] vehementis Pz **72** hominibus] omnibus MF **73** ambicione] ambulacione Pz | primos] primus MF **75** ab] ob Ed | hominibus] omnibus Ed **77** dicens] dicit Ly

50 1 ad Timotheum] 2:7 **51** 2 ad Timotheum] 1:11 **52** eadem epistola] 1 Tim. 1:2 **54** c. 5] 1 Tim. 5:1 **56** dicit] Mat. 23:9 **57** epistola sua] 1 Jn. 2:1, 2:28 **62** de legibus] *Code*, 1.14.5, p. 68 **68** verba illa] Mat. 23:8-10 **71** ibidem] Mat. 23:5 **73** dixit] Mat. 23:6-7

glossa Extra, *De iureiurando*, *Et si Christus*), magisterium, immo quamcumque prelacionem et superioritatem aut maioritatem, appeterent, vel eciam nominibus importantibus dignitatem aut superioritatem vocari gestirent. Quod non tantum per precedencia in eadem serie sed eciam per sequencia potest patencius declarari, quia non magis interdixit cuilibet eorum omnem auctoritatem et superioritatem per illas negativas, "Nolite vocari rabbi... nec vocemini magistri", quam interdixerit eis subieccionem que est respectu superioris auctoritate per verba sequencia cum dixit, "Qui maior est vestrum erit minister vester". Sed per illa verba noluit indicare quod maior inter eos deberet esse subiectus aliis tamquam prelatis. Ergo per alia verba, scilicet per negativas, noluit eis omnimodam equalitatem auctoritatis iniungere, sed ipsos ad humilitatem contra ambicionem et inanem gloriam incitare. Propter quod post omnia verba prescripta subiunxit, "Qui autem se exaltaverit humiliabitur".

Capitulum 8

Discipulus: Discute secundam responsionem quam sepe dicti asserunt opinantes.

Magister: Illa responsio consistit in hoc quod per illa verba, "Pasce oves meas", specialiter beato Petro, propter sui constanciam, commissus fuit populus Israel, qui dure cervicis fuit versus deum. Sed nonnullis videtur quod hec responsio oppositum illius quod tenet patenter concludit. Nam si per illa verba, "Pasce oves meas", commissa fuit Petro cura populi Israel, et Christus in illis verbis inter has oves et illas de populo Israel non distinxit nec aliquas oves excepit, ergo omnium ovium Israel fuit cura commissa beato Petro. Inter oves autem Israel precipue fuerunt apostoli. Ergo per illa verba fuit commissa cura reliquorum apostolorum beato Petro.

Discipulus: Forte responderent opinantes predicti quod, licet Christus in illis verbis, "Pasce oves meas", non distinxerit inter has oves et illas nec aliquas tunc exceperit, tamen alibi distinxit et aliquas, scilicet apostolos, manifeste excepit. Tunc enim videtur apostolos excepisse quando eos misit sicut Petrum et eandem potestatem dedit eis quam dedit Petro, cum dixit omnibus, ut habetur Matthei 18º, "Quecumque alligaveritis super terram", et cetera; et cum dixit eis, ut habetur Iohannis 20º, "Sicut misit me Pater, et ego mitto vos", et post, "Accipite

82 quamcumque] quantumque Pz **85** patencius] patentibus MF **88** superioris] superiorum Ed **90** tamquam] *omitted* Ly **91** negativas] negativa Ly **8.9** excepit] accepit Ed **16** excepisse] accepisse Pz **18** cum] Scott: tamen W **19** et post] *omitted* Ed

82 glossa] X 2.23.26, s.v. necessitas, col. 822 **89** dixit] Mat. 23:11 **93** subiunxit] Mat. 23:12
8.2 secundam] 3.70 **4** illa verba] Jn. 21:17 **17** Matthei] 18:18 **19** Iohannis] 20:21-3

Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt"; et cum omnibus dixit Matthei ultimo, "Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris", et cetera ; et cum omnibus dixit, ut legitur Marci ultimo, "Euntes in mundum universum predicate evangelium omni creature. Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit", et cetera. In omnibus hiis videtur Christus apostolos ab aliis fidelibus ovibus distinxisse et eos a potestate Petri penitus exemisse, quia cum verba illa, "Pasce", et cetera, dicta Petro fuerint generalia et generali deroget speciale, Extra, *De rescriptis*, c. 1º, sequitur quod illis verbis generalibus dictis Petro derogatum est specialiter quoad apostolos, quibus Christus dedit specialiter potestatem eandem quam Petro, sicut per predicta patet, ut videtur.

Magister: Hec responsio impugnatur, quod licet Christus dederit ceteris apostolis aliquam potestatem specialem, numquam tamen concessit eis potestatem generalem vel equalem potestati Petri. Verbo enim generaliori usus est in preficiendo Petrum, scilicet verbo pascendi, quod communius est quam verbum docendi vel baptizandi aut aliud tale, qualibus verbis usus est in concedendo potestatem aliis apostolis. Et ideo quamvis aliquando distinxerit Christus inter apostolos et alias oves suas ac ipsos quoad aliquid exemerit aliquo modo a potestate Petri, tamen quando dixit Petro, "Pasce", et cetera, ipsum preficiendo omnibus, non distinxit inter ipsos et alios. Et ideo ipsos non exemit nec manere exemptos voluit seu liberos a potestate Petri, nisi quantum ad illa que expressit in concedendo eis potestatem specialem. Propter quod non fuerunt exempti a potestate Petri, nisi quantum ad officium predicacionis, baptizandi, ligandi et solvendi a peccatis, et si qua alia Christus expressit quando eis contulit aliquam potestatem. Cum ergo dicis quod mandatum speciale derogat generali, conceditur quantum ad ista que exprimuntur in speciali mandato, non quantum ad alia. Et ideo mandatum datum apostolis de baptizando, predicando, docendo, solvendo et ligando derogabat mandato illi dato Petro, "Pasce oves meas", quantum ad illa solummodo que Christus iniunxit apostolis. (Et tamen non in casu omni, quia si in huiusmodi excessissent, racione delicti eciam quoad illa fuissent subiecti Petro, quia exempti racione delicti sorciuntur forum, et "privilegium

21 ergo] *omitted* Ed **27** generali] generale Fr Ly | speciale] speciali Ly **31** ceteris] *omitted* Ed **33** potestati] potestate Pz **35** qualibus] Fr: qualibet Mz, quibus Ed **36** potestatem] in *added* Ed **37** quoad] ad MF **41** Propter quod] propterea Ed **44** generali] hinc quod MF | conceditur] in generali *added* MF **49** in] *omitted* Ed

21 Matthei] 28:19 **23** Marci] 16:15-16 **28** c. 1] X 1.3.1, col. 16

meretur amittere qui permissa sibi abutitur potestate", Extra, *De regularibus*, c. *Licet*, et 11ª, q. 3ª, *Privilegium*.)

Discipulus: Ista impugnacio contra veritatem militare videtur, quia apostoli non solum fuerunt predicatores et doctores habentes potestatem baptizandi, ligandi et solvendi, sed eciam fuerunt a deo consitituti pastores, teste Apostolo, qui ad Ephesios 4º, loquens de Christo, ait, "Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores". Ex quibus verbis colligitur quod Christus ita constituit alios apostolos pastores sicut Petrum, et per consequens vocaliter vel sentencialiter ita dixit cuilibet alii apostolo, "Pasce oves meas", sicut Petro. Ex quo concluditur quod omnem potestatem importatam per verbum pascendi dedit aliis sicut Petro, quia talem potestatem nullis magis dedit quam apostolis. Ergo apostoli eandem auctoritatem habuerunt in omnibus cum Petro.

Magister: Huic obieccioni tue respondetur quod Christus, qui eciam nunc ecclesiam non desinit invisibiliter gubernare secundum Apostolum, quosdam mediante Petro constituit pastores. Nec apostolus dicit quod Christus dedit absque ministerio Petri quosdam pastores, sed quod dedit pastores, quia dedit eos mediante ministerio et auctoritate Petri, quod verum est.

Capitulum 9

Discipulus: Dic nunc breviter quomodo respondetur ad auctoritatem Apostoli et glosse que adducuntur ad probandum equalitatem specialiter beati Pauli ad Petrum.

Magister: Ad omnes illas auctoritates respondetur per ea que dicta sunt prius, quia licet alii apostoli a beato Petro non fuerint constituti a Christo pastores universalis ecclesie nec super universalem ecclesiam habuerint potestatem eandem quam habuit Petrus, tamen beatus Paulus officium predicacionis habuit immediate a Christo. Quod officium antequam vidisset Petrum vel Petrus sciret ipsum fuisse conversum exercuit, quia de ipso scribitur Actuum 9º, "Surgens baptizatus est, et cum accepisset cibum confortatus est. Fuit autem cum discipulis qui erant Damasci per dies aliquot. Et continuo ingressus Paulus in synagogis predicabat Iesum, quoniam hic est filius dei". Et quod tunc nullam auctoritatem

---

51 permissa] concessa S **52** et] *omitted* MF **54** solum] solummodo Ed **55** qui] *omitted* Ed **57** alios autem] et alios Ed **66** mediante] immediate MF, mediate Frb **9.7** habuerint] habuerunt MF **12** ingressus Paulus] *omitted* S

---

52 Licet] X 3.31.18, col. 576 | Privilegium] C.11 q.3 c.63, col. 660 **55** ad Ephesios] 4:11 **9.3** adducuntur] 3.79 **5** prius] cf. 6.27 ff. **10** Actuum] 9:18-20

habuerit predicandi a Petro videtur per illa que sequuntur cum dicitur, “Cum autem venisset in Ierusalem tentabat se iungere discipulis, et omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus. Barnabas autem apprehensum illum duxit ad apostolos, et narravit illis quomodo in via vidisset Dominum, et quia locutus est ei, et quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Iesu”.

Quod autem dixit Apostolus sibi creditum esse evangelium prepucii sicut Petro circumcisionis, dicunt quidam hoc non esse dictum ab Apostolo quia Paulus fuerit tantum doctor et predicator gencium, Petrus solummodo Iudeorum, cum hoc scripture canonice repugnare apertissime videatur. Uterque enim auctoritatem et potestatem habuit predicandi tam prepucio quam circumcisioni, hoc est tam gentibus quam Iudeis, et aliquando uterque predicavit utrisque. Et de Paulo quidem manifeste patet Actuum 9º et 13º et 14º quod predicavit Iudeis; quod autem fuerit eciam doctor gencium ipse in epistolis suis asserit, quod eciam de ipso apostolica testatur historia. De Petro eciam patet idem: predicavit enim Iudeis, ut ex multis locis liquet, qui gentibus, scilicet Cornelio et aliis, sicut patet Actuum 10º, predicavit. Sed ideo dicit apostolus sibi creditum esse evangelium prepucii et Petro circumcisionis quia Paulus magis erat intentus conversioni gencium et Petrus conversioni Iudeorum. Ita ut sepe et in diversis provinciis predicaverit dumtaxat Iudeis teste Eusebio in *Ecclesiastica historia*, qui libro 3º, c. 2º, ait: “Petrus Pontum et Galatiam, Bithyniam, Cappadociam ceterasque confines provincias Iudeis dumtaxat predicans circumisse deprehenditur”. Et tamen sibi licebat gentibus predicare quemadmodum Paulo fuit licitum predicare Iudeis, quod glossa quam predicti opinantes in responsione nunc tractata adducunt asserit manifeste, dicens: “Ita tamen dispensacio distributa est illis ut eciam Petrus gentibus predicaret si causa fecisset et Paulus Iudeis”, quod eciam ex *Ecclesiastica historia* asserente quod Petrus et Paulus Romanam fundaverunt ecclesiam, sicut postea dicetur, colligitur evidenter. Cum autem dicit glossa ista evangelium prepucii “ita principaliter” esse creditum Paulo sicut evangelium circumcisionis Petro, respondetur quod hoc dicit glossa propter hoc, quod Christus immediate credidit Paulo officium predicandi et sine Petro, ita quod officium predicandi non habuit a Petro; et tamen Paulus

22 videatur] videantur Fr Pz **25** et[1]] Knysh: 7 W **27** de ipso] ipse de Ed **28** qui] in *added* MF gentibus] *omitted* Ed **34** ceterasque] cetera sed Ly **35** tamen] cum MF **38** fecisset] exegisset Ed **40** postea] post Ed | dicetur] diceretur MF **43** credidit] tradidit Ly

14 dicitur] Acts 9:26-27 **19** dixit] 3.79 **25** Actuum] 9:20, 13:5, 14:1 **26** asserit] cf. 1 Tim. 2:7 **29** Actuum] 10:34 ff **33** ait] Eusebius, tr. Rufinus, p. 189 **37** adducunt] 3.84 **39** Ecclesiastica historia] II.xxv.7-8, tr. Rufinus, p. 179 **40** postea] Possibly 18.61, though the passage quoted there does not say that Peter and Paul founded the Roman Church. **41** dicit] 3.82

quodammodo erat subiectus Petro, eciam quantum ad predicacionis officium, quia si in officio sibi a Christo commisso excessisset fuisset corrigendus a Petro.

Cum autem accipitur in responsione prefata quod nec Paulus nec alter sanctus potuerit aliunde assumere populum Iudaicum specialiter et principaliter fuisse Petro commissum nisi ex eo quod Christus illi dixit, "Pasce oves meas", respondetur quod Paulus plura dixit de Christo et apostolis que ex canonicis novi testamenti scripturis non accepit. Dixit enim 1ª ad Corinthios 15º, "Deinde visus est", scilicet Christus, "plus quam quingentis simul", et ut legitur Actuum 20º, "Beacius est magis dare quam accipere", et tamen ista in scripturis novi testamenti prioribus non habentur. Sic eciam potuit dicere de beato Petro, tamquam ille qui gestorum Petri pro magna parte habebat noticiam, quod sibi erat creditum evangelium circumcisionis, quamvis nec ex illo verbo, "Pasce oves meas", nec ex aliquo alio quod aliquis scripserit ante eum, acceperit.

Capitulum 10

Discipulus: Quia sicut antea dixi, multi vel omnes tenentes Christum constituisse beatum Petrum caput et principem aliorum apostolorum per illa verba Christi, "Pasce oves meas", hoc principaliter probare conantur, ideo illa verba volo adhuc amplius discuti, ut melius intelligam veritatem eorum. Videtur igitur primo quod, sicut alii innuunt, per illa verba probari non potest quod beatus Petrus fuerit constitutus princeps et prelatus quorumcumque, quia verbis et exemplis et eciam subsidio corporali potest quis pascere alios quamvis super eos nullam habeat auctoritatem omnino. Ergo per hoc quod dixit Christus Petro, "Pasce", et cetera, nullam ei auctoritatem super alios pascendos commisit omnino.

Magister: Videtur quampluribus quod ista responsio minime satisfacit. Nam sicut in concessione beneficii vel privilegii concessio indefinite et simpliciter facta intelligitur generaliter (Extra, *De privilegiis*, *Quia circa*), sic eciam commissio potestatis vel officii indefinite et simpliciter facta debet intelligi universaliter — ut scilicet omnia intelligantur esse concessa seu commissa que non sunt prohibita, et de quibus est eadem committendi vel concedendi racio, et de quibus non est verisimile seu probabile quod committens seu concedens ea in

---

47 responsione] racione Ly **52** quingentis] fratribus *added* S **53** Beacius] beatus Pz **56** nec] *omitted* MF **57** scripserit] Scott: acceperit W | acceperit] Scott: scripserit W **10.10** pascendos] pascendo Ed **13** vel] *omitted* Ed **15** universaliter] *omitted* MF **17** racio] *omitted* MF

---

46 corrigendus] cf. 8.48 **47** accipitur] 3.86 **51** 1 ad Corinthios]15:6 **52** Actuum] 20:35
10.2 antea] c. 3 **6** innuunt] cf. 3.29 **14** Quia circa] X 5.33.22, col. 865; cf. gloss, *Casus*, col. 1825

speciali minime commisisset seu concessisset; quia qui nichil excipit et potuit excipere totum concessisse seu commisisse videtur, ut sacri canones protestantur. Sed Christus in verbis illis, “Pasce oves meas”, aliquid importatum per verbum pascendi commisit beato Petro et iniunxit. Ista autem commissio seu iniunccio indefinite et simpliciter facta fuit. Ergo omnia intelliguntur esse commissa que non inveniuntur prohibita, et de quibus est eadem racio committendi, de quibus non est verisimile seu probabile quod ipsa committens in speciali minime commisisset.

Sed per verbum pascendi non solum importatur pascere alios verbo et exemplo ac subsidio corporali, sed eciam potestative et cum auctoritate, presertim secundum quod verbum pascendi in scripturis sacris et exposicionibus sanctorum patrum accipitur. Quod copiose posset ostendi, sed sufficiat pauca adducere. Ait itaque Ezechiel, immo Dominus per Ezechielem prophetam, 34º c., dicens: “Ve pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos”, et post, “Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod egrotum non sanastis, quod confractum non alligastis, et quod abiectum est non reduxistis, et quod perierat non quesistis”. Errantes autem oves ad gregem reducere, perditas querere et reportare inventas spectat ad potestatem habentem super oves. Et veritas ipsa, ut habetur Iohannis 10º, ait: “Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. Huic enim ostiarius aperit, et oves vocem eius audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit: et oves illum sequuntur”. Ex quibus verbis Christi ac aliis que sequuntur, colligitur quod pastor fidelium Christi pastori ovium irracionabilium quantum ad officium assimilatur. Sed ille ex officio aliquam habet superioritatem et potestatem super oves domini sui. Ergo eciam pastor ovium Christi, que sunt fideles, ex officio potestatem et auctoritatem habet super easdem. Quod in exposicionibus et assercionibus sanctorum patrum tam patenter invenitur quod hoc probare per ipsos videtur omnino superfluum.

Ergo Christus <sibi> per verba illa, “Pasce oves meas”, aliquam potestatem super oves suas beato Petro commisit: presertim cum non inveniatur prohibuisse sibi omnem penitus potestatem et auctoritatem; fuit eciam eadem racio concedendi sibi auctoritatem aliquam et potestatem super oves et committendi sibi

19 qui] quia Mz, *omitted* Pz **24** committendi] committenda Mz **28** auctoritate] pertinent importantur *added* MF **30** posset] possit MF **35** ad…perditas] *omitted* Ed **37** enim] *omitted* S **38** et[3]] *omitted* Pz **41** ovium] omnium Mz **45** patenter] et evidenter added Ed **47** Ergo] *omitted* MF | Christus] Scott: Christus sibi W **50** oves] Fr: omnes W

20 sacri canones] See gloss, X 1.7.2, s.v. non invenitur, col. 215 **31** Ezechiel] 34:2, 4 **37** Iohannis] 10:2-4

pascere oves Christi bonis verbis et exemplis, quia ita indigebant rectore et potestatem habente super ipsas sicut indigebant edificando eas bonis verbis et exemplis; et ideo non est verisimile nec probabile quod talem potestatem sibi in speciali minime concessisset. Ex quibus relinquitur quod Christus aliquam potestatem per illa verba concessit et commisit beato Petro.

Capitulum 11

Discipulus: Hic possem allegando ex dictis infirmare quod Christus omnem eciam potestatem, ac plenitudinem potestatis talem qualem pape attribuit prima sentencia supra, primo huius 1º c., recitata, super oves suas commisit Petro, ex quo illa commissio fuit indefinite et simpliciter facta; sed de hoc postea conferam tecum. Ideo ad aliam allegacionem ad probandum quod per illa verba, "Pasce", et cetera, Christus non constituit Petrum superiorem aliis apostolis me converto. Videtur itaque quod sepe indefinita non equipollet universali, sed potest verificari eciam pro uno singulari. Cum ergo Christus indefinite dixerit, "Pasce", et cetera, hoc potest intelligi de aliquibus ovibus, absque hoc quod intelligatur de omnibus, et per consequens absque hoc quod intelligatur de apostolis. Non ergo per illa verba potest ostendi quod beatus Petrus fuit superior reliquis apostolis.

Magister: Putant quidam quod huic allegacioni potest faciliter responderi. Nam licet tam in iudicativis quam in aliis [scripturis] non semper verbum indefinite prolatum generaliter debeat intelligi, tamen quando alicui committitur potestas super aliquos, verbum indefinite prolatum generaliter debet intelligi, ut nullus tunc intelligatur exceptus nisi per alia possit probari exceptus. Cuius racio assignatur, quia, sicut iudices non debent esse incerti, quia de similibus simile iudicium est habendum, ergo quando committitur potestas seu prelacio alicui super aliquos per verbum indiffinite prolatum, quemadmodum nec procuratores nec tutores nec arbitri (sicut testantur leges tam canonice quam civiles, et racio hoc suadet), ita et prelati et subditi non debent esse incerti; immo omnes quibus idem est commune debent intelligi, nisi aliunde possit ostendi quod aliqui sint excipiendi. Aliter enim subditi in illo casu essent incerti. Ergo per illa verba, "Pasce oves meas", omnes fideles Christi debent intelligi ne oves pascende a Petro sint incerte, nisi de aliquibus aliunde ostendatur quod sint excepte. Quod

52 indigebant] pastore qui *added* Ed | eas] *omitted* Ed **53** exemplis] Christi oves pavisset *added* Ed **11.2** Hic] sic Pz **4** supra] *omitted* Ed **5** fuit] *omitted* Ed | facta] est *added* Ed **10** ovibus] et *added* Pz, eciam *added* Ly **15** iudicativis] Scott: iudicatis W | aliis scripturis] Scott: aliis *gap* Mz, aliis W **21** indiffinite] *omitted* Ly | prolatum] tantum indefinite debet intelligi *added* Ly

11.11 de apostolis] cf. 8.10 **15** indefinite] See above, 1.2.12 **22** testantur] cf. gloss to X 1.43.12, s.v. legali, col. 517

de apostolis ostendi non potest, sicut dicunt multi respondentes ad omnes allegaciones quibus ostenditur quod apostoli erant a potestate Petri excepti.

Capitulum 12

Discipulus: Allegacionem qua probatur quod Petrus fuit superior ceteris apostolis per hoc quod Christus sibi dixit, "Pasce oves meas", diffuse tractavimus. Ideo ad allegacionem aliam pro assercione eadem te converte.

Magister: Hoc tali modo probatur.

> Christus singulariter dixit Petro, "Et ego dico tibi quia tu est Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam, et porte inferi non prevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni celorum", et cetera. Per que verba Christus expresse videtur pronunciasse beatum Petrum futurum caput et fundamentum ecclesie, presertim mortuo Christo.

Discipulus: Quidam precedens motivum nituntur repellere eciam ad hoc; tali modo respondent, dicentes

> caput et fundamentum ecclesie unicum esse et fuisse ordinacione immediata dei, et hoc Christum, apostolorum vero neminem, eciam in absencia Christi, quemadmodum per scripturam indubie (ut dicunt) convincunt, prout recitatum est supra primo huius c. 3º. Cum igitur dicitur, "Super hanc petram", et cetera, dicunt secundum glossam et asserunt, "'Super hanc petram', id est super Christum, in quem credis". Ubi glossa interlinearis addit, "'Tu es Petrus', id est, a me petra, ita tamen ut michi retineam fundamenti dignitatem". Petrum autem vocavit eum Christus, id est constantem in fide. Quod isti non negant, qui et dicunt quod esto quod aliis constancior et merito perfeccior, non propter hoc dignitate prior, nisi tempore forte. Quod confirmatur per Augustinum dicentem in libro *Retractacionum*: "Dixi in quodam loco de apostolo Petro quod in illo tamquam in petra edificata sit ecclesia. Sed scio me postea sepissime sic exposuisse quod a Domino dictum est, 'Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam', ut super hunc intelligeretur quem confessus est Petrus, dicens, 'Tu es Christus, filius dei vivi', ac si Petrus

12.9 expresse…pronunciasse] expressisse videtur S **11** Quidam] quod MF **15** convincunt] coniungunt MF **16** huius] huiusmodi MF **18** interlinearis] S (cf. 19.4): nichil W **20** eum] S: *omitted* W **21** fide] fidem MF **22** constancior] fuerit *added* Ed **24** in[1]] S W: *omitted* Augustine **25** edificata] S W: fundata Augustine **27** ut] et Ed **28** si] S W: sic Augustine

12.6 Christus…10 Christo] Marsilius, II.xxvii.2 | dixit] Mat. 16:18-19 **13** caput…40 Iesus] cf. Marsilius, II.xxviii.5. Ockham has changed first person singular to third person plural. **16** primo huius c. 3] The text of Marsilius reads "16 et 22 huius", i.e. *Defensor* II.xvi and xxii. **17** glossam] *Glossa interlinearis* to Matthew 16:18 (Previté-Orton) **18** glossa interlinearis] Rather, *Glossa ordinaria* to Mat. 16.18 (Previté-Orton) **23** Augustinum] *Retractationum* I.20, CCSL, vol. 57, p. 62; cf. *Catena aurea*, on Matthew 16:18 (Previté-Orton)

ab hac petra appellatus personam ecclesie figuraret que super hanc petram edificatur. Non enim dictum est illi, 'Tu es petra', sed 'Tu es Petrus'. Petra autem erat Christus, quem confessus est Simon, sicut ei," Christo scilicet, "tota ecclesia confitetur, dictus est Petrus". Et potest huius racio assignari secundum scripturam, quoniam Petrus, quamdiu viator extitit, errare potuit et peccare per sui arbitrii libertatem; unde Christum negasse legitur et quandoque ad veritatem evangelii ambulasse non recte. Tale autem non poterat esse fundamentum ecclesie, sed ille solus fuit Christus, ut apparet 1ª ad Corinthios 3º, qui aberrare non potuit, eo quod ab instanti sue concepcionis impeccabilis fuerit confirmatus. Unde Apostolus, ubi supra: "Fundamentum enim aliud nemo ponere potest preter id quod positum est, quod est Christus Iesus".

Et quod addebatur, "Tibi dabo claves regni celorum", nullam Petro super reliquos apostolos auctoritatem tribuit, quoniam hanc eandem iudiciariam potestatem ceteris apostolis tribuit secundum Ieronimum et Rabanum, quorum glossas alibi inducunt; amplius, quoniam Christus potestatem clavium illi non videtur tradidisse per hec verba. Inquit enim, "Tibi dabo", quod sonat futurum, non dixit, "do". Sed Iohannis 20º indifferenter omnibus dixit, "Accipite Spiritum sanctum, et quorum remiseritis peccata", et cetera. Esto tamen quod Petrus hiis verbis potestatem hanc recepisset, non concluditur ex hoc nisi quod tempore prius fuerit pastor institutus. Et quod illi singulariter has tradidit Christus claves, signare voluit ecclesie unitatem in fide, ad quam fideles invitavit Christus per singularem clavium tradicionem sive promissionem, ut glossa dicit. Vel fortasse quia Christum dei filium esse primum constanter et manifeste confessus est, primum tempore dotatur clavibus et honoratur, aut honorari promittitur, ut sic eciam confitendi Christum palam et constanter per huius premium vel promissum ceteris preberetur exemplum. Non tamen propter hoc convincitur ipsum fuisse ceteris dignitate seu auctoritate priorem, quamvis hoc plures glossatorum dicere videantur a se, non habentes hoc ex scriptura. Significat autem infallibiliter (ut dicunt) eos verum dicere evangelii series, que habetur Matthei 20º et Luce 22º, ubi Christus, quesitum hoc aperte diffiniens, dixit nullum ipsorum esse superiorem aliis (facta enim erat contencio inter eos quis eorum esset maior). Et idem Matthei 23º, ad quos sic inquit

31 est] *omitted* S | ei] enim Ed, eum Augustine **32** potest] de *added* Ed **33** huius] S: hec M, hoc Fr Ed **37** potuit] S: potest W **38** impeccabilis] Fr S: eciam peccabilis Mz, eciam Ed **44** quoniam] *omitted* Ly **50** tradidit] tradiderit S **55** promittitur] permittitur W **59** Significat] signat MF **60** dicere] sequens *added* S | habetur] eiusdem *added* S **63** idem] idemque S

37 1 ad Corinthios] 3:11 **41** Et... Galatas 2] cf. Marsilius, II.xxviii.6 | addebatur] Mat. 16:19 **44** alibi] Marsilius, II.vi.3 **46** Iohannis] 20:22 **53** glossa] cf. *Catena aurea*, on Matthew 16:18 (Previté-Orton); quoted Marsilius, II.xxvii.2 **61** Matthei] 20:24–8 | Luce] 22:24–30 **63** Matthei] 23:8

Christus: “Vos autem”, invicem supple, “nolite vocari rabbi; unus est enim magister vester; omnes autem vos fratres estis”. “Omnes autem fratres”, id est equales; non ergo excepit aliquem. Et est mirandum si magis credere debeamus auctoritati glossatoris quam Christi, quicumque fuerit ille glossator, eciam sanctus, et maxime cum hoc non dicat tamquam glossator sed proprio sensu. Series enim scripture tam manifesta est quod glossa non eget in hoc. Amplius, ipsi glossatores oppositum dicunt, exponentes apostolum ad Galatas 2°.

Hec est priorum responsio. Quam incipe improbare, et qualiter ad motiva que pro se adducit valeat responderi, secundum aliquorum opinionem, studeas enarrare.

Capitulum 13

Magister: Sunt quidam qui predicta opinantes, quoad totam interpretacionem seu exposicionem prescriptorum verborum Christi, specialiter de temeritate et presumpcione nituntur arguere, quia esto (ut dicunt) quod precise per illa verba, “Tu es Petrus”, et cetera, nude intellecta, non posset patenter contra protervos ostendi quod Petrus erat superior aliis apostolis, tamen per ipsa et alia verba scripture canonice et exposiciones seu asserciones probatorum virorum probari potest quod illa verba Christi sic debent intelligi ut credatur per ipsa tunc primatus super omnes fideles fuisse Petro promissus. Et esto quod non esset necesse credere viris, quantumcumque probatis, post scriptores scripture canonice in hiis que pure sunt sciencie seu pericie, tamen omnino esset temerarium reputandum tam probatis viris, presertim illis qui discipuli apostolorum fuerunt a quibus intellectum scripture canonicum audierunt vel vicini apostolorum operibus extiterunt, absque infallibili probacione contradicere, quoquomodo intellectum contrarium affirmando. Quamvis enim, ut leges civiles astruunt et glossa 24ª, q. 1ª, super capitulum *Pudenda*, notat, “Nichil est ita indubitatum quin sollicitam recipiat dubitacionem” et eciam contradiccionem, et ideo contra multorum verborum scripture sacre catholicum sensum multa possunt obici et adduci eciam apparenter (nam secundum beatum Clementem, ut recitatur dist. 37ª, c. *Relatum*, “Sunt multa verba in scripturis divinis que possunt trahi ad eum sensum quem sibi unusquisque presumpserit”), tamen hoc fieri minime debet,

66 excepit] excedit Ed | mirandum] S: miraculum Mz, mirum Fr, ridiculum Ed | si] quod Ed **67** glossatoris] S: glosse W **70** glossa] glossatore S | Amplius] quoniam et *added* S **72** Hec] hoc Ed | priorum] prior Ed | incipe] niteris Pz, nitaris Ly **13.15** Quamvis] Kilcullen: quam MF, quia Ed **16** sollicitam] solitam MF **17** ideo] non MF **19** ut] Ly: eciam W **20** possunt] possent Ed **21** presumpserit] sponte presumit S

71 dicunt] above, 1.122 **13.15** Quamvis…25 asserere[2]] See on the website 31TextProblems.html glossa] gloss to C.24 q.1 c.33, s.v. notissimum, col. 1401 **20** Relatum] D.37 c.14, col. 139

quia, ut dicit ibidem beatus Clemens, "Ex ipsis scripturis sensum capere veritatis oportet. Et ideo oportet ab eo scienciam discere scripturarum, qui eam a maioribus secundum veritatem sibi traditam servat, ut et ipse possit eam quam recte suscepit competenter asserere". [Oportet ergo asserere] intellectum verborum Christi cum dixit, "Tu es Petrus", et cetera, qui accipi ex scripturis potest ut eas intelligunt precipue viri probati qui eum a maioribus, et precipue ab apostolis, didicerunt. Et esto, sicut tactum est, quod non esset simpliciter necessarium credere eis, tamen horribilis et omnino stulta esset temeritas contradicere ipsis, maxime absque infallibili racione que eciam adversarios et viros intelligentes aperte convinceret. Cum autem predicti opinantes contra intellectum memoratorum verborum Christi a viris probatis, eciam aliquibus qui apostolorum discipuli extiterunt et ab eis in scripturis divinis edocti fuerunt.

Capitulum 14

Discipulus: Circa responsionem predictam, quam allegando esse temerariam ostendisti, nitaris nunc probare circa intellectum illorum verborum Christi, "Tu es Petrus", et cetera, quod credere teneamur aliis quam scriptoribus scripture canonice.

Magister: Hoc ut quibusdam apparet tali modo probatur. Fide dignis viris omni excepcione maioribus est credendum in hiis que, vocaliter seu sentencialiter, cognovisse se asserunt per se ipsos vel per alios quibus credere tenebantur, seu que dicuntur tamquam a se cognita altero modorum illorum. Talia enim taliter cognita, quamvis ad ea que sciencie sunt valeant pertinere, tamen aliquo modo eciam spectare possunt ad ea que facti sunt, vel saltem cognicio qua asseruntur cognosci inter ea que facti sunt computari potest. In hiis autem que facti sunt fide dignis viris est credendum, ut probatum est 3º huius c. 23º. Aliter enim pro veracibus et fide dignis minime haberentur, quod irreverencia dampnabili non careret. Sed fide digni viri omni excepcione maiores sentencialiter asserunt se, non per raciocinacionem vel studium seu meditacionis virtutem sed per seipsos vel alios quibus credere tenebantur, cognovisse predicta verba Christi, "Tu es Petrus", et cetera, sic debere intelligi ut per ea intelligatur primatus super

---

23 oportet[1]] *omitted* Friedberg (but see Friedberg's variants) | scripturarum] S: *omitted* W **24** et] S: *omitted* W **25** suscepit] suscipit Ed | asserere[1]] et *added* Ed | asserere[1]…asserere[2]] Scott: asserere W **26** qui] que MF | ut] et MF **27** eum] eam MF **29** tamen] ?cum Mz Pz **31** Cum…33 fuerunt] *omitted* Ly **32** a] *omitted* MF | eciam] et Pz **33** fuerunt] hic deficit aliqua pars huius capituli *added* MF **14.2** Circa] contra MF **4** quod] *omitted* MF | teneamur] tenemur Ed **8** se[2]] *omitted* Ed **9** cognita] tamquam *added* MF **11** eciam] Kilcullen: autem MF; omitted Ed **13** 23] 22 W **15** excepcione] accepcione Mz

---

14.2 predictam] 12.12 ff **13** c. 22] Above, 3.23.40

apostolos et omnes alios fideles fuisse beato Petro datus vel commissus a Christo. Plures enim fide digni et probatissimi viri qui fuerunt apostolorum discipuli, vel per apostolorum discipulos in literis sacris instructi, predictum intellectum illorum verborum Christi asseruerunt expresse. Omni autem probabilitate carere videtur quod viri studiosi et literati, sacrarum scripturarum indagatores solertissimi, cum beato Petro et aliis apostolis et apostolorum discipulis fuerunt conversati et predictorum verborum Christi verum ab ipsis non didicerunt intellectum, presertim cum verus intellectus ipsorum ad sciendum cui (vel quibus) tamquam prelato (vel prelatis) fideles obedire deberent, et cui tamquam prelato summo instituto a Christo parere tenerentur, fuerit necessarius toti ecclesie Christi. Non enim sunt oves extra periculum ignorantes quem tamquam verum pastorem debeant sequi. Multo autem improbabilius videtur quod huiusmodi viri, apostolorum vel discipulorum ipsorum discipuli, falsum circa predicta verba Christi docuerint intellectum. Et ita debent tenere fideles quod ille est verus intellectus predictorum verborum Christi quem apostolorum discipuli et a discipulis apostolorum edocti firmiter asserebant, quia illum intellectum non acceperunt solummodo per raciocinacionem, ipsum ex verbis illis tantummodo concludendo, sed acceperunt eum ab apostolis, qui eos verum intellectum ipsorum sollicite docuerunt tamquam necessarium toti ecclesie dei. Et ideo dixerunt eum, non tamquam notum eis per viam sciencie seu raciocinacionis, sed tamquam expressum eis et doctum ab apostolis, quibus credere tenebantur, quia apostoli verum intellectum eorundem verborum certissime agnoscebant. Propter quod dicere viros fide dignos et probatos, apostolorum discipulos vel a discipulis apostolorum edoctos, docuisse falsum intellectum illorum verborum est dicere ipsos, non per raciocinacionem sophisticam deceptos, sed scienter fuisse mentitos, quia scienter dixissent intellectum contrarium illi quem ab apostolis didicerunt: quod non est vacuum irreverencia et blasphemia detestanda.

Capitulum 15

Discipulus: Aliquorum fide dignorum et probatorum testimonia qui fuerunt apostolorum discipuli, vel ab eorum discipulis saltem mediate instructi, asserencium sepe dicta verba Christi, “Tu es Petrus”, et cetera, premissum debere intellectum habere audire desidero.

---

28 tenerentur] Fr: minime tenerentur W | necessarius] necessarium MF **31** vel] et Ed **37** dixerunt] didicerunt Ed **39** doctum] Kilcullen: dictum W **42** illorum] *omitted* Ed | non] *omitted* MF
15.2 fuerunt] fuerint Ed

15.4 premissum] c. 14

Magister: <Hoc> Anacletus papa — qui fuit apostolorum discipulus et ab ipsis apostolis, immo a beato Petro, in divinis scripturis instructus, de quo improbabile omnino videtur quod nesciret an Petrus reputaret se super alios apostolos superioritatem habere et qualiter Petrus intellexerit verba Christi premissa, et de quo nullatenus est credendum quod falsum intellectum eorundem verborum scienter docuerit et in scripturis reliquerit — eundem intellectum verborum illorum patenter astruit et expresse. Qui, ut habetur in decretis, dist. 22ª, c. *Sacrosancta*, ait: "Sacrosancta Romana et apostolica ecclesia non ab apostolis sed ab ipso Domino salvatore nostro primatum obtinuit, sicut beato Petro apostolo dixit, 'Tu es Petrus' et reliqua usque 'soluta sunt in celo'. Adhibita est societas in eadem Romana urbe beatissimi Pauli apostoli, vasis eleccionis, qui uno die unoque tempore cum Petro gloriosa morte coronatus est, et ambo sanctam Romanam ecclesiam consecraverunt, atque aliis urbibus omnibus in universo mundo tam sua presencia quam venerando triumpho pretulerunt". Et infra, "Inter beatos apostolos quedam fuit discrecio potestatis, et post licet omnes essent apostoli, Petro tamen a Domino concessum est (et ipsi inter se voluerunt id ipsum), ut reliquis omnibus preesset apostolis, et Cephas, id est, caput et principium, teneret apostolatus". Ex quibus, ut videtur, patenter habetur quod secundum Anacletum, qui fuit papa ante Clementem, ut testatur *Ecclesiastica historia*, lib. 2º c. 14º, et qui fuit cum Petro apostolo conversatus, Christus illis verbis, "Tu es Petrus", et cetera, promisit Petro, vel dedit, primatum. Et quod dederit sibi, vel promiserit, primatum non solum super alios fideles sed eciam super apostolos patet cum dicat quod inter apostolos erat "discrecio potestatis", et quod preerat aliis apostolis non solum de voluntate apostolorum sed eciam de concessione seu ordinacione Domini, cum dicat, "Licet omnes essent apostoli, Petro tamen a Domino concessum est", et cetera.

Ex prescriptis eciam verbis Anacleti potest accipi alia racio principalis ad probandum quod Petrus de ordinacione Christi prefuit aliis apostolis. Nam sub quo intellectu Christus dixerit Petro, ut habetur Iohannis 1º, "Tu vocaberis Cephas", Anacletus <hoc> exprimit manifeste cum asserit Petrum fuisse Cephas quia "caput et principium" tenuit "apostolatus". Cum itaque Anacletus vir fuerit

---

6 Magister] Scott: Magister hoc W **7** apostolis] discipulis Ed **9** et[2]] *omitted* Ly **13** et] id est MF **17** unoque] eodemque S **18** consecraverunt] *omitted* MF **19** presencia] precepta Mz **20** beatos] Fr S: beatissimos Mz Ed | potestatis] *omitted* Friedberg, but see Editio Romana in Friedberg, col. 73-4 **23** principium] primatum Ed **27** dederit] dedit MF **28** dicat] dicit Ed | erat] *omitted* MF, *added* Frm **35** Anacletus] Scott: Anacletus hoc W **36** principium] primatum Ed

---

13 Sacrosancta[1]] D.22 c.2, col.73 **25** c. 14] Not 2.14 but 3.15; see Eusebius, tr. Rufinus, p. 229. **34** Iohannis] 1:42

eruditus et sanctus et cum Petro apostolo conversatus, verisimile non videtur quod ignoraverit quomodo Petrus intellexerit illa verba que dixit sibi Christus, "Tu vocaberis Cephas". Nec est aliquo modo credendum quod mentiretur scienter, et, in hoc quod per seipsum cognoverit, falsum astrueret, licet crederetur quod in hiis que pure sunt sciencie seu racionis decipi posset. Ergo Anacletus illorum verborum intellectum, "Tu vocaberis Cephas", quem habuit Petrus expressit. Petrus autem illorum verborum verum habuit intellectum. Ergo Anacletus in verbis prescriptis illorum verborum verum protulit intellectum, et per consequens Christus intendebat quod Petrus vocandus erat Cephas, id est caput et principium aliorum apostolorum, et per consequens tunc erat futurus pastor et prelatus eorum.

Allegacio suprascripta taliter confirmatur. Moris erat apostolorum et discipulorum ipsorum mox, cum contra veritatem aliqui insurrexerunt errores, ipsos comprimere et publice confutare, ita ut cuicumque in hoc parcendum minime reputarent: unde et beatus Paulus Petrum, cum non ambularet recte ad evangelii veritatem, reprehendit, ut legitur ad Galatas 2º. Sed in nulla invenitur historia vel cronica que a catholicis habeatur quod aliquis apostolus vel discipulus apostolorum super predicta assercione reprehenderit Anacletum, quorum tamen tunc temporis plurimi erant heresum et errorum oriencium vigilantissimi et acutissimi correctores et correptores, quorum gesta et scripta ad nostra tempora pervenerunt. Ergo omni versimilitudine caret quod beatus Anacletus in hoc erraverit et errare induxerit orthodoxos.

Capitulum 16

Discipulus: Aliquorum aliorum, sed paucorum, testimonia adducas ad probandum quod predictus fuerit intellectus illorum verborum Christi, "Tu es Petrus" et cetera.

Magister: Hoc sentit Marcellus, papa et martyr, qui propter propinquitatem temporis apostolorum vel discipulorum ipsorum absque omni dubitacionis scrupulo poterat scire quomodo apostoli et ipsorum discipuli intellexerunt verba illa Christi. Ait enim, ut habetur in decretis, 24ª, q. 1ª, c. *Rogamus*: "Rogamus vos, fratres dilectissimi, ut non aliud doceatis neque senciatis quam quod a beato

---

37 apostolo] *omitted* Ed **41** sciencie] consciencie Mz **44** verum] *omitted* MF **45** id est] et Ed **46** principium] princeps omnium Ed **55** heresum] heresim Ed | et acutissimi] *omitted* Ly **58** errare] animal in errorem Pz, animas in errorem Ly | orthodoxos] *omitted* Ed **16.2** Aliquorum] orthodoxos aliquorum Pz, orthodoxorum aliquorum Ly

---

52 Galatas] 2:11, 14 **16.3** predictus] c. 14 **8** Rogamus[1]] C.24 q.1 c.15, col. 970 (cf. Hinschius, p. 223)

Petro apostolo et reliquis apostolis et patribus accepistis. Ipse enim est caput tocius ecclesie, cui ait Dominus, ‘Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam’”.

Idem eciam videtur sentire Cyprianus, martyr, qui eciam propter similem propinquitatem ad tempora apostolorum non videtur ignorasse quomodo apostoli intellexerunt verba illa Christi. Ait enim, ut habetur 24ª, q. 1ª, c. *Loquitur*, “Loquitur Dominus ad Petrum, ‘Ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam’. Super unum edificat ecclesiam, et quamvis apostolis omnibus post resurreccionem suam parem potestatem tribuat, et dicat, ‘Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum’, tamen ut unitatem manifestaret unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit”.

Ex hiis aliisque quampluribus colligitur quod probatissimi et literatissimi viri, de vero intellectu scripture sacre maximam curam habentes, qui per dicta aut scripta apostolorum aut discipulorum ipsorum verum intellectum predictorum verborum Christi certitudinaliter accipere potuerunt, eadem verba Christi intellexerunt modo predicto. Quare absque temeritate idem intellectus negari non potest, presertim cum nullus inveniatur apostolorum discipulus, aut qui vicinus fuerit eorum temporibus, qui intellectum illum neget aut affirmet contrarium.

Capitulum 17

Discipulus: Antequam procedas ulterius dic secundum aliquam opinionem per que verba inter illa que dixit Christus Petro cum dixit, “Tu es Petrus”, et cetera, sibi primatum super apostolos et omnes fideles promisit.

Magister: Una est opinio dicens quod Petrus, sicut et quilibet successor, duplicem habuit potestatem, unam scilicet racione ordinis et aliam racione administracionis. Hanc duplicem potestatem ponit glossa dist. 21ª, super capitulum *In novo*. Prima potestas promissa fuit Petro per illa verba, “Tibi dabo claves regni celorum, et quodcumque ligaveris”, et cetera. Secunda promissa fuit sibi per illa verba, “Super hanc petram edificabo ecclesiam meam”. Primam autem recepit

10 apostolo…apostolis] S: apostolo W **13** similem] similitudinem Pz
20 manifestaret…incipientem] S (cf. 2.21.26): manifestaret ab uno W | sua auctoritate] suam auctoritatem Ed **26** Quare] qualiter Pz **17.5** successor] successorum Ed

15 Loquitur] C.24 q.1 c.18, col. 971 **26** predicto] c. 14 **17.5** opinio] The opinion that the pontificate was *promised* in Mat. 16:19 and *given* in Jn. 21:15-17 is found in the gloss to D. 21 c.2, s.v. Tu es Petrus, col. 94-5. **7** glossa] gloss to D.21 c.2, s.v. pari, col. 95 **8** illa verba] Mat. 16:19 **9** illa verba] Mat. 16:18

ante secundam, quia primam recepit simul cum aliis apostolis, quando Christus dixit sibi et aliis apostolis, “Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata”, et cetera; tunc enim omnes illi potestatem ligandi atque solvendi receperunt, quia potestas retinendi vel remittendi peccata est potestas ligandi et solvendi. Secundam autem potestatem recepit quando Christus dixit sibi, “Pasce oves meas”, et licet ista potestas pascendi fuerit data Petro post potestatem ligandi atque solvendi, tamen absque ipsa potest inveniri. Istam enim potestatem habet quilibet electus in summum pontificem quamvis non sit sacerdos (qui solus habet potestatem ligandi et solvendi), et est tunc verus papa quantum ad hanc potestatem (dist. 23ª, *In nomine*). Et per istam potestatem, quam ultimo percepit Petrus, factus fuit Petrus ceteris omnibus superior et prelatus; et ideo per illa verba, “Super hanc petram edificabo ecclesiam meam”, fuit primatus Petro promissus.

Capitulum 18

Discipulus: Intellexi quomodo improbatur responsio suprascripta. Nunc indica qualiter respondetur ad motiva quibus se munire conatur.

Magister: Ad primum, cum accipiunt ut adductum est supra, c. 12º, “caput et fundamentum ecclesie unicum esse et fuisse ordinacione immediata dei, et hoc Christum, apostolorum vero neminem”, et cetera, respondetur quod hoc tam scripture canonice quam expositoribus approbatis scripturarum sanctarum aperte repugnat. Apocalypsis vero 21º sic habetur, “Murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum”. Ex quibus verbis colligitur quod apostoli fuerunt aut sunt fundamenta militantis ecclesie vel triumphantis: civitas enim illa vel est ecclesia militans vel triumphans, et si quidem est militans, habetur intentum; si quidem est triumphans, sequitur quod apostoli multo forcius fuerunt fundamenta ecclesie militantis, quia non magis est solus Christus fundamentum ecclesie militantis quam triumphantis. Dicere ergo quod nullo modo fuit aliquis apostolus fundamentum ecclesie aperte sacre scripture repugnat. Hoc eciam assercionibus sanctorum patrum asserencium beatum Petrum fuisse fundamentum ecclesie et ecclesiam super ipsum fuisse fundatam et edificatam obviat manifeste. Ait enim Augustinus in sermone “De cathedra sancti Petri”: “Recte ergo ecclesie natalem sedis illius colunt quam

---

16 fuerit] fuerat MF **21** percepit] precepit Mz **18.3** respondetur] respondeatur Ed **8** vero] enim Ly **9** et…duodecim[3]] S: nomina W **16** eciam] in Mz **19** colunt] coluit Ed

---

12 dixit] Jn. 20:22-23 **15** dixit] Jn. 21:17 **20** In nomine] D.23 c.1 (see § 6), col. 78
18.2 suprascripta] 12.12 **4** c. 12] cf. 12.12 **8** Apocalypsis] 21:14 **18** Augustinus] PL, vol. 39, col. 2100 (not now considered authentic)

apostolus pro ecclesiarum salute suscepit, dicente Domino, ‘Tu es Petrus et super hanc petram edificabo ecclesiam meam.’ Petrum itaque fundamentum ecclesie Dominus nominavit. Et ideo digne hoc fundamentum ecclesia colit supra quod ecclesiastici edificii altitudo consurgit. Unde convenienter psalmus qui lectus est dicit, ‘Exaltent eum in ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum’. Bene autem eum Dominus in ecclesia exaltari precepit, quia dignum est ut fundamentum hoc in ecclesia honoretur per quod ad celum ascenditur”. Ecce quod tribus vicibus Augustinus nominat Petrum fundamentum ecclesie.

Item, Ieronimus super illud Matthei 16º, “Venit Iesus in partes Cesaree Philippi”: “Quid est hoc quod ait: ‘Et ego dico tibi’? Quia tu michi dixisti, ‘Tu es Christus filius dei vivi, et ego dico tibi’, non sermone casso et nullum habente opus, sed ‘dico tibi’ quia meum dixisse fecisse est. ‘Quia tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam’. Sicut ipse lumen apostolis donavit ut lumen mundi appellarentur, et cetera que ex Domino sortiti vocabula sunt; ita et Simoni, qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen, ac secundum metaphoram petre recte dicitur ei, ‘edificabo ecclesiam meam’ super te”. Ecce quod secundum Ieronimum Christus dixit Petro, “edificabo ecclesiam meam” super te. Ergo ecclesia Christi fuit edificata super Petrum. Ille autem super quem edificatum erat edificium ecclesie potest fundamentum ecclesie appellari, quia fundamentum est illud super quod erigitur edificium.

Item, beatus Leo papa, in sermone de festo apostolorum qui incipit, “Omnium quidem sanctorum”, ait, loquens de beato Petro, “Iam Anthiochenam ecclesiam, ubi primum Christiani nominis dignitas est exorta, fundaveras”. Fuit igitur beatus Petrus fundamentum ecclesie Anthiochene, et eadem racione Romane.

Item, beatus Maximus in sermone qui incipit “Gloriosissimos” ait, “Hic est Petrus, cui Christus Dominus communionem sui nominis libenter indulsit. Ut enim, sicut Apostolus docuit, petra erat Christus, ita per Christum Petrus factus est petra, dicente ei Domino, ‘Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam’. Nam sicut in deserto, Dominico sicienti populo, aqua fluxit e

22 Dominus] S: *omitted* W **23** quod] S: quam W **25** Bene autem] S: dum W | Dominus] deus S **26** ad] S: *omitted* W **27** Ecce] ubi dicunt notandum esse Ed **30** hoc] *omitted* S **31** nullum] S: nullo W **36** petre] *omitted* Ly **39** edificium ecclesie] *omitted* MF **43** exorta] orta S | fundaveras] fundaverat Ly **47** Ut] S: ubi W **48** Apostolus] paulus *added* S | docuit] edocuit S | ita] quod *added* MF Pz **50** sicienti] S: siciente W

29 Ieronimus] *In Matheum* III, CCSL, vol. 77, p. 141 **41** Leo] Tractatus 82, CCSL, vol. 138A, p. 514 **46** Gloriosissimos] PL, vol. 57, col. 394 (see above, 4.92)

petra, ita, universo mundo perfidie ariditate lassanti, de ore Petri fons salutifere confessionis emersit". Ex quibus verbis colligitur quod non solum Christus, sed eciam Petrus, erat petra illa super quam Christus suam erat fundaturus ecclesiam. Quare aliquo modo concedi debet quod Petrus erat fundamentum ecclesie.

Item, hoc dicit Gregorius qui, ut habetur dist. 12ª, c. *Preceptis*, ait: "Cuius auctoritatis sanccionem omnes teneant sacerdotes qui nolunt ab apostolice petre, supra quam Christus universalem ecclesiam fundavit, soliditate divelli". Super apostolicam ergo petram, id est super Petrum apostolum, fundata est universalis ecclesia.

Item, Eusebius Cesariensis, in *Ecclesiastica historia*, lib. 3º, c. 4º, asserit manifeste apostolos fundasse ecclesias, dicens: "Si qui constantes in fide et emulatores verbi dei reperti sunt, eciam regendas ecclesias quas apostoli fundaverunt susceperunt".

Item, Nicolaus papa, ut habetur Extra, *De verborum significacione*, c. *Exiit*, hoc idem asserit manifeste cum dicit, volens de apostolis facere mencionem: "Primi fundatores militantis ecclesie, prout ab ipso fonte", scilicet Christo, "hauserant, in volentes perfecte vivere, per doctrine in ipsorum alveos derivarunt". Fuerunt ergo apostoli et non solum Petrus fundamenta ecclesie et eciam fundatores.

Capitulum 19

Discipulus: Qualiter respondetur ad motiva opinancium predictorum quibus probare nituntur quod solus Christus erat fundamentum ecclesie?

Magister: Ad primum eorum, cum adducitur glossa interlinearis qua videtur quod Christus sibi videtur retinuisse fundamenti dignitatem, respondetur per distinccionem de fundamento: quod quoddam est fundamentum ecclesie primarium et principale, absque quo nulla potest fundari ecclesia, et illud fundamentum est solus deus sive Christus; aliud est fundamentum ecclesie secundarium, sine quo poterat fundari ecclesia, sine quo tamen non fuit de facto fundata, et tale fundamentum non est solus deus nec solus Petrus — immo omnes apostoli sic fuerunt fundamenta ecclesie, inter quos tamen quodammodo principalius et

---

51 lassanti] lascente Fr, lassatim S **58** universalem] universaliter Ed **62** constantes] constans Ly **63** dei] *omitted* Ed | eciam] qui *added* Ed **68** in[1]] *omitted* S | in[2]…alveos] in eos Friedberg (but see variant) **19.4** adducitur] adducit MF | videtur] probatur Ly

---

56 Preceptis] D.12 c.2, col. 27 **61** c. 4] Eusebius, tr. Rufinus, p. 193 **65** Exiit] Sext. 5.12.3, col. 1112 **19.4** adducitur] 12.18

universalius fundamentum fuit beatus Petrus. Glossa autem loquitur de fundamento primo modo dicto et non de fundamento secundo modo dicto.

Consimiliter dicitur ad auctoritatem Augustini sumptam ex libro *Retractacionum* quod Augustinus non reprobat dictum suum de apostolo Petro quo asseruit quod in illo tamquam in petra edificata fuit ecclesia, sed dicit se aliter sepe exposuisse, ut scilicet per petram intelligatur Christus; et utrumque istorum est verum, quia et per petram ibi cum dicitur, "Super hanc petram edificabo ecclesiam meam", intelligitur Christus tamquam petra principalis, super quem principaliter edificata est ecclesia. Non enim in fundamento edificii materialis ponitur semper unica petra, sed sepe plures et una super aliam. Et ita per distinccionem talem petre concordantur auctoritates sanctorum patrum que repugnare videntur. Nequaquam igitur Augustinus dictum suum reprobat aut revocat vel corrigit, sed declarat et asserit quod locus scripture quem volebat exponere alium potest habere sensum qui priori sensui minime contradicit. Sed per distinccionem predictam unus est cum alio concordandus. Non enim Augustinus semper reprobat aut corrigit que retractat, sed aliqua dicitur retractare quia iterum ipsa tractat, declarando ipsa et cum aliis concordando.

Ad racionem qua sepe dicti opinantes probare nituntur quod beatus Petrus non fuit fundamentum ecclesie quia fundamentum ecclesie non potest errare nec peccare, respondetur quod principale fundamentum ecclesie, sine quo totum edificium rueret, immo sine quo nullo modo construi posset, nec peccare nec errare potest aut potuit, et illud fuit Christus non Petrus. Sed secundarium fundamentum, sine quo poterat erigi totum edificium ecclesie, potuit errare et peccare, quamvis inquantum fuit fundamentum actualiter fundando non potuerit errare nec peccare. Quando enim Petrus negavit Christum, et quando postea ad veritatem evangelii non recte ambulavit, non actu fundavit ecclesiam, sed quando primo post Christum predicando veritatem populos ad veram fidem convertit, tunc novellam fundavit ecclesiam.

Ad auctoritatem autem Apostoli 1ª ad Corinthios 3º, respondetur quod Apostolus ibi locutus est de principali fundamento ecclesie non de secundario. Et certe fundamentum principale nemo aliud ponere potest preter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Est autem sciendum, secundum quosdam, sicut dictum est prius, quod modus scripture sepe est negare aliquid ab illis quibus non competit principaliter quamvis secundario competat. Sic enim dixit

16 fuit ecclesia] Fr: sit W; sit edificata Mz **17** et…19 Christus] omitted Ed **19** quem] quam Ed
29 qua] contra MF | dicti] dictos MF **33** secundarium] secularium Ly **38** populos] apostolos Ed

14 auctoritatem Augustini] 12.23 **29** racionem] 12.32 **40** auctoritatem] 12.37 **44** prius] 6.59

Christus Luce 18°, “Nemo bonus nisi solus deus”. Sic eciam de Iohanne Baptista dicitur, “Non erat ille lux”, Iohannis 1°, et tamen sicut apostoli erant lux, dicente eis Christo, Matthei 5°, “Vos estis lux mundi”, sic et Iohannes Baptista fuit lux: fuit enim “lucerna ardens et lucens” (Iohannis 5°).

Cum vero dicitur quod Christus potestatem clavium non videtur Petro tradidisse per hec verba, “Tu es Petrus”, et cetera, respondetur quod tunc Christus non tradidit Petro potestatem clavium, sed promisit. Nec eciam tunc prefecit eum reliquis apostolis, sed promisit. Et ideo qualiter et quibus prefecit eum ex istis verbis, “Tu es Petrus”, ultimate nequaquam colligi potest nisi referendo ad ipsa verba quibus postea prefecit eum, scilicet illa, “Pasce oves meas”. Et tamen ex istis verbis, “Super hanc petram edificabo ecclesiam meam”, potest ostendi aliquo modo quod promisit sibi primatum super omnes, ex quo indefinite dixit ‘ecclesiam meam’, non distinguendo inter hanc ecclesiam particularem et illam. An autem Christus eandem potestatem clavium tribuerit aliis apostolis postea poteris, si tibi placebit, inquirere.

Cum autem dicitur quod Christus potestatem clavium non tradidit per hec verba, “Tu es Petrus”, sed Iohannis 20°, quando indifferenter omnibus dixit, “Accipite Spiritum sanctum et quorum remiseritis”, et cetera, respondetur iuxta premissa supra c. 17°, quod potestatem clavium que competit racione ordinis accepit Petrus simul cum aliis apostolis per verba prescripta Iohannis 20°, aliam tamen potestatem accepit super apostolos cum Christus sibi dixit, “Pasce oves meas”.

Cum vero dicitur, “Esto quod Petrus hiis verbis potestatem hanc recepisset, non concluditur ex hoc nisi quod tempore prius fuerit pastor institutus”, respondetur quod si Petrus illis verbis, “Tu es Petrus”, et cetera, potestatem aliquam recepisset, illam potestatem recepisset super omnes qui erant de ecclesia Christi. Quia, sicut tactum est prius, in collacione potestatis super aliquos certi debent esse super quos confertur potestas, quia sicut prelatus debet esse certus ita subditi debent esse certi. Cum ergo nec per illa verba nec per quecumque precedencia vel subsequencia appareat quod Christus aliquos de ecclesia sua specialiter exceperit seu exemerit, si Petrus per illa verba recepisset super aliquos de ecclesia Christi, eandem recepisset super omnes potestatem. Et ideo Christus per illa verba non solum “signare voluit ecclesie unitatem in fide”, sed

50 vero] ergo Ed **55** quibus] scilicet *added* Ed **68** recepisset] accepisset Ed **76** verba] *omitted* Ly **78** signare] significare Fr Ed

46 Luce] 18:19 **47** dicitur] Jn. 1:8 **48** Matthei] 5:14 **49** Iohannis] 5:35 **50** dicitur] 12.44 **61** dicitur] 12.47 **68** dicitur] 12.48 **72** prius] 11.16 **78** signare…fide] cf. 12.51

eciam unitatem capitis preficiendi ecclesie universe. Nec tantummodo tempore prius "dotatur clavibus et honoratur, aut honorari promittitur" (ut isti dicunt, sibimet ipsis in hoc eciam contradicendo, quia secundum eos simul tempore omnibus apostolis Christus contulit clavium potestatem), sed per illa verba, "Tu es Petrus", et cetera, ultra clavium potestatem communem sibi et aliis apostolis, que eis racione ordinis competebant, alia fuit sibi promissa potestas super omnes. Et ideo per illa verba, "Tu es Petrus", et cetera, intellecta ut ea intellexerunt apostoli et eorum discipuli, aperte "convincitur Petrum fuisse ceteris dignitate sive auctoritate superiorem". Et ideo glossatores hoc dicentes non acceperunt hoc "a se" sed a scriptura intellecta ut eam intellexerunt apostoli: qui intellectus ab ipsis apostolis usque ad ipsos serie tractatorum et scriptorum catholicorum sibimet succedencium et asserencium ipsum pervenit.

Capitulum 20

Discipulus: Narra qualiter respondetur ad allegacionem sequentem.

Magister:: Ad illam allegacionem, cum accipitur quod series evangelii que habetur Matthei 20º et Luce 22º, ubi Christus hanc questionem diffinivit, cum contencio esset inter eos quis eorum esset maior, et Matthei 23º, cum dixit Christus, "Nolite vocari rabbi", ostendit nullum fuisse superiorem aliis, respondetur dupliciter. Uno modo, quod omnia illa verba Christi intelligenda sunt pro tempore illo quo dicta fuerunt a Christo et pro tempore ante exaltacionem Petri super reliquos apostolos; tunc enim solus Christus fuit prelatus omnium et nullus apostolus fuit tunc prelatus sed solummodo apostolus. Aliter dicitur quod Christus non intendebat imponere eis equalitatem excludentem superioritatem prelacionis, saltem pro tempore futuro, sed, ipsos ad humilitatem exhortans, imponebat eis omnem equalitatem excludentem omnem superioritatem superbie, iniuste, aspere et tyrannice potestatis, quemadmodum sapiens Ecclesiastici 32º rectori superioritatem concedit et quamdam equalitatem iniungit, cum dicit, "Rectorem te posuerunt? Noli extolli. Esto in illis quasi unus ex ipsis", sicut eciam 3º c. maiori non solum equalitatem sed eciam quamdam inferioritatem inducit dicens, "Quanto magnus es, humilia te in omnibus" — humilitas enim quamdam inferioritatem importat. Sic eciam Christus exemplo sui, qui maior existens se minorem exhibuit, maioribus non solum equalitatem sed eciam

79 preficiendi] preferendi Ed **81** in] *omitted* MF **87** hoc] *omitted* Ed **20.4** diffinivit] diffinit Fr Ed **13** superbie] superbe Ly **19** inferioritatem] Kilcullen: infirmitatem W

79 tempore…80 promittitur] cf. 12.54 **86** convincitur…87 superiorem] cf. 12.57 **87** glossatores] cf. 12.58 **20.2** sequentem] 12.60 **14** Ecclesiastici] 32:1 **18** dicens] Ecclesiasticus 3:20

minoritatem quamdam suasit, dicens Luce 22º, "Qui maior est in vobis, fiat sicut minor, et qui precessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat". Christus igitur nec Matthei 20º nec Luce 22º nec Matthei 23º omnem superioritatem prelacionis apostolis interdixit, sed, ipsos ad humilitatem inducens, omnem superioritatem iniustam et illicitam ac modum regendi fastuosum et iniquum amovit. Nec movere debet quod Christus dixit Matthei 23º, "Omnes autem vos fratres estis", quasi omnem equalitatem inter eos esse tenendam insinuans: nam nec eciam inter fratres est omnimoda equalitas observanda, sed sepissime expedit ut unus aliis preferatur, quemadmodum sepe a deo et sanctis viris in scripturis divinis legimus fuisse factum.

Cum vero accipitur quod "mirandum est si magis credere debeamus auctoritati glosse quam Christi", respondetur quod nemo magis debet credere cuiquam glosse vel sancto quam Christo, tamen sepe per viros sanctos qui glossas vel scripta alia ediderunt, et precipue per illos qui ab apostolis instructi fuerunt vel vicini apostolorum temporibus extiterunt, quis sit catholicus intellectus verborum Christi addiscimus. Et ideo, quandoque verba Christi possunt esse ambigua, plectenda est temeritas ab assercionibus et exposicionibus huiusmodi virorum recedere et interpretacioni seu exposicioni proprie adherere.

Discipulus: Forte dicerent isti quod verba Christi que adducunt non possunt esse ambigua; "ubi autem verba non sunt ambigua non est locus interpretacioni", ut notat glossa, Extra, *De consuetudine, Cum dilectus*.

Magister: Multis apparet quod istud sit irracionabiliter dictum. Nam multa verba Christi que aperciora videntur possunt esse ambigua, ergo et ista possunt esse ambigua. Et per predicta constat quod possunt esse ambigua, cum predicti opinantes aliter ipsa intelligant quam multi alii literati viri et intelligentes et qui exposicionem per similia et multos alios modos ostendunt.

Discipulus: Quid dicitur ad hoc quod isti dicunt multos glossatores dicere oppositum?

Magister: Respondetur quod glossatores nusquam dicunt oppositum, si intelligantur sane.

---

26 fastuosum] fatuosum Ed **35** vel…36 extiterunt] *omitted* Ed **41** autem] enim S **45** per predicta] de predictis Ed **50** intelligantur] Ly: intelligant W

---

21 Luce] 22:26-7 **27** Matthei] 23:8 **32** accipitur] 12.66 **42** glossa] X 1.4.8, s.v. iuri communi, col. 94 **48** dicunt] 12.70

Capitulum 21

Discipulus: Aliam allegacionem pro prelacione Petri adducas.

Magister: Hoc ostenditur Luce 22°,

> cum ad ipsum specialiter Christus dixit: "Ego autem rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos". Apostolorum ergo et aliorum fidelium prima cura pastoralis et confirmacio beato Petro commissa fuit propter sue fidei firmitatem, pro qua, ne deficeret, specialiter Christus orasse videtur, ne deficeret in ipso neque in ipsius aliquo successore. Ubi glossa: "'Confirma fratres tuos', cum te principem apostolorum constituerim. Hoc autem non solum intelligendum de apostolis qui tunc erant, ut roborarentur a Petro, sed et de omnibus fidelibus". Et parum infra subdit: "Per penitenciam obtinuit", Petrus scilicet, "ut esset antistes mundi".

Discipulus: Responsionem precedencium opinancium ad istam allegacionem recitabo. Dicunt itaque quod ex verbis Christi inferri non potest quod Christus Petrum reliquorum apostolorum prelatum fecerit. Quod probatur per scripturam, quia Paulus contulit Petro in evangelio, non econtra. Hoc autem per glossam probatur, ibidem, que ait,

> "Sicut ego te orando protexi ne deficeres, sic tu infirmiores fratres confirma, ne de venia desperent", intelligens per "fratres" indifferenter fideles. Quod eciam dicens Petro fecit alios apostolos intelligere facturos. Unde Marci 13°: "Quod uni dico", vel secundum aliam literam, sensum tamen eundem, "quod vobis dico, omnibus dico". Aut fortasse id Petro singulariter dixit, sicut eciam glossa sentire videtur, quoniam presciebat Christus Petrum se negaturum. Unde: "Tu conversus aliquando", id est "exemplo tue penitencie", eo quod verbo et sui exemplo, qui veniam meruerat, infirmos in fide singularius confortare seu confirmare valebat.

Hec est eorum responsio, de qua cupio scire an omnibus opinantibus contrarium appareat non valere.

Magister: Videtur quibusdam apparencia non carere, quia (ut videtur) per illa verba Christi precise non posset ostendi quod Christus fecerit beatum Petrum

21.8 specialiter] singulariter S **9** Ubi glossa] *omitted* Ed | Confirma] inquit *added* Ly **11** roborarentur] roborentur Pz | Petro] petra Ly **19** fratres] exemplo tue penitencie *added* S **20** confirma] conforta S **21** eciam] *omitted* Ed | fecit] voluit Ly **23** Aut] S: an W | fortasse] forsitan Ed | id] illud Ed **24** sicut] S: *omitted* W | glossa] S: id *added* MF, hoc *added* Ed **27** valebat] valeat Ed

21.3 Luce] 22:32 **4** cum…13 mundi] Marsilius, II.xxvii.2 **9** glossa] *Catena aurea*, on Lk. 22:32 (Theophylact) (Previté-Orton) **18** probatur] *Glossa interlinearis* to Lk. 22:32 (Previté-Orton) **19** Sicut…27 valebat] Marsilius, II.xxviii.7 **22** Marci] 13:37

prelatum et principem aliorum. Et ideo si inveniantur sancti exponere verba illa de primatu Petri, tenendum est quidem quod sensus ille est verus, non tamen tamquam sensus literalis verborum illorum Christi sed tamquam sensus misticus, cuius veritas ex aliis verbis Christi literaliter intellectis potest sufficienter ostendi.

Capitulum 22

Discipulus: Adhuc aliquas, sed paucas, allegaciones adducas ad probandum superioritatem Petri respectu aliorum apostolorum.

Magister: Hoc tali modo probatur. Quod a temporibus apostolorum usque ad tempora nostra prelati et doctores ecclesie sibi continua serie succedentes et populi eis subiecti senserunt ab omnibus catholicis est tenendum firmiter. Hec auctoritate Augustini in libro contra Manicheos, et habetur in decretis dist. 11[a], c. *Palam*, videtur aperte posse probari, cum dicit: "Palam est quod in re dubia ad fidem valeat auctoritas ecclesie catholice, que ab ipsis fundatissimis sedibus apostolorum usque ad hodiernum diem succedencium sibimet episcoporum serie et tot populorum consensione confirmatur".

Que nichilominus, quia quidam dicunt, ut patet supra, auctoritates aliorum quam scriptorum scripture canonice et generalium conciliorum non esse recipiendas, racione probatur. Nam eciam secundum contrarios universalis ecclesia errare non potest; quare quod sensit et sentit universalis ecclesia firmiter est tenendum. Universalis autem ecclesia solummodo comprehendit prelatos ecclesie et populos sibi subiectos; quare quod prelati ecclesie sibi continua serie succedentes et populi sibi subiecti a temporibus apostolorum usque ad tempora nostra senserunt firmiter est credendum.

Sed prelati ecclesie ab ipsis apostolis usque ad hec tempora cum populis sibi subiectis tenuerunt et senserunt Petrum fuisse superiorem aliis apostolis. Hoc tenuit Anacletus papa, ut allegatum est supra, qui in hoc veritatem non potuit ignorare. Beatus eciam Clemens papa, apostolorum discipulus, idem sensit, qui, ut habetur dist. 80[a], c. *In illis*, ait: "Nec inter ipsos apostolos par fuit institucio, sed unus prefuit omnibus", et non alius quam Petrus. Hoc eciam sentit Eusebius Cesariensis, qui, quia in doctrinis, tradicionibus et scripturis illorum qui fuerunt discipuli apostolorum et a discipulis eisdem edocti fuit imbutus, quid preceden-

---

22.6 eis] eius Fr Ed | Hec] scilicet maior *added* Ly **7** auctoritate] Ly: auctoritas W
11 confirmatur] firmatur S **20** apostolis] *omitted* Ed

22.8 Palam[i]] D.11 c.9, col. 25 **12** supra] 3.1 and 3.21 **14** secundum contrarios] above, 3.1.31
22 supra] 15.6 **24** In illis] D.80 c.2, col. 280 (cf. Hinschius, p. 39)

tes senserint minime ignoravit, de quo nullo modo presumendum est quod falsum scienter docuerit, cui nullus prelatorum ecclesie aut doctorum postea contradixit, et per consequens omnes tacendo consenserunt eidem. Ait itaque in *Ecclesiastica historia*, quam transtulit beatus Ieronimus, lib. 2º, c. 14º, "Claudii temporibus clemencia divine providencie probatissimum omnium apostolorum et maximum, fidei magnificencia et virtutum merito primorum principem, Petrum, ad urbem Romam, velut adversum humani generis communem perniciem repugnaturum, deducit: ducem quemdam et magistrum milicie sue, scientem divina prelia gerere et virtutum castra ductare". Hoc sentit beatus Ieronimus, beatus Ambrosius, beatus Augustinus, beatus Marcellus papa, beatus Cyprianus, sicut per auctoritates ipsorum in locis diversis superius allegatas patet expresse. Ab omni autem verisimilitudine alienum videtur quod predicti viri — scripturarum canonicarum, historiarum, cronicarum, gestorum, consuetudinum et tradicionum universalis ecclesie diligentissimi scrutatores — nescierint quid circa rem tam necessariam toti ecclesie Christi senserint apostoli et discipuli eorundem, de quibus eciam est nullatenus presumendum quod scienter falsum docuerint. Quare tenendum est quod assercio supradicta ab ipsis apostolis per cronicas et historias fide dignas, quarum nos fortassis aliquas non habemus, et per tradicionem et consuetudinem universalis ecclesie usque ad ipsos continuatam ad eosdem pervenit. Assercionem autem suprascriptam tenuerunt omnes alii prelati et doctores ecclesie a tempore beati Silvestri usque ad tempora nostra, sicut multipliciter posset ostendi. Premissis autem prelatis et doctoribus in eadem assercione catholici populi consenserunt, quia nullus inventus est populus catholicus qui contradiceret eis. Ergo hec assercio est universali ecclesie ascribenda, et per consequens firmiter est tenenda.

Discipulus: Forte dicent aliqui quod non omnes populi Christiani hoc senserunt. Nam fertur quod Greci, qui fuerunt Christiani et catholici antequam Romani, hoc non tenent, et ita non omnes populi Christiani hoc usque ad tempora nostra crediderunt.

Magister: Hec responsio ab aliis impugnatur. Nam Greci, dum erant catholici, doctorum catholicorum sequentes doctrinam, in hoc consenserunt. Non enim legitur, nec videtur probabile, quod populus Grecorum antequam divideretur a Romana ecclesia secutus non fuerit doctrinam catholicorum doctorum greco-

33 virtutum] virtutis S **34** Romam] S: *omitted* W **35** ducem] *omitted* Ed **38** allegatas] allegatis Ly **41** nescierint] Mz: nescierunt Ed **44** docuerint] Mz: tenuerint Ed **48** tempore] temporibus Ly **52** ascribenda] tribuenda Ed **59** divideretur] Scott: dividerentur W **60** grecorum] *omitted* Ed

31 Ieronimus] Rather, Rufinus | c. 14] Eusebius, tr. Rufinus, p. 139 **38** superius] 18.29 (Jerome), 4.140 (Ambrose), 18.18 (Augustine), 16.5 (Marcellus), 16.13 (Cyprian)

rum. Doctores autem ipsorum assercionem predictam publice docuerunt et reliquerunt in scriptis. Eusebius enim Cesariensis, qui Grecus fuit et in scriptis omnium doctorum Grecorum peritus, ut ex *Ecclesiastica historia* quam composuit liquido patet, hoc docuit et scripsit, ut ex supradictis patet. Ergo Greci dum erant Catholici predictam sentenciam tenuerunt. Errores autem ipsorum postquam se a Romana ecclesia diviserunt allegacionem predictam nullo modo impediunt. Quare secundum Latinos tenendum est quod Petrus omnibus aliis erat superior.

Discipulus: Aliter forte aliqui responderent ad allegacionem predictam dicentes quod, quamvis omnes populi Christiani consenserint prelatis et doctoribus in assercione prescripta, non tamen omnes de populo; potest autem veritas fidei salvari in paucis de populo; ergo allegacio antescripta non procedit.

Magister: Ista responsio per hoc refellitur, quia secundum Apostolum ad Romanos 10º, "Corde creditur ad iusticiam, ore autem confessio fit ad salutem", quando scilicet periclitatur fides. Non suffecisset aliquibus paucis de populo corde tenuisse assercionem contrariam, si esset catholica, nisi eciam ipsam ore publice contradicendo errantibus confessi fuissent. Cum ergo non legatur quod a temporibus apostolorum vel discipulorum eorundem usque ad tempora patrum nostrorum quicumque, eciam pauci, de populis Christianis assercioni publice contradixerunt memorate, tenendum est quod eadem assercio universali ecclesie debet ascribi. Universalis autem ecclesia nullo tempore eciam parvo errare potest contra fidem et in hiis que iuris sunt pertinencia ad fidem vel bonos mores, licet secundum quosdam in hiis que facti sunt (scilicet habendo aliquem pro papa vel bono viro licet non sit et in consimilibus) possit errare. Ergo predicta assercio firmiter est credenda.

Capitulum 23

Discipulus: Adhuc per racionem, fundatam tamen in hiis que sunt fidei et morum, conare probare quod Petrus fuit ceteris apostolis ex ordinacione Christi superior.

Magister: Videtur quibusdam quod hoc potest tali modo racione probari. Christus ab apostolis et ecclesia corporaliter recessurus instituit caput et rectorem ecclesie universalis, qui secundum optimum modum regiminis ecclesiam

---

70 doctoribus] fidei *added* Ed **71** potest…72 populo] *omitted* Ed **75** suffecisset] igitur *added* Ed | populo] qui totum populum christianum *added* MF **23.5** quod] *omitted* Ly | potest] *omitted* Ly | racione] posse Ed

---

64 supradictis] Above, this chapter, line 33 **73** ad Romanos] 10:10

gubernaret. Christus enim, qui ecclesie sue in necessariis non defecit, ecclesiam suam acephalam non reliquit, nam habere caput est inter cetera maxime necessarium ecclesie; ergo Christus aliquod caput dedit ecclesie. Non autem instituit caput ecclesie seu rectorem secundum debiliorem seu minus perfectum modum regiminis, ne facto videretur precepisse ecclesie quod caput secundum optimum modum regiminis minime sustineret, cum omnis Christi accio sit nostra instruccio. Optimus autem modus regiminis est regimen unius, ut unus omnes alios regat, quia talis modus regendi maxime principatui regali, qui est optimus secundum philosophos, in hoc non errantes, et principatui paterno, qui est naturalis, assimilatur; ergo Christus unum caput dedit universali ecclesie, et non plura — non autem alium quam Petrum, quia numquam aliquis catholicus tenuit quod aliquis alius apostolus vel non apostolus fuit caput et princeps aliorum apostolorum. Petrus ergo fuit institutus a Christo caput universalis ecclesie, et per consequens aliorum apostolorum.

Hec allegacio confirmatur, quia Christus fecit apostolos capita, pastores et rectores aliorum fidelium, et secundum adversarios, sicut per prefacionem apostolorum quam allegant aperte patet. Aut ergo prefecit aliquod caput collegio apostolorum, et habetur intentum, quia nullum alium prefecit illi quam Petrum; aut nullum caput prefecit apostolorum collegio, quod absurdum videtur, quia ex hoc plures absurditates sequerentur. Quarum prima est quod Christus collegium apostolorum reliquisset acephalum. Secunda est quod universalem ecclesiam non secundum disposicionem optimam ordinasset, quia tunc solummodo est aliqua societas seu communitas optime ordinata quando habet unum caput et regitur ab uno et non a pluribus, eo quod simpliciter melius est regi ab uno quam a pluribus eciam optimis, quemadmodum principatus regalis secundum philosophum est principatui aristocratico preferendus. Tercia est quod Christus ex hoc docuisset ecclesiam nec uni prelato nec uni collegio debere subesse, quia Christus non prefecit apostolos aliis fidelibus tamquam collegium sed tamquam singulares personas: dispergendi enim erant apostoli in universum orbem, ad regendum fideles minime congregandi, et ideo tamquam collegium non regebant; quando enim aliqui aliquid faciunt tamquam collegium, simul esse debent. Si ergo Christus Petrum non prefecit universali ecclesie, et multominus aliquem alium apostolum, sed solummodo prefecit apostolos tamquam singulares personas, exemplum dedit ecclesie ut nec uni prelato nec uni collegio obediret.

---

8 defecit] deficit Ed; et *added* Pz **9** cetera] *omitted* MF **13** sustineret] Scott: sustinerent W **17** caput] *omitted* Mz **20** Petrus…21 apostolorum] *omitted* Ed **23** et] eciam Ed **33** hoc] Ly: quo W **38** quando] cum Ed **39** universali] universe Mz

---

23.24 allegant] 3.40

Capitulum 24

Discipulus: Predicta forte aliqui impugnarent. Primo quia, licet regimen unius de se sit optimum, tamen aliquando per accidens et in casu non est optimum, quia quando sunt plures equales, vel nullus omnes alios meritis et sapiencia excedit, non expedit ut unus omnibus aliis presit. Hoc, ut quibusdam videtur, ex multis que allegata sunt secundo huius potest aperte probari. Petrus autem meritis et sapiencia omnes alios nullatenus precellebat. Sapiencia enim videtur minor fuisse Paulo, meritis autem Iohanne videtur fuisse inferior. Ergo communitas fidelium non fuerit optime ordinata si Petrus fuisset a Christo caput ceterorum apostolorum et omnium fidelium institutus.

Amplius, Christus, recedens corporaliter ab ecclesia, ipsam in optima condicione reliquit quantum permittit hec vita; sed melius est ut ecclesia habeat potestatem mutandi modum regendi quandoque expedit quam quod alligetur determinato modo regendi, eo quod quilibet modus regendi in pluribus casibus potest esse nocivus vel minus utilis, quemadodum principatus regalis, qui est unius, quamvis de se sit optimus, tamen in multis casibus magis expedit quod plures principentur aristocratice quam unus regaliter. Christus ergo non dedit unum caput ecclesie, nec Petrum, nec alium, sed dedit ecclesie potestatem instituendi sibi unum caput vel plura secundum quod ei expedire videtur.

Magister: Ad primum istorum respondetur quod, licet regulariter non expediat ut unus principetur pro tota vita sua sibi equalibus, nec principatus unius in tali casu sit regulariter optimus, tamen casualiter potest principatus unius esse optimus, in tali casu, scilicet, si equales sint tales quod de eis probabiliter presumatur quod prompte ac sponte seu voluntarie in omnibus iustis et licitis, prout expedit, velint obedire uni, licet eciam sit meritis et sapiencia minor. Causa enim secundum aliquos quare non expedit ut aliquis principetur sibi similibus et equalibus est ne subiecti valeant dicere colorate iniustum est equalem eis dominari et ipsos subesse; hec autem causa locum non habet si equales vel maiores, ex humilitate vel obediencia aut amore rei publice vel communis utilitatis, prompte et sponte velint subesse. Apostoli autem, scientes ordinacionem Christi, ex humilitate et obediencia promptissimi erant obedire Petro pro toto tempore vite sue. Et ideo, licet apostoli, eciam omnes, fuissent equales vel maiores Petro, melius fuit ut ipse preesset aliis apostolis et universis fidelibus

---

24.4 nullus] *omitted* MF | sapiencia] non *added* MF **6** probari] quod *added* Ed | autem] *omitted* Ed **9** fuerit] Scott: fuit W **13** quam quod] ut MF **14** determinato] determinate Mz **16** unius] unus MF **20** expediat] expedit Ed **23** equales] inequales Ed

---

24.6 secundo huius] 3.1 Dial., 2.12-13 | Petrus…8 inferior] cf. 3.1 Dial., 2.14.19

quam ut preessent plures. De aliis enim ab apostolis, et maxime illis qui proni erant ad dissensionem et inobedienciam, planum apparet quod Petrus meritis et sapiencia precessit eos, et ideo debuerunt racionabiliter esse subiecti.

Ad secundum respondetur quod Christus, instituendo Petrum caput omnium fidelium, ecclesiam suam in optima disposicione quoad genus regendi reliquit, quia, eligendo et preficiendo unum cunctis fidelibus, facto docuit ecclesiam quod optimum genus regendi, ut scilicet unus sit caput et rector omnium, debet omnino servare, si potest absque detrimento boni communis. Plus autem profuit ecclesie quod Christus, qui scivit certissime quis esset magis idoneus ad regendum, prefecit Petrum quam si ecclesia, que non nisi per coniecturam scire potuit maiorem idoneitatem ipsius, elegisset eundem. Christus itaque, secundum quosdam, preficiendo unum alligavit ecclesiam suam optimo generi regiminis extra casum manifeste necessitatis vel utilitatis. Preficiendo autem non quemcumque unum sed Petrum, qui vel erat simpliciter optimus inter omnes vel optimus et maxime idoneus ad regendum, innuit facto quod non taliter ecclesiam suam optimo generi regiminis obligavit quin in casu manifeste necessitatis vel utilitatis posset modum illum regendi omittere vel mutare, nullum scilicet eligendo vel eligendo plures, si unum vel alterum manifeste communitati fidelium expediret, vel aliquod illorum facere cogeretur, sicut aliquando oportuit fideles permittere per plures annos vacare apostolicam sedem (unde, sicut legitur in legenda sancti Marcellini pape et martyris, temporibus Diocleciani et Maximiniani imperatorum, post mortem predicti Marcellini pape, propter severitatem persecucionis per prefatos imperatores in Christianos agitate, vacavit sedes apostolica annis septem mensibus sex diebus viginti quinque). Cessante tamen necessitate vel utilitate, ad optimum modum regendi, ut scilicet unus sit caput universalis et rector, redire tenentur. Et ideo Christus, preficiendo Petrum omnibus, ecclesiam suam quoad genus regiminis in optima disposicione reliquit.

Capitulum 25

Discipulus: Puto quod si predicta quibus ostenditur quod Petrus fuisset superior aliis apostolis possent solvi, omnia alia que pro eodem allegari possunt de facili refelli valerent; ideo, causa brevitatis omissis aliis, qualiter ista assercio ad allegaciones que supra 1º c. huius quarti sunt inducte respondeat non differas indicare.

---

40 unus sit] sit unum Ed **47** erat] in ecclesia Ed **48** idoneus] est *added* Ly | taliter] totaliter Ed
49 regiminis] *omitted* Ly **51** unum vel] id Ed | alterum] Scott: alicuius MF, omitted Ed
53 permittere] Scott: dimittere W **55** propter] Frm: *omitted* W **56** severitatem] severitate Ed
agitate] agitante Ed **58** scilicet] *omitted* Ed

Magister: Ad primam illarum, que de potestate conficiendi corpus Christi procedit, respondetur quod potestas conficiendi corpus Christi omnibus apostolis quos Christus ante passionem suam elegit data fuit immediate a Christo, quia ipse eos sacerdotes ordinaverit, et quantum ad hanc potestatem omnes apostoli erant pares, quemadmodum nunc omnes sacerdotes in hoc sunt apostolico pares, licet ex causa valeat apostolicus sacerdotibus interdicere execucionem huius potestatis.

Ad aliam, de potestate clavium, dicitur a quibusdam quod apostoli omnes ex speciali privilegio Christi fuerunt pares beato Petro, inquantum claves peccata specialiter in foro penitenciali respiciunt. In aliis autem fuerunt inferiores eo. Christus, igitur, quando dixit omnibus apostolis, "Sicut misit me Pater", et cetera, tamquam prelatus et superior Petro, omnes eciam misit et omnibus potestatem dedit super peccata; quos tamen postea beato Petro subiecit, absque tamen revocacione illorum que eis in speciali concesserat. Et ideo, quamvis tunc non dixerit Petro, "Mitto te et tu alios mitte", quia tunc non fecit eum prelatum aliorum, tamen postea, quando dixit, "Pasce oves meas", dedit ei potestatem mittendi alios qui non erant specialiter missi a Christo, quos tamen ex causa iusta et necessaria posset certis provinciis deputare.

Ad aliam allegacionem, sumptam ex verbis Pauli ad Galatas 2°, respondetur quod intencio Pauli cum dicit, "Michi enim qui videbantur aliquid esse nichil contulerunt", et cetera, fuit quod Paulus quantum ad doctrinam non fuit inferior Petro, quia doctrinam suam non habuit neque a Petro neque a reliquis apostolis, nec fuit primo missus ad predicandum a Petro, quia antea predicavit tamquam immediate missus a Christo; cum quo tamen stat quod in aliis fuit inferior Petro. Et ideo conceditur quod officium predicandi sive apostolatus Paulus non suscepit a Petro, sed ex hoc non sequitur quod Petrus non fuit prelatus eius, sicut multi religiosi predicatores verbi dei tempore Clementis pape 5^{i} vel Bonifacii 8^{i} non habuerunt officium predicandi a Bonifacio papa vel Clemente, et tamen Bonifacius papa aut Clemens fuit prelatus eorum, quia habuerunt officium predicandi a predecessore vel predecessoribus. Sic Paulus recepit officium predicandi a predecessore Petri, scilicet Christo.

Ad auctoritatem ibidem adductam secundum Augustinum, respondetur quia secundum Augustinum Petrus et alii apostoli qui fuerunt cum Domino nichil

---

25.9 elegit] eligit Pz **10** ordinaverit] ordinaverat Ly **18** misit] iussit MF **22** quando] cum Ly **28** quia…Petro^{2}] *omitted* Fr Ed

---

25.7 primam] 1.10 **14** aliam] 1.22 **17** dixit] Jn. 20:21 **22** dixit] Jn. 21:17 **25** aliam] 1.33 Galatas] 2:6 **38** ibidem] 1.45

contulerunt, id est addiderunt, Paulo quantum ad doctrinam evangelicam, et ideo in doctrina non fuit inferior Petro et aliis apostolis, quia a Domino fuit ita perfectus in doctrina quod perfeccioni sue doctrine nichil addere potuerunt: qui tamen quoad multa alia sibi addere valuerunt, sicut et de facto addiderunt cum dederunt sibi dextras et Barnabe societatis. Inferioritas ergo quam negat Augustinus a Paulo est solummodo inferioritas doctrine evangelice, de qua loquitur ibi Paulus. Et ideo conceditur illud quod isti concludunt, quod quodammodo "eque principaliter missus fuit Paulus quemadmodum et Petrus," scilicet ad predicandum, quia quando primo fuit missus ad predicandum non fuit missus neque a Petro neque ab aliquo alio homine. Et hoc intendit Apostolus cum dicit 1º c., "Paulus apostolus, non ab hominibus neque per hominem", et cetera.

Et sic dicitur intelligenda glossa Ambrosii ibidem allegata, quia tunc Apostolus non fuit missus ab Anania nec ab aliquo alio puro homine. Ex qua glossa notatur quod Apostolus loquitur ibidem de sua prima missione, quando aliqui poterant putare eum missum fuisse ab Anania, a quo tunc extitit baptizatus. Et sic eciam de prima missione dicitur intelligenda glossa que ibidem secundum Augustinum consequenter adducitur, quia Paulus tunc non fuit missus ab aliquo homine mortali sicut ceteri apostoli, sed a Christo, qui tunc extitit immortalis, et secundum hoc habuit quamdam prerogativam supra alios apostolos, quorum tamen non erat prelatus. Et ideo, sicut ex verbis Augustini non potest ostendi quod Paulus auctoritate fuit superior Petro, quamvis dicat quod Paulus fuerat dignior, ita ex eodem non potest ostendi quod non fuerit inferior auctoritate. Quare, a simili, licet inveniatur dictum a sanctis quod Paulus fuerit par Petro, non potest tamen inveniri quod Paulus fuerit par Petro quantum ad prelacionem, quia sufficit quod fuerit par quantum ad aliqua alia, puta quantum ad doctrinam et auctoritatem predicandi (in hoc quod non habuit primo auctoritatem predicandi a Petro nec mediate nec immediate sed a Christo) et quoad alia plura: quia, sicut non omnes qui dicuntur similes sunt similes in omnibus, sic nec omnes qui dicuntur pares sunt pares in omnibus.

Et eodem modo respondetur ad aliam auctoritatem Apostoli cum dicit, "Notum vobis facio evangelium", et cetera, quia ex hoc sequitur quod Paulus fuit immediate missus a Christo, quem nec Petrus nec alius apostolus tunc elegit, nam Christus tantum misit aut iniunxit Paulo ministerium evangelii. Sed

42 perfeccioni] perfeccione Ed **43** valuerunt] valuerint Mz | addiderunt] addiderint Pz **55** ibidem] idem Ly **58** apostolos] *omitted* Ed **59** sicut] *omitted* Ed **60** fuerat] fuerit Ly **63** tamen] *omitted* MF | fuerit] fuerat MF | Petro] *omitted* Ed **65** habuit] habuerit Mz **67** sic] sicut MF **72** nam Christus] nisi MF

47 eque…Petrus] cf. 1.53 **49** dicit] Gal. 1:1 **51** ibidem] 1.58 **55** ibidem] 1.60 **69** aliam] 1.69

ex hoc non sequitur quod non fuit subiectus Petro, quemadmodum ex hoc quod deus immediate sepe misit Esaiam et alios prophetas ad predicandum et increpandum idolatras et alios impios inferri non potest quod non fuerint auctoritate inferiores summo pontifice aut supremo rectore populi Israelitici. Qualem autem potestatem et in quibus habuerit Petrus super Paulum et alios apostolos postea valebis inquirere.

Ad aliam allegacionem, que in hoc consistit quod non invenitur in scriptura Petrum sibi assumpsisse aliquam potestatem super ceteros apostolos sed magis cum ipsis equalitatem servasse, respondetur quod multa fecerunt apostoli que non reperiuntur in biblia, quorum tamen multa, licet non omnia, ad nos per scripturas discipulorum apostolorum et aliorum fidelium pervenerunt. Et ideo, licet ex scripturis canonicis vel contra protervos, vel veraciter, non posset convinci quod Petrus usus fuit auctoritate sibi concessa super apostolos, sed magis de facto equalitatem servavit, non tamen propter hoc esset dicendum ipsum non fuisse usum huiusmodi potestate. Nec ex hoc quod legitur aliquando ipsum servasse equalitatem cum aliis potest inferri quod numquam sua fuerit usus auctoritate seu potestate, quia sancti prelati sepe, exemplo Christi, qui prelatus existens venit ministrare, suam potestatem nequaquam exercent, sed tamquam servos, vel eciam inferiores, se exhibent sibi subiectis. An autem assumpserit sibi auctoritatem determinandi illa que erant dubia circa evangelium vel voluerit in hoc deferre Iacobo aut toti collegio cuius erat pars, postea investigare poterimus: quod enim saltem toti collegio fidelium potuerit in hoc deferre, aut eciam tenebatur, multi tenentes prelatum fuisse universorum concedunt, quia, ut multi dicunt, in causa fidei summus prelatus fidelium est inferior universali ecclesia et eciam concilio generali.

Capitulum 26

Discipulus: Dic an videatur aliquibus quod in aliquo authentico valeat reperiri quod Petrus aliquando fuerit usus potestate sua super alios apostolos.

Magister: Nonnullis apparet quod hoc ex verbis beati Clementis, qui gesta beati Petri minime ignoravit, colligitur evidenter, qui, ut habetur dist. 80[a], c. *In illis*, ait: “In illis civitatibus vero in quibus olim apud ethnicos primi flamines eorum atque primi legis doctores erant, episcoporum primates vel patriarchas poni beatus Petrus precepit, qui reliquorum episcoporum causas et maiora negocia in

80 aliquam] aliqualem Ed **83** et] *omitted* Ly **84** vel veraciter] efficaciter Ly **86** servavit] servaverit MF **91** servos] suos MF **94** potuerit] poterit Ed **26.6** ait] *omitted* Mz **7** primi] prime Pz

79 aliam] 1.88 **26.5** In illis] D.80 c.2, col. 280 (cf. Hinschius, p. 39)

fide agitarent. In illis autem, in quibus dudum apud ethnicos predictos erant eorum archiflamines, quos tamen minores tenebant quam memoratos primates, archiepiscopos institui precepit. In singulis vero reliquis civitatibus singulos, et non plures, episcopos constitui precepit, qui episcoporum tantum vocabula potirentur". Ex quibus verbis habetur quod beatus Petrus de facto disposuit non solum de episcopis et archiepiscopis sed eciam de supremis primatibus et patriarchis qui erant in ecclesia dei. Supremi autem et primi primates seu patriarche (quibus vocabulis idem importatur, ut eodem loco habetur) successores sunt apostolorum. Nam, ut ait Lucius papa, et recitatur eadem dist. 80ª, c. *Urbes*, "In ipsis vero urbibus apostoli et eorum successores patriarchas et primates posuerunt". In quibus verbis Lucius papa patriarchas et primates apostolorum successores appellat. Patet igitur ex supradictis quod beatus Petrus aliquando fuit usus sua auctoritate in alios apostolos.

11 In…12 precepit] *omitted* Ed **13** potirentur] S: sortirentur W **16** quibus…21 apostolos] hic deficit aliqualis copia huius partis MF | ut] et Pz **18** et[1]] *omitted* Ed

17 dist] D. 80 c.1, col. 279 (cf. Hinschius, p. 185)